Universidad de Oviedo
Biblioteca

S, CLEME

OPERA

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 6
Plúteo 2 1
Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicho el M. Fr. Seribano ora p. eo.

EN DAMVS LECTOR DENVO
RECOGNITOS

DIVI CLEMENTIS

EIVS INQVAM CVIVS S. PAVLVS AD PHILIP
penses meminit, [redacted]

Rufino Torano Aquileiense interprete.

QVIBVS accesserunt selectissimæ uetustissimorum præsulum Epistolæ, quæ præter cætera axiomata, in primis CHRISTI humanitatem diuinitatemq; uarijs ijsdemq; ualidissimis scripturarum autoritatibus adstruunt: liberi præterea arbitrij uires declarant: tum Concilia qua ratione quibus ue autoribus instituenda sint, edocent: hæreticos item ubi hi conuicti fuerint, quo pacto Ecclesia tractare debeat, ostendunt: necnon pleraq; alia complectuntur in primitiua ecclesia obseruata, ac ad cõmunem Christianorum ædificationem magnopere idonea.

ADDIDIMVS HIS PRAETEREA

QVATVOR Conciliorum, Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis decreta, quæ ob insignem rerum in ipsis gestarum pietatem, iampridem ab omnibus Ecclesijs sunt approbata.

Está expurgado conforme al expurg.º del año 1632
Andres Mendo

Esta conforme al expurgatorio de 1640 por comission del S.to Officio
† Francisco Maldonado †

Societatis Jesu.
Burgis. 1863.



BIBLIOTECA MAXIMA SOCIET. JESU

BASILEAE
M. D. XXXVI.

Es de la Compª de Jesus de Salca y de su librería
y aplicado al Aposento 38

Universidad de Deusto
Biblioteca

CATALOGVS EORVM QVAE PRAETER Recognitionum libros hoc opere continentur.

Aegyptiorum pontificum Epistolę	II. Pag. 257. 263	
Alexandri	III	177. 183. 184.
Anacleti	I	164.
Antheri	I	260
Athanasij	I	[illegible]
Carthaginensis Concilij	I	287
Clementis	IIII	139. 152. 159. 163
Damasi	VI	271. 273. 275. 280. 286. 287
Euaristi	II	171. 174.
Eusebij	III	243. 251. 254.
Eutychiani	I	204.
Felicis	I	267
Flauiani	I	308
Hieronymi	I	273
Hygini Epist.	II	188. 190
Innocentij	III	290. 294. 301
Liberij	II	261. 269
Leonis	L	360. & sequent.
Marcelli	I	246
Marcellini	II	[illegible]
Marci	I	258
Mileuitani Concilij	I	292
Pontiani	I	198
Quinque Episcoporum	I	296
Soteri	I	191
Stephani	I	274.
Victoris	I	192
Vrbani	I	195
Xisti	I	186
Zephyrini.	I	193

Concilium
- Nicenum 216
- Constantinopolitanum 222
- Ephesinum 224.
- Chalcedonense. 230

De primitiua Ecclesia, & synodo Nicena. 210
Martiani Imperatoris edictum in confirmatione Concilij Chalcedonensis. 238
Constantini Imperatoris confessio. 207
Valentiniani & Martiani Impp. sanctio contra Euticianos hæreticos. 239
Eiusdem Martiani alia sanctio contra eosdem hæreticos. 240
Synodus Romana sub Damaso Papa. 272
Cœlestini Papæ decreta. 302
Quod omnes de filio dei, & spiritu sancto, & de unitate trinitatis male sentientes, similes sint Iudæis: & de unitate trinitatis. 279

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. BERNARDO EPISCOPO TRIDENTINO, IO. SICHARDVS S. D.



VELLEM equidem Reuerendissime in CHRISTO pater, idemque Illustrissime Princeps, tam esset mihi facile uirtutes tuas prędicare, quàm id tu es prolixe meritus diuinis tuis nō modo erga me beneficijs, uerumetiam ab uniuerso hominum genere; dum uidelicet hoc tanto tibi studio sumis, ut sis & ipse præter uulgarem ordinis tui captum haud mediocriter doctus, & literas in capitis iam pridem discrimen uocatas, quantū ab uno præstari potest, latissime propages. Si enim meritis ascendimus cœlum, & hæc reliqua est, ut ille dicit, uia ad diuinos honores, iuuare mortales, quid superest quin te indigitemus? Meruit enim Hercules ille ἀλεξίκακος nescio ob quæ domita monstra, immortalem nominis sui gloriam. Hippocrati uero litatum est tanquam præsenti deo, ob unum atque alterum quibus opem contra uulgatam iam tum contagionis luem tulit. Tuum uero quale dicam nunc factum, si cum his conferatur? aut quem animū erga honestiora ingenia? dum perpetuas illas curas, quibus die noctuque ob rerum administrationem distineris, posthabes etiam literarū causæ, agisque ut non solum optimi quique autores deterso situ in lucem uindicentur, uerum uis hoc tibi deberi, uis hanc tibi esse famam superstitem, ut unus tu & esse & dici merearis, cuius cōmendatione, opera, autoritate, in eum postliminio locum literæ restituantur, unde quorundā improbitate, non dico quanto rerum publicarū etiam detrimento, deciderunt. Incredibile enim dictu est, quàm mihi profuerint literæ R. P. T. quas ne quidem per summam impudentiam optare in animum induxissem, nisi hoc tu tibi, tanquā debitū officij tui pensum, sponte popposcisses, ut tua interesse existimares, ne, quod in te esset, diutius iacerent recta studia. Tuis ergo adeoque illustrissimi principis Ferdinādi auspicijs egressus, non pœnitendam bonorum, eorumque uetustissimorū autorum copiam mecum tanquam ex diutino uenatu, retuli, quos nunc de integro hoc maiore doctissimorum quorumque expectatione parturio, quo magis illi præter opinionē contigerunt. Cui enim, ita comparatis hominum moribus, tale quicquam in mentem uenire, hoc prę-sertim tempore potuit? ubi eò temeritatis quorundam furor progressus est, ut remedijs quidem quoquo pacto opus sit, nondum tamen satis adpareat ratio, qua inueterato iam morbo, atque ob id tenaciori occurramus. Mihi sane uidētur hi rectissime ad recuperandā Germanię tranquillitatem ingredi, qui eos maxime in medium proponunt libros, tanquam publicos fontes, unde hauriant uel adolescentes sanioris mentis initia, postquam de quibusdā iam natu grandioribus desperatum est. Quamobrem multum omnino, ac nescio an non totum quod uel animo consequi possumus melioris spei, situm mihi uidetur in ætate etiamdum tenera, quæ in fatalia quædam huius temporis scripta imprudens, tanquā tempestate aliqua ad scopulos, delata est, ad quos ne consenescat, ex bonorum autorum æditione pendet. Sunt enim plerique nostratium, quibus saltem mica ingenij est, ita alioqui affecti erga studia, ut non ita magno negotio opus esse uideatur ad abolendas quorundam nænias, quarum uidemus ubique nunc gentium tantam oriri nauseam, ut præter paucos quosdā, eosque indoctos legere nemo sustineat. Quemadmodum ergo literarum casus, ueluti Cæcias quispiam nubes, traxit secum omnium honestarū artium si non stragem, at certe cōcussionem, ita in possessionem dignitatis restitutis literis, constantius, equiusque se habitura sunt omnia, quibus in medio uitæ usuque cōmuni uiuitur, prę-sertim ad coruos quibusdam relegatis, qui ut felicius infantiam suam palliarent, promiscuæque plebi se insinuarent, id nobis calamitatis in literas inuexerunt, ut potius contempsisse quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

ignoraſſe uiderentur. Nimius ſum, fateor: at quis non præ indignitate rei totus in lachrymas ſolueretur? poſtquã uidet non modo nullis in eos qui malum hoc orbi conciliant, animaduerti Senatuſconſultis, quod decebat fieri acerbiſſimis, ſed ocioſe etiã atq; delicate, ob illa ſcilicet in remp. Chriſtianam benefacta, nepotari. Vtinã hoc moribus noſtris aliquando recipiatur, ut & ingeniorum curam ſaltem ſubciliuam ad ſe putent pertinere qui publicæ ſaluti præſunt, eoq; nomine rerump. clauos tenent. Si enim Craſſus cenſor officio ſuo nõ putauit indignum, imperitos quoſdam rhetoras cogere in ordinem, atq; interdicere profeſſionis munere, quod parum hoc ſcite adminiſtrarent: & philoſophis, quod nouam quandam ociandi rationẽ prætextu philoſophiæ introducerent, ſi nõ modo ciuitatis ius, ſed & Italia tota adempta eſt: quid demum de his noſtratibus futurum fuiſſe putamus, ſi ex inſperato, tanquam propitius aliquis Iupiter, Craſſus quidam appareat, qui autoritatis ſuæ gladium in eos diſtringat? quibus ludus eſt ſanctiſſima quæq; ſtudia lancinaſſe, atque illotis pedibus conculcaſſe, uerum hoc inſuper agunt, ne quicquam ſit uſquam gentiũ rerum, quod uel acumen reſipiat aliquod, uel non prophanæ etiam turbæ ſit obuium. Hæc adeo cauſa eſt cur mathemata etiam uulgo rideantur, tanquam ſuperuacaneum ſit in ea id temporis locare, quod nolimus uelimus cogimur parentes uiui uidentesq; aſpicere palàm inſumi in aleam, & quædam non paulo his etiam deteriora. Eloquentiã putant eam ſatis eſſe Chriſtiano, quæ utcunq; poſſit adumbrare rem quam animo conceperis. At non uident, ut uel hoc tantulum aſſequamur, opus eſſe longiuſculo tempore, ne obſcuri ſimus, & demus ſine mente ſonũ, ut elegantiſſimus poëta dicit. Vt enim in Theologo ſummam eloquentiã anxie non requiro, ſi deſit, quam tamẽ ſim in lucro habiturus ſi adſit, ita mediocrem cum dignitate coniunctam omnino neceſſariam duxerim: eſt enim omnino etiam in ſacris ſuus eloquentiæ locus, eſt ſua admiratio. Veluti in matrona aliqua honeſtiore, laudes ornatum eum qui aut ſine impenſiore ſumptu paretur, aut non abhorreat à perſonæ decoro, ita ſordes oderis, ut etiam omnibus ſit numeris alioqui in ſuo genere abſoluta. Aut dicant mihi iſti barbariei patroni, quid calumniatus eſt in Iouiniano Hieronymus maiore apparatu, atque contentione, ipſoq; adeo libri ingreſſu, quàm orationem male ſibi cohærentem, ridiculũ quendã tumorẽ, atq; demũ ſpurcitiẽ: ut non ſcriptorẽ, ſed αἰνιγματιστὴν uocet. An non maximi ut quiſq; precij habetur in re theologica, ita eloquentiæ fuit ſtudioſiſſimus: ut nunc Tertullianum, Lactantium, Cyprianũ, atq; denicq; ipſum quem iam nunc adornamus Victorinum Afrum taceam. Eſt autem quicquam Auguſtino, Ambroſio puríus: quorum oratio tantum abeſt à barbarie, quantum eſt eorum inquinatior, qui hodie & nomen & lucellum ex literarum oppugnatione quærunt. Adde etiam ſi libet, quod diuus Aurelius Auguſtinus de rhetoricis & dialecticis integros libros conſcripſit, qui licet uulgo non extent, dabimus tamen operam ut propediem in manus hominũ ueniant. Quantus uero theologus? Denicq; ut ſemel finiamus, nullum hominũ genus diutius florem eloquentiæ tenuit ipſis Theologis. Cœperunt enim iam tum cadere cauſa iurecõſulti, cum & Cicero in foro uerſaretur. Medici autem adeo dedicerunt latine, ut poſt Plinium, quod ſaltem ſciam, nihil in hoc genere fermè ſcriptũ ſit tolerabili eloquentia. Ob id pro uiríli cuicq; pro ſe annitendum cenſeo, cui uel leuiter ille publicus rerum hominumq; ſtatus doleat, ut quemadmodum noſtra tempeſtate ferè opicos aliquò uidemus progreſſos in artis ſuę myſteriis quò ſuperior illa ætas aſpirare nequiuit, ſic nos quoq; nihil de induſtria remittamus, ut ſi ad eum quem à maioribus accepimus cumulum nihil accedat, ſaltem à Gothorum incurſione aſſeratur. Id quo minus faciamus nihil cauſæ eſt, quandoquidem argumentis iam aliquot deprehenſum eſt, nec ingenia noſtris deeſſe, nec ad quorũ imitationem excitentur. Siquidem inter Germaniæ principes, quod nobis bene uertat, nec ferè eſt quiſquam paulò cordatior, qui non inter purpuratos illos aliquid etiam

loci

loci relinquat liberalius eruditis. De R. P. T. uero quid dicam? cuius mihi aula uſqueadeo nihil aulici uiſa eſt præ ſe ferre, ut in academia quadam me uerſari exiſtimarem, ſiquando in congreſſibus, quod nõ raro fiebat, mentio eſſet uel de literis, uel adminiſtratione rerum orta. Licuit ergo omnino conſtantiſſimo illo uitæ tenore philoſophum, mundiciæ principem, parſimonia Epiſcopum agnoſcere, in cuius aula uelut equo Troiano incluſi eſſent tot literarũ proceres, apud quos cum ſemel atq; iterũ de cõmunib. rebus inſtitutus ſermo, fortè Clementis memini, cuius ego æditionem iam tum parabã. Et quia nõ obſcure præ ſe R. P. T. uiſa eſt ferre incredibilem quendam erga bonos autores amorẽ, & eiuſmodi erat uoluntatis tuę erga me propenſio, ut uitã etiã debere me tibi ingenue faterer, cœpi conſiliũ, ut uel parti beneficiorũ tuorum quà poſſem reſponderẽ, inſcribendi tibi Clementẽ, quẽ etiamdũ à prælo madentem R. P. T. dedico, ut uel ſic à quibuſdã huius ætatis uituperatoríb. in tuto ſit. Nec enim me mouit illa pluſcq; decantata ubiq; de apocryphis ſententia, quę ſi ſunt abijcienda, Tertulliano carebimus, Euſebij magna parte, Lactantio. Quid multis? ægre quiſquã paulò uetuſtior locũ ſuum tuebitur, quippe quorũ plericq; ſynodos illas præceſſerint, quibus ueluti cancellis quibuſdã circunſcripta fuit Chriſtianiſmi profeſſio. Mirũ ergo uideri debet, ſi à uetuſtioríb. illis quid ſit uariatũ, & cœperint legi priuatim, id eſt fieri apocrypha, quæ paulò ante publice legebant? Vt uero interim dicam quod ſentio, nondũ ſatis mecũ conſtituí, quid illa ueterũ autorũ cenſura ſibi uelit, quę diſtin. xv. cap. ſancta Ro. habetur, ut omittã quod quædã iſthic ex diametro inter ſe pugnant. Clementis uero dum octo facit libros, & capitũ meminit, niſi me animus fallit, quinquaginta, quæ ſint pro autenticis (ſic enim loquitur) recepta, nõ poteſt míhi nõ præbere neſcio cuius monſtri ſuſpicionẽ, uel hoc nomine maxime, quod quæ hodie in uetuſtiſs. bibliothecis ſuperſunt exemplaria, quorũ duo omnino licuit perſeſquimeſtrem illam excurſionẽ uidere, unũ Baſileæ, quo ſumus uſi cõmodato, alterum Schonaugiæ, nec ullas habebant capitũ ſectiones, & in x. Clemens ipſe libros totũ uolumẽ digeſſerat, id quod ex fine tertij libri facile eſt uidere. Sed hoc quicquid eſt rei, iudicandũ alijs in medio relinquã, ſi hoc unũ addidero, mihi alioqui nõ tam ſuperſtitioſe naſuto, nec uideri ueriſimile Rufinũ uirum, ne quid addam præterea, magnum, potuiſſe adduci, ut Latio donaret librũ, quẽ uidiſſet parũ dextre ab eruditiori bus accípi, aut cui dignitatis ſuæ ratio non iam ante conſtaret. Et quæſo quî fieret ut Origenẽ, Xiſtũ philoſophũ, Euſebiũ Cæſarienſem. Gregoriũ Nazanzenũ, Baſiliũ Magnum, Pamphilũ martyrẽ, Euagriũ, rei theologicæ, quod in confeſſo eſt, facile principes, ex græcis uerteret, hic uero tanquã ſui oblitus, imperare ſibi potuerit, ut tot lucubrationũ gloriã, iſtius uerſionis ueluti tenebris obſcuraret, & tanq; malus poëta uno actu, eoq; poſtremo totam fabulã dehoneſtaret? Quod ergo huius loci eſt, nihil ſanè reſtat, quod quenq; torqueat illa quorundã nõ Ariſtarchorũ, ſed Phalaridũ exactior quàm uerior cenſura, dũmodo conſtet Euſebiũ illum quædã ex his Recognitionũ libris nõ modo mutuatũ, uerũ quod parũ etiã attentis apparet, ad uerbũ quædã deſcripſiſſe in lib. de Euang. præp. ſexto. Cæterũ cum iam æditionẽ cogitaremus Clementis noſtri, forte fortuna incidimus in epiſtolas quaſdã, quę neſcias plus habeant eruditionis an pietatis, eas quoniã argumento noſtro magnopere cõuenirent, nec ante typis excuſæ eſſent, curauimus ut unà formis deſcriberentur. In quibus quia non pauca erant, quæ magno temporũ interuallo eſſent remotiora, ſcholijs ſiquando uſus uidebatur, atq; argumẽtis illuſtrauimus, quas R. P. T. nõ enim occurrit alius cui potius inſcribi debeant, nuncupatim dedico conſecroq;. Quo enim munere apud R. P. T. maiorẽ me gratiã initurũ confiderẽ, nõ erat, q; ſi librũ doctiſs. eumq; uetuſtiſs. ei potiſſimũ conſecrarẽ, qui nõ modo ſingulari eſt prædítus pietate, uerũ elegantiore literatura tanta, quãta uel in eius generis hominib. deſiderari poteſt maxima, qui omnẽ ætatẽ in literis conſumpſerũt. Bene ualeat R. P. T. quã nobis cõmunibusq; ſtudijs Chriſtus quamdiutiſſime ſeruet incolumem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM MEMORABILIVM VTRIUSQ; partis, tam Clementis quàm Epistolarum.

Aronis officium. 282.8
Abilius Episcopus. 217.5
Abraham astrologus. 12.14
Abraham totum mundũ ab interitu uindicauit. 12.9
Abraham ex ordine stellarum, conditorem earum agnouit. 12.15
Absolutionum uiæ discendæ. 61.6
Accusatoribus q̃bus nõ credẽdũ. 187.40
Aduẽtus domini duplex. 16.20. & 21.27
Adulteria licita apud Susides. 115.20
Adulterium apud Seres nullũ. 114.1
Adulteria in elementis. 120.6
Adulterium uitandum. 141.12
Adulterij uariæ species. 141.22
Adulteria Iouis. 123.37
Aegyptiorum plagæ XII. iuxta numerum XII. patriarcharum. 12.36
Aegyptiorum sacerdotes animas de inferno educere norunt. 4.4
Agricolæ. 43.36
Alexandri Episcopi lenitas erga Arriũ
Alexandrina ecclesia secunda (217.40
sedes à sancto Marco cõsecrata. 217.2
Alcmęon q̃d de principijs mũdi sentiat
Alleluia mentio. 274.2 (95.2
Amazonum mos in cõgrediendo cum uiris. 114.48
Ambire episcopatũ quale p̃ctm̃. 342.40
Amicus fidelis homini quærẽdus. 169.21
Amici semper simul sunt. 82.48
Amicitiã dei quomõ adipiscamur. 75.27
Anaxagoræ opinio de mundo. 95.2
Anaximãdri ratio de principijs mundi.
Angelum proprium unaquæq; (95.2
gens habet. 34.28
Angeli deum uident. 47.28
Anima Christi. 315.11
Animarum quies. 17.10
Animarum præsides. 26.40
Animarũ uexatores post mortem exosi sunt deo. 4.17
Animæ p ignẽ traductæ reparant̃. 72.13
Animalia etiam contemptissima à deo creata sunt. 103.27
Animus humanus agro neglecto confertur. 78.5. & 159.27
Anses à Mose populo prępositus. 13.40
Antherus Episcopus. 200.44
Antichristi mentio. 55.24
Antiochena ecclesia tertia sedes. 217.6
Apes ex putrefactis carnib. bubulis. 97.
Apiũ ex cornu cerui nascit̃. 97.50 (48
Apis Aegyptiorum deus. 13.13
Apollinaris dogma. 354.18
Apollinaristæ. 223.1 (re. 241.1
Apollinaristis denegat̃ testamentũ face
Apollinaristarũ libri prohibent̃. 241.36
Apollinaristarum tria falsa. 322.39
Apostatæ qui. 166.10 (210.5
Apostoli quare sua in Iudęa uẽdiderint.
Appion Pistonicensis. 131.37
Aqua cum sale. 180.47
Aqua corpus diluendum. 80.26
Aqua marina ineffabili prouidẽtia dei falsa est. 97.28 (11.43
Aram qui primus statuerit dęmonibus
Arabes circuncisionẽ Iudęorũ sunt imi
Arbitrij nostri eligere. 49.17 (tati. 106.5
Archiepiscopi. 146.46
Arcus in cœlo ex repercussione solis.
Aromatũ flores ex Arabia. 1.20 (103.10
Arrij blasphemia. 222.29 (218.19
Arrius multos sibi adhærentes habuit.
Arrio decẽ & septẽ subscripserũt. 219.10
Arsacen Persæ habent. 15.27
Artiũ liberalium quis usus. 10.20
Asparagi ex cornu caprę nascunt̃. 97.50
Astrologi taxantur. 112.14
Auaritia sectas inducit. 231.20
Auaritię causa clerici nihil agant. 221.49
Augustini laus. 303.13
Auxentius Arriani erroris. 286.15

B

Balsamũ Iudæa mittit. 1.19
Baptizandi mos. 305.41
Baptizati nõ comedebãt cũ illotis. 42.18
Baptizati ab hæreticis per manus impositionẽ reconciliantur ecclesiæ. 370.33
Baptizari uolentes quid facere debeãt.
Baptizandi tempus. 57.35 (153.40
Baptizati hæreticorum. 374.40
Baptismus in locũ sacrificiorũ cessit. 14.3
Baptismus solũ Paschæ & Pentecostes die dabatur. 364.15

Bapti-

Baptismus quid prosit. 161.28
Baptismum qui cassent. 295.15
Baptismus pueris necessarius. 368.29
Baptismum paruulis quare quidam negarunt dandum. 289.28
Baptismus omnibus necessarius. 79.45
Bacchi nomen. 63.4
Barnabæ oratio ad Romanos de Christo. 4.37
Bella ex peccatis. 32.47
Bellum uerbi dei. 31.17
Bellorum origo. 12.3
Bonitas dei. 306.5
Bonus nemo est per seipsum. 304.1
Bonum omne à deo. 105.27
Bragmannorum innocentia. 114.8

C

Cæsaris locum deũ obtinere quidã dicunt. 72.40
Cætarem Romani habent. 15.27
Calamitates nobis in uindictam datæ sunt. 104.40
Callistrati opinio de principijs mundi.
Canones patrum quando incę- (95.1
perint. 216.17
Carnalis intelligẽtia corrumpit scripturam. 42.45
Carnes putrefactæ corporis à cõnexione membrorum uiuentium sectione separantur. 160.10. & 78.35
Carnis & sanguinis Christi quomodo participes efficimur. 226.42
Carolus Magnus. 207.24
Castimoniæ species. 162.27
Catafrigæ rebaptizati sunt. 222.2
Catechumini lapsi tribus annis inter audientes uerbũ collocabantur. 221.20
Charitas magistra omnium bonorum. 174.48. & 246.5
Christus nunquam abfuit pijs. 17.6
Christus quomodo carne indutus. 226.2
Christus mentẽ rationalẽ habuit. 322.36
Christi diuinitas. 187.1. & 228.44
Christus quomodo à spiritu sancto sit glorificatus. 229.5
Christus quare dicatur. 15.26
Christus patri æqualis. 243.10
Christi fama. 4.20
Christiani quibus modis ethnicos uincere debeant. 81.7
Christianã ad uitam exhortatio. 206.20
Christiani hominis exercitium. 150.6
Christiani hominis uita describitur. 245
4. & 251.25
Christiani unde. 197.17
Christianismi principiũ est, credere pro uidentiam diuinam. 62.4
Cibũ capit Petrus seorsum à gentibus.
Cibi abundantia. 64.5 (8.26
Circuncidũtur Indi & Aegyptij. 12.29
Claues uerbi. 268.43
Clementis oratio. 5.27
Clemens in Iudæam nauigat. 6.20
Clemens baptizatur à Petro. 81.34
Clemens negotium scribendi suscepit à Petro. 59.17
Clemens matheseos fuit doctus. 107.27
Clementis prosapia. 83.45
Clementis duæ æditiones. 1.36
Clerici nullum secularem honorem habeant. 235.8
Climacterici anni astrologorum. 112.18
Climata septem. 114.6.28
Cœlestij uarij errores. 289.9
Cœli duo. 41.20
Cœlũ quare resoluendũ. 46.50. & 47.3
Cœlum uisibile resoluetur in nouissimo die. 41.23
Cœli & terræ filij. 126.20
Cœnæ deorum allegorię. 128.35
Cœnobia extructa. 210.27
Columnæ uitreæ. 87.34
Comparatio de duobus regibus. 29.44
Comparatio de medico. 290.28
Comparatio de radijs solaribus & prædicatoribus uerbi dei. 156.6
Compositum quid. 93.26
Concilium quare habendum sit. 231.30
Concilij Ephesini symbolum. 225.15
[illegible]
320.2. & 320.2
Concilia quo tempore anni sunt habenda. 220.14
Concilij Niceni symbolum. 222.20
Concilij Constantinopolitani symbolum. 223.26
Concilium Chalcedonense. 230.36
Concilia duo in anno sint. 220.8
Confessio uera. 142.13
Confessio secreta & publica. 369.36

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confirmationis mentio. 161.46
Coniecturæ in rebus diuinis nihil ualent. 109.38
Coniugiũ inter aquã & terrã est. 120.2
Coniugium cum hęreticis fugiendum.
Cõiugia per bella diuisa, an restaurari possint. (236.7 373.40
Coniugia quæ sint legitima. 171.43
Coniurationis crimen uitandũ. 236.28
Cõscientia arguit delinquentes. 168.40
Cõstantini Imperatoris cõfessio. 207.30
Constantinus permisit patres conuenire propter hæreses exortas. 216.20
Constantinus lepra infectus. 208.43
[illegible] 214.27
Constantinus licentiam dedit prędicandi Christum. 210.6
[illegible] 217.47
Constantinus querimoniarum libellos ab Episcopis allatos exuri iussit. 218.14
Constantinopolis noua Roma. 231.44
Consuetudo. 23.40
Corporis & sanguinis Christi mystica distributio. 321.14
Corporis humani proportio. 99.2
Coruus per os concipit. 97.43
Creatorẽ à creaturis iudicari iniquũ est.
Creatoris honor nõ debet creaturæ deferri. (65.11 72.2
Creaturæ se ab impijs ulciscuntur. 75.2
Crucis inuentio. 257.26
Cultor dei uerus. 76.40
Cupiditas pernicios issimũ peccatũ. 31.3
Cyrilli synodicæ epistolæ. 235.28

D

Dæmones ministri pœnarũ. 65.32
Dæmones exhorrescũt uere credentes. 67.10
Dæmones, quos inhabitent. 63.20
Dæmones corporibus humanis quare immergantur. 63.28
Dæmones quomodo expellant ab hominibus. 63.36
Dæmones ad discendum ueloces. 64.36
Dæmones quare in mundũ missi. 65.8
Dęmones insidiantur affectioni nostrę erga deum. 27.46
Dæmonibus certa ratione aliquid permittitur in homines. 28.6
Dæmones quare pios affligant. 28.18
Dæmonum præstigiæ. 64.28
Damasi de Christo catholica sententia. 271.4. & 272.1
Democritus ideas finxit principia rerũ.
Dentes molares qui. 99.10 (95.5
Detrahere, quale peccatum. 195.10
Deus spiritu uidetur. 47.27
Deus pater secreti sacramenti uocabulum est. 145.25
Deus quare puniat. 115.30
Deus tribus modis quis dicitur. 34.25
Deus malorum non est autor. 74.30
Deo similes erimus, si opera eius imitamur. 71.20
Deum infirmũ Simon cauillatur. 37.17
Deũ nõ irasci quorsum ptineat. 130.40
Deorum nomen in scriptura. 34.17
Diaboli insidias qui uincant. 304.7
Diaconorum officium. 57.24. & 140.44
Diaconorum ordo. 221.24
Diaconi episcoporum oculi. 142.14
Diaconi septẽ in qualibet ciuitate. 171.38
Diaconissæ. 222.5
Diaconissæ quando debeant ordinari. 236.12
Dictamni comam Creta dat. 1.20
Dij gentium otiosi. 71.30
Dij Aegyptiorũ, Apis, Hircus, Gattæ, Ibis, Serpens, Pisces, Cæpæ, Cloacæ, Crepitus uentris. 73.3
Dilectio commendatur. 250.2
Dilectionis dei & mortis collatio. 146.1
Diodorus amere dixit initiũ rerũ. 95.3
Dionysius à Titanis discerptus. 123.28
Dioscuri error. 353.4
Discendum est ordine. 44.30
Discentibus primo imperitia sua est agnoscenda. 44.5
Disputatio de Iesu ex scriptura sit. 21.20
Disputatio apostolorum. 18.4
Disputationum fructus. 289.8
Disputationis modus. 108.15
Disputationes apud uulgum modicam utilitatem habent. 91.46
Dissensiones cauendæ. 184.15
Diuinis de rebus loqui humanis coniecturis friuolum est. 131.20
Diuitiæ iniustæ abijciendæ. 200.1
Dora oppidum. 60.5

Dositheus & Simon autores sectæ Sad ducæorum. 17.40

E

EBionitarum hæresis. 186.10
Ecclesiæ ministeria à Petro di sponuntur. 81.38
Ecclesiarum res quô debeant insumi.
Ecclesiæ status naui magnę simílis. (196.24 142.41. & 165.28
Ecclesię ministri nullis negotijs sese immisceant, nisi pupillorũ & orphanorum. 210.47
Ecclesiæ bona diripere quale peccatũ. 169.38
Elias Hierosolymorũ Episcopus. 220.25
Ephesini concilij decreta. 228.28
Ephesini concilij improbatio. 320.33
Epicuri sentẽtia de principijs mũdi. 95.3
Epicureorum commenta. 92.12
Episcoporũ uox in subscriptione. 237. 40. & 258
Episcopi pigri similes sunt meretricibus
Episcopis nõ est tacendũ. 75.17 (281.28
Episcopi nõ temere reprehendendi, nisi in fide errauerint. 150.43
Episcopi electioni magna cura adhibenda est. 350.2
Episcopi dispensatores fuerunt rerum communium. 196.15
Episcoporum accusatio difficile admittitur. 175.22
Episcopi è sedibus suis pulsi. 194.8
Episcopis ecclesiarũ tantummodo curam demandatur. 140.48
Episcoporũ iniuria ad Christum pertinet. 174.40
Episcopi & boni mariti collatio. 174.13
Episcopis ueris nemo resistat. 143.48
Episcopi electio cõsensu & clericorum & ciuium fiat. 365.30
Episcoporũ inauguratio. 219.49
Episcopi quales esse debeant. 57.19
Epistolæ cõmendatitiæ quibus sint dandæ. 235.38
Error omnis unde originẽ habeat. 62.48
Errorum fontes tres. 115.40
Euãgeliũ colonus cordis nostri est. 78.7
Eucharistiæ mentio. 20.9. & 180.32
Eucharistiæ sumptio. 167.42
Eudoxiani qui. 222.48
Eusemia martyr. 230.44
Eunomiani dicuntur Anomiani. 222.45
Eusebius translatus Alexandriã. 201.14
Eusebius Cæsariensis. 217.26
Eutices Apollinaristas secutus est. 239.27
Euticetis error. 308.44. & 314.43. & 233.34
Excommunicatio. 183.36
Excommunicati sunt Episcopi ecclesiã suam deserentes. 221.39
Excõmunicati ab alijs ad cõmunionem non recipiantur. 220.4

F

FAbas obtulerunt. 206.47
Felix Ephesum translatus. 101.25
Festi dies gentilium. 63.2. & 76.8
Festa martyrum quare instituta. 369.17
Fidei christianę cõpẽdiũ. 88.18. & 144.4
Fidei simplicitas laudatur. 218.20
Fidelis dæmonibus imperat. 67.19
Filij diaboli. 198.29
Filiorum dei proprium. 198.28
Filiorũ impiorũ nulla uoluptas. 256.28
Flagitia Iouis. 123.20
Fotiniani. 223.1
Fridericus tertius. 207.25

G

GAllinæ nonnunquã uento concipiũt, interdũ etiã puluere. 97.46
Gamaliel quare apud suos manere uoluerit, quàm aperte cũ Apostolis sentire. 20.41
Gamaliel clanculũ fauit Apostolis. 20.28
Gelonum populus. 114.29
Genealogia deorum gentilium. 122.30
Geneseos quid. 91.26 (113.24
Genethliacorum uanitas de aspectibus
Geometræ principia rerum definiũt fines. 95.5 (273.48
Gloria patri, quare Psalmis adiunctũ.
Gratia male intellecta à Pelagio. 297.34
Gratia origo meritorum est. 367.47
Gythorũ uicus patria Simonis magi. H (25.5

HAeresis auxiliũ dei negans. 294.34
Hæreses uariæ. 233.14
Hæreses de luce inaccessibili. 172.20
Hęreses pullulãtes nõ sunt negligendę.
Hæretici extra solium Romanum expelluntur. (266.35 240.1
Hæresium origo. 345.30

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæretici quomodo cõuertendi. 367.30
Hæreticæ insanię exordium, disputatio de rebus diuinis. 238.44
Hæretici pœnitentes nõ solũ uera affirment, sed suas etiã errores confiteantur. 225.8
Hæreticos pius magistratus non ferat. 324.5
Hæretici quomodo suscipiendi. 243.38
Hebræorum genus ab Abrahamo. 12.8
Heliesdros filius Abrahæ. 12.126
Hierosolymis nulla sedes. 217.8
Hilarij fuga ne hæreticis subscriberet.
Homicidij tria genera. 149.46 (323.29
Homo mendax describitur. 252.46
Hominum transformatio. 125.12
[redacted] 118.13
Hominis causa omnia creata sunt. 79.27
Hospitalitas commendatur. 14.43
Hospitalitas Tripolitarum. 60.19
Humilitas Christi nostra nobilitas est. 205.20
Hyenæ mutant sexum. 97.47

I

Iacobi tres fuerunt. 18.47
Iacobus Episcopus à Christo ordinatus. 15.1
Iacobus de gradibus præcipitatur. 22.4
Iacobus claudicat altero pede. 22.38
Ianua prima ad agnitionem dei. 101.36
Idola proprie. 65.37
Idolorum primi cultores. 11.44
Idola colentes exanima, sunt idolis stupidiores. 71.6
Idolorum cultus ex dæmonibus uenit.
Iecur in homine. 99.18 (64.23
Ieiunium ante baptismum. 89.40
Ignis & cupiditatis collatio. 66.45
Ignis à Persis colitur. 66.25
Ignem colere docuit Nemroth. 11.49
Ignorantia mater omnium malorum. 62.8. & 69.4
Ignorantia non excusabit in die iudicij.
Ignorantiæ præsumptio, scientia (72.22 resecanda est. 69.6
Ignorantia quid. 154.40
Ignorantia dæmon pessimus. 30.14
Ignorantur quædã ab hominibus cum laude. 100.7
Imago dei multarũ uirtutum admonere debet. 168.48
Imago Petri. 209.17
Imaginem dei colere uere quid. 73.41
Imaginem dei uiolare quid. 74.2
Imbres calidi pestilentes sunt. 97.20
Immensum quid. 93.34
Immortalitatis cupido. 3.26
Impudicitia pœnam non effugiet. 90.27
Indorum quorundã crudelitas erga hospites. 114.12
Infidelium damnatio in hoc seculo. 77.2
Infirmis cœna dominica ministrabatur. 221.16
Infirmorum cura habenda. 142.28
Ingratus homo. 253.18
Iniuria non fit sine ira. 44.17
Intestina quare humida. 99.19
Inuidere fidelibus sacerdotibus pessimũ malum. 180.12
Inuidia Iudęorum erga Christum. 70.36
Inuidiam ex iustitia ortam contemnũt uerbi dei præcones. 143.40
Inuidia omnibus modis declinãda. 82.13
Ioannis locus 1. Ioan. 5. Qui natus est ex deo, non peccat, declaratur. 300.28
Ioannes Euangelium suum Ephesi scripsit. 217.20
Ioses cognominatus est Barnabas. 196.6
Ira domini iusta in filios. 38.24.
Ira non semper mala. 130.43
Iracundia Petri. 50.37
Iracundia iusta. 78.15
Iracundia necessaria. 159.40
Iudæi à Christianis in quo dissentiant.
Iudas quare è consortio discipulorum non sit eiectus. (16.38 287.24.
Iudices xij. cuiusq; prouinciæ. 169.48
Iudicia domini. 175.30
Iudicia nostra ne sint præcipitata. 175.36
Iudicia sacerdotum sint matura. 307.45
Iupiter unde dictus sit. 126.45
Iuste uiuentes propter solum deum saluantur. 118.33
Iustitia dei quærenda. 50.12
Iuuenalis hæretici malitia. 336.33

L

Laici in episcopos eliguntur. 273.12
Laici Episcopos nõ accusent. 243.42
Lepores mutant sexum. 97.47

Lex

Lex dei sine magistro non facile intelligitur. 37.44.
Lex & gratia distinguenda. 297.15
Lex, transgressionis gratia posita est.
Lex uiuendi à deo data est post (299.9 diluuium. 62.45
Lex domini quomodo legenda cũ fructu. 163.48
Legem Iudæorum admittit Simon magus. 33.33
Legis perfectio pax est. 32.48
Liberius Episcopus Romanus. 261.44
Liberum arbitrium. 154.48. & 155.1
[redacted] 291.19
[redacted] 291.28
Liberis multa uitia corporis hęreditaria à parentibus. 111.22
Liberum arbitrium definitur. 45.45
[redacted] 288.33
Liberi arbitrij locus insignis. 65.26
[redacted] 293.9.303.41
Libertas arbitrij insita per spiritũ. 114.27
Libertas uera unde. 288.26
Librorum incensio. 258.4
Linguæ malum. 199.30
Lucæ locus, cap. 1. Zachariã ambulasse in omnibus iustificationibus, declaratur. 300.17
Luna mulier. 25.14
Lunæ utilitas. 104.10

M

Macedonianorum hæresis. 272.28
Magia quid possit. 25.30
Magica in mare proijcit Simon. 56.20
Magicæ illusiones unde natæ. 65.44
Magusæi. 114.20
Maiorum institutа quatenus sunt imitanda. 75.43
Malefici iubent à Cæsare perimi. 132.25
Mala præterita boni consulenda. 56.43
Malos cur deus durare patiatur. 52.30
Malus apud deum qui. 53.29
Malum esse negant Hebræi. 44.19
Malum bono tanquam ex fœdere coniugali adhæret. 105.33
Mammona quid. 70.13
Mamillæ mulierum. 99.34
Manichæorum error. 320.40
Manuum impositio. 57.18. & 257.33. & 318.34
Marcelliani. 223.1
Marcionis insania. 354.30
Marcus Euangelista Alexandrinã gubernauit ecclesiam. 318.20
Martiani Imperatoris edictum. 238.20
Matrices ecclesiarum. 196.13
Matrimonium Persæ cum matribus, sororibus & filiabus contrahunt. 114.16
Lucæ. 10. locus, Pax huic domui, &c. declaratur. 30.40
Matth. 10. locus, Non ueni mittere pacem, declaratur. 30.46
Matth. 7. locus, de digno in ciuitate quę rendo, declaratur. 24.9
Melchisedech mensę dominicæ protulit sacramentum. 299.5
Memoriam ordo iuuat. 9.46
Mendaces. 202.27
Mendicantes interrogandi sunt quam ob causam mendicent. 84.40
[redacted] 84.40
Mens pura colit deum. 62.14.
Mentiendum non est in gratiam proximi. 51.39
Menstruatæ ne miscearis. 80.22
Mercedis spe labores huius uitæ nobis Christus edulcat. 31.3
Mileuitanum Concilium. 304.16
Milites Christi certamen palàm facient. 166.46
Minerua Athenę dicta propter immortalitatem. 126.48
Miracula Simonis Magi. 27.22
Miracula Mosis & Magorum. 54.8
[redacted] 157.10
[redacted] 319.8
[redacted] arcentur. 360.4
Monachi Palęstini hæresi infecti. 348.3
Monachorũ olim Episcopi curam habuerunt. 234.43
Monachi quales olim. 235.13
Morbi aliquando pro remedio inferuntur. 62.26

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mortem deus non fecit. 202.34
Mortem sibi inferentes, inferni pœnas subibunt. 84.45.& 85.1
Moses & Iacob typum Christi tulerũt. 70.21
Motus in duas partes diuiditur. 46.7
Mundus nobis pro hospitio est, nõ domo. 111.6
Murmuratio nihil prodest. 202.30
Mustela per aurem generat. 97.43

N

NArdi spicarũ seges ex India. 1.20
Naturã carnis in se Christus accepit. 205.4
Natura hominis capax boni. 111.13
Naturæ duæ in Christo. 205.30
Naufragium mulierculæ. 85.25
Nectarius episcopus. 222.40
Negligentia nouerca eruditionis. 167.6
Negligentes in ministerio domini culpantur. 270.5
Nemroth Græci Ninum uocant. 66.8
Neophytus non mox in episcopum assumatur. 219.30
Nestorij error Ephesi exclusus. 239.18
Nestorij blaphemia. 354.9
[redacted] 258.27
Niceni Concilij canones. 219.20
Niceni Concilij causa. 217.22
Nilus Aegyptum inundat. 97.24
Noë iustus homo. 11.34
Nomen dei. 145.20
Nouatiani in cleros assumũtur. 220.27
Numidiæ Conciliũ contra Pelagianos. 293.44
[redacted] 120.23

O

OCulum eruere quid sit. 90.32
Oleo in baptismo usi sunt in primitiua ecclesia. 57.38
Opera misericordiæ requirunt. 182.36
[redacted] 180.8
Operum bonorum præparatio. 367.46
Opera Christianorum. 80.18
Operum hic locus. 294.& 151.42
Operandum dum in uita sumus. 255.45
Opificium dei. 96.33
Orare stantes. 222.12
Orationem quidam inutilem esse dixerunt. 289.9
Orationum uis. 183.30
Oratio Petri. 62.2
Oratio apostolorum simplex. 4.48
Orationes bella sedant. 247.28
Orationis sacrificium. 300.24
Oratio omnibus necessaria. 300.42
Ordo prædicandi discendus. 61.6
Ordine omnia sunt facienda. 48.30
Ordines duo inter discipulos domini. 281.44
Ordo sit in ecclesia. 366.28
Origenis error de anima. [redacted]

P

PAphnutius Episcopus Aegypti. 218.49
Paralyticus à Petro sanatur. 86.44
Parẽtes aut uxores nõ facile relinquendi sunt causa Euangelij. [redacted]
Parentes diligendi qua de causa. 79.9
Parentes ministri ad uitam, non autores. 360.36
Parentum reuerentia inutilis quando læditur fides. 224.33
Paria decem totius mundi collata inter se. 55.30
Parmenides terram dicit principiũ rerum. 95.3
Parsimonia Petri. 83.19
Pastor perfidus. 167.1
Patientia dei malos expectat. 75.12
Patientia cõmendatur. 267.28
Patiẽtia opus in colluctationibus cum aduersarijs. 270.48
Patientia Christianorum. 22.7
Patientia dei prolixa. 130.48
Patientia pestifera. 336.1
Patriarchæ Christi typum gesserunt. 155.46
Pauli epistolæ difficiles sunt intellectu. 170.30
Pauli locus 1. Timoth. 5. Manus nemini citò imposueris, declaratur. 371.35
Paulinianistæ rebaptizati sunt. 222.2
Paupertas Petri & Andreę Apostolorum. 83.28
Pax reddita post laborem dulcior est ꝯ continuata per ocium. 357.48
Pax odibilis. 280.7

Peccandi

Peccandi licentiam præbet infidelitas. 68.47
Peccatum unde. 373.21
Peccatum Sodomiticum. 11.23
Peccatum diluuio ultus est deus. 105.15
Peccati Adæ causam Simon deo imputat. 37.37
Peccata nostra perturbant aërem. 104.5
Peccati causa similis est stuppę oblitę pice. 111.40
Peccata parentum filijs quando nocent. 368.10
Peccatis alienis cõmunicare quid. 371.37
Peccatorum prudentia. 252.38
Pelagij error de libero arbitrio. 288.10
Peregrini fouendi. 142.30
Persæ incesta uitant. 114.b.23
Persecutionis tempore episcopi nõ fugiant de ciuitate in ciuitatem. 221.34
Petri nomen unde. 139.25
Petri humanitas. 6.36.& 47.47
Petrus Romam translatus. 201.12
Petrus & Paulus sub Nerone passi sunt 216.44
Pharisæorum schisma. 17.43
Philosophus ad fidem cõuertitur à simplici. 218.14
Philosophię studia perdiscenda sunt ad refutandos hæreticos. 89.7
Philosophorum & Christi inter præcepta quid interfit. 130.30
Philosophorum ridiculæ argutiæ. 5.7
Philosophorum labor. 3.30
Philosophi taxantur. 108.27
Phrenetici. 40.26
Piorũ afflictio argumento est aliam esse uitam post hanc. 50.20
Plato de mundi factura. 96.26
Plagæ piorum in Christum recidunt. 244.34
Pluuia ex æquo fruges & lolium nutrit 49.47
Pluuias nullas cur Aegyptus habeat. 97.22
Pluuiæ raræ ad axem meridianũ quare sint. 97.17
Pneumatomachi qui. 222.49
Pęnitẽtia simulata Simonis magi. 51.44
Pœnitentia trium aut septem aut decẽ annorum. 221.1
Pœnitentiæ fructus obseruandi. 221.6
Pœnitentes benigne suscipiendi sunt. 338.22
Pœnitentię modus lapsis cõstitutus est. 220.30
Pœnitentiæ forma. 209.26
Prædicatoribus uelut agricolis nonnulla semina pereunt. 43.36
Presbyterorum officium. 57.23.& 141.6
Principes creaturis omnibus statuit deus. 75.23
Princeps huius mundi adultero similis. 109.49
Promissiones terrenas an Christus promiserit. 19.25
Prophetiæ unde probentur. 16.27
Prudentia humana cæcutit in rebus diuinis. 108.8
Psallendi mos nullus tempore Damasi in ecclesia Romana. 273.29
Pseudoprophetæ à diabolo. 67.32
Pseudoprophetæ ad tentationem mittuntur. 35.36
Pudicitia carent Mesopotamiæ mulieres. 114.b.23
Pudicitiæ exemplũ in matre Clementis. 85.9
Pugna mater pacis. 29.39
Purgatorij mentio. 17.15
Pulcherrimæ Augustæ constantia in fide. 350.36
Pyrrhoniorum secta. 93.8
Pythagorę sententia de principijs mundi. 95.1
Pythones diuinatorij spiritus. 64.30

Q

QVæstio, quare pij cum impijs aliquando affligantur. 104.30
Quæstio, cur deus non perimat falsos deos colentes. 74.20
Qũæstio, an deus malorum sit author. 74.33
Quæstiones indisciplinatæ. 302.36
Quæstiõ, an passiones istæ, itẽmpe seipsum occidere, cadere in rabiem & in fœdos actus &c. etiã accidant his qui deum colant. 76.40
Quæstio, quomodo iustũ uidetur à parentibus separari. 78.42
Quæstiones uanæ uitandæ. 151.41

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstio, baptismus a quæ quid conferat ad cultum dei. 79.44
Quæstio, quid peccauerint Aegyptij si Mosi non credidissent. 54.28
Quæstio, cur satan factus, & unde. 106.
Quæstio, an episcopi de ciuitate ad (40 ciuitatem transire possint. 201.18

R

RAnæ præferendæ dijs gentium. 71.43
Rebaptizati quō suscipiendi. 374.30
Reges ungebātur apud Iudæos & prophetæ. 15.35
Regis boni officium. 246.41
Regna duo. 108.& 155.30
Religio uera in quibus sit sita. 76.20
Religionem ueram suscipientibus misericordes simus. 153.30
Religionis summa. 10.28
Religionis mysteria post baptismū docentur. 90.24
Religioni impij ærumnas suas adscribunt. 84.23
Resurrectionem mortuorum Sadducæi negant. 17.39
Romana ecclesia primā sedem habet. 217.1

S

SAbbatum Iudæorum. 115.9
Sabelliani. 223.1
Sabellij error. 272.27
Sacerdos uirginem in uxorem ducat. 371.48
Sacerdotum Capitolij crudele consiliū 208.44
Sacerdotum uitia quomodo corrigenda. 364.4
Sacrificium deo gratum. 279.10
Sacrificiū salutare, in mandatis dei ambulare. 198.48
Sadducæorum schisma. 17.34
Samaræum schisma. 17.40
Sancti homines, impiorum dij. 34.35
Sapientia carnis. 197.28
Satan omnia non potest. 106.48
Satanæ propria. 201.1
Saturnus Rheam duxit. 122.48
Scarabei ex fimo boum nascunt. 97.47
Scriptura pro cuiusq; studio uel clara, uel obscura est. 30.18
Scripturæ lectio frequens omnem hæresim deuitat. 362.30
Scripturas diuinas nullus intelliget sine spiritu sancto. 29.17
Seculares qui appellentur. 186.18
Seditio in ecclesia ab hęreticis facta multos pios perdidit. 356.44
Seditionū incentores coërcendi sunt. 352.11
Seditiosorum clamor. 21.42
Sensus præscientiæ sextus. 36.42
Senum officium. 129.30
Sepulchrum Indorum ignis. 114.10
Sepulchra duorum fratrum albescentia. 22.28
Sepulchra illorum qui fulmine interierant. 66.13
Sepulchrum Mosi ignoratur. 13.43
Sepultura Medorū sunt canes. 114.b.12
Seres populi innocentes. 104.48.& 113.46
Serpens quare condemnatus sit comedere terram. 72.12
Serpens damnatur, quia decepit Euam & deos nominauit primus. 35.17
Serpentū uenena carminibus mitigantur. 106.11
Seruitutis conditio. 11.38
Signa facta à malo nihil prosunt. 55.15
Signa diaboli qualia. 55.26
Silentium studijs sacrum. 24.1
Simon Chananæus. 19.17
Simon magus Petro certamen denunciat. 22.46
Simonis magi descriptio. 24.30
Simonis magi fuga. 60.40
Simon Stantē se uoluit nominari. 25.8
Simon magus eiectus Antiochia. 135.37
Simon magus. 8.33
Simonis adsertio de multis dijs. 33.26
Simon mentiē se ex uirgine natū. 27.6
Simplex quid. 93.24.
Solis cursus. 104.11
Sororem suam in uxorē duxit Iupiter. 123.20
Spiritus sanctus à patre & filio. 227.46
Spiritus immundi cur occupent homines. 42.8
Splen purgat sanguinis sordes. 99.19
Spyridion Cyprius episcopus. 219.1

Susidæ

Susidæ mulieres. 114.36
Symbolum Apostolorum. 145.10
Syluester summus pontifex. 207.45
Sylueſter cum clericis suis in cauernis propter imminentem persecutionē latitat. 209.6
Synodi duæ in anno habendæ. 365.43

T

TAlpæ ex terra originem trahunt. 97.47
Templa ambitiosa cœpta cōstrui. 13.49
Tentationes pijs nihil nocent. 190.30
Terra in LXXII. partes diuisa est. 34.31
Terra uuluæ habet speciem. 48.18
Terra humorem tanquā uberibus concipit. 98.6
Testa ouorum. 47.12
Thales aquā dicit principiū rerum. 95.5
Thomas apud Parthos euangelizauit. 115.18
Timor humanus. 115.39
Trinitatis mysterium. 182.1
Tumultus species uitanda. 82.46

V

VErbū dei rarius audientes admonendi sunt. 142.18
Verbi dei fructus. 55.46
Verbi dei audiendi desideriū deus ipse dat. 61.10
Verbi ueritatis ministri, radijs solis similes sunt. 91.50
Verbi dei audiendi auiditas. 60.44
Veritas cū quiete & ordine requirenda. 30.2
Veritas unde requirenda. 53.37
Veritas ratione non caret. 41.28
Veritate nihil preciosius. 21.1
Veritatis agnitio. 69.15
Veritatis patroni non semper obtinēt. 24.26
Veritatis cognitio soli cōparatur. 112.44
Veritatis uerbū diuidit homines. 32.39
Veritatis disputatio difficilis apud plebem promiscuam. 42.34
Verum à mendacio quomodo discernatur. 64.44
Vespæ ex putrefactis carnibus equinis nascuntur. 97.47
Vestis nuptialis gratiam baptismi significat. 67.46
Vicarij Christi sunt sacerdotes. 255.15
Vigilandi consuetudo. 23.31
Viperæ ex cinere oriuntur. 97.47
Virgines oppressæ à barbaris in humilitate uiuunt. 373.20
[redacted]
236.15
Virtus dei non est sub lege. 47.20
Vita militia est. 78.33
Vitam ad æternam sufficiunt ea quæ à Christo tradita sunt. 122.5
Vitia si quis corrigere uult, quid obseruare debeat. 13.18
Vmbra nubis quare. 13.11
Votum paupertatis unde. 197.19
Vulua in muliere. 99.27
Vxor petatur à parentibus. 171.44
Vxorem unam Britanni multi habent 114.46
Vxor Petri unà in peregrinatione fuit. 87.15
Vxorum multitudo est Parthis. 114.21
Vxores Indorum sponte se offerūt ad incendium. 114.b.14
Vxoris castitas probatur si ad uirū priorem redierit. 374.10

Z

ZAchæus ordinatur pastor apud Cæsaream à Petro. 57.7
Zenonis opinio de principijs omnium rerum. 95.5
Zoroastris libri de magia. 66.1
Zoroastres fulmine ictus interijt. 66.6

INDICIS FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PHILIPPVS ENGENTINVS POETA
LAVREATVS IN AEDITIONEM
DIVI CLEMENTIS.

SI ueterum præstant ueneranda uolumina patrum,
Vt fidei reddant secula quæq; statum,
Hæc sunt è cumulo propius spectanda, uetustas
Quæ pia commendat, posteritasq; probat.
Talia Clementis si quis ferat esse diserti,
Nunquam iudicio fallitur ille meo.
Ausoniam tamen hinc lectores ponite libram,
Semper enim lanx hæc non fuit æqua satis.
Hoc est iudicio patres fraudare superbo,
Hoc est fœturas deterere ingenij:
Scilicet hæc notha sunt, ueteriq; inuisa repulsa.
Autoris frustra cessit & ille labor.
Id nolint manes Clementis, & illius à quo
Sunt mutata toga pallia Romulea.
Noluit hoc etiam chari mihi cura Sichardi,
Eruta uix tandem qui monumenta dedit.

RVFINI TORANI AQVILEIENSIS IN CLEMENTIS VETVSTISSIMOS atq; eruditissimos libros præfatio, ad GAVDENTIVM episcopum.

TIBI quidem Gaudenti nostrorum decus insigne doctorum, tantus ingenij uigor, imò tanta spiritus gratia est, ut si quid à te etiã quotidiani eloquij more dicitur, si quid in ecclesia declamatur, id in libris haberi, & ad instructionem tradi posteris debeat. Nos tamẽ quos & ingenij tenuitas minus promptos, & senecta iam tardos reddit ac segnes, opus quod olim uenerandæ memoriæ uirgo Syluia iniunxerat, ut CLEMENTEM nostræ linguę redderemus: & tu deinceps iure hæreditario poscebas, licet multas post moras, tandẽ aliquando restituimus prædam: quam, ut opinor, non paruam, Græcorum bibliothecis ereptam, nostrorum usibus & utilitatibus conuectamus, ut quos propriis non possumus, peregrinis nutriamus alimonijs. Nam & solent suauiora uideri peregrina, interdũ uero & utiliora. Denicq; peregrinum est penè omne quod medelam corporibus confert, quod morbis occurrit, quod uenena depellit. Iudęa balsami lachrymã, Creta comam dictamni mittit, Arabia aromatum flores, & spicarũ nardi India segetem metit: quæ ad nos etiamsi aliquantulo quàm proprius ager attulit, fractiora perueniunt, odoris tamen gratiam, uimq; medendi integram seruant. Suscipe igitur anime mi redeuntem ad te CLEMENTEM nostrum: suscipe iam Romanum: nec mireris, si fortè tibi in eo minus solito floridus eloquentiæ uultus appareat. Nihil interest, dũmodo sensus idẽ sapiat. Peregrinas ergo merces multo in patriam sudore transuehimus, & nescio quàm gratus me ciuiũ uultus accipiat, magna sibi gratia spolia deferentem, & occultos sapientiæ thesauros nostræ linguæ claue reserantem. Sed uotis tuis faueat deus, ut nullus nobis sinister oculus, nec cuiusquam liuidus occurrat aspectus: ne extremo prodigij genere, cum nihil inuideant illi quibus aufertur, liuescant tamen isti quibus confertur. Aequum est sanè tibi, qui hæc etiam græce legeris (ne fortè in aliquibus minus à nobis seruatum translationis ordinem putes) interpretationis nostrę indicare consilium. Puto quod non te lateat, CLEMENTIS huius in Græco eiusdem operis ἀναγνωστέων, hoc est, Recognitionum, duas æditiones haberi, & duo corpora esse librorum, in aliquantis quidem diuersa, in multis tamen eiusdem narrationis. Denicq; pars ultima huius operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur, in alio penitus non habetur. Sunt autem & quædam in utroq; corpore de ingenito deo, genitoq; disserta, & de alijs nonnullis, quæ, ut nihil amplius dicam, excesserunt intelligentiam nostram. Hæc ergo ego tanquam quæ suprà

Universidad de Deusto
Biblioteca

uires meas essent, alijs reseruare malui, quàm minus plena proferre. In cæteris autem quantum potuimus, operam dedimus, non solum à sententijs, sed ne à sermonibus quidem satis, eloquutionibusq; discedere. Quæ res quamuis minus ornatũ, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium. Epistolam sanè, in qua idem CLEMENS ad Iacobum fratrem domini scribens, de obitu nuncians PETRI, & quod se reliquerit successorem cathedræ & doctrinæ suæ: in qua etiam de omni ordine ecclesiastico cõtinetur: ideo nunc huic operi non prẽmisi, quia & tẽpore posterior est, & olim à me interpretata atq; edita. Sed quod in ea nonnullis fortasse uidebitur inconsequens, si hic explanetur, non puto absurdum uideri. Quidam enim requirunt, quomodo cum Linus & Cletus in urbe Roma ante CLEMENTEM hunc fuerint episcopi. Ipse CLEMENS ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi cathedram traditam: cuius rei hanc accepimus esse rationem, quod Li
Episcopi. Apostoli. nus & Cletus fuerunt quidem antè CLEMENTEM episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro, uidelicet ut illi episcopatus curam gererẽt, ipse uero apostolatus impleret officiũ. Sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fecisse, ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat episcopum: & hoc modo utrunq; uerum uidebitur, ut & illi ante CLEMENTEM numerentur episcopi, & CLEMENS tamen post obitum Petri docẽdi susceperit sedem. Sed iam uideamus, scribens Iacobo fratri domini, operis sui CLEMENS ipse quod sumat narrationis initium.

RECOGNITIONVM

DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER PRIMVS,

à Rufino Torano Aquileiense è Græco in Latinum uersus.

EGO CLEMENS in urbe Roma natus, ex prima ætate pudicitiæ studium gessi, dum me animi intentio uelut uinculis quibusdam solicitudinis & mœroris innexum teneret. Inerat enim mihi cogitatio (incertum sanè unde initium sumpserit.) Crebrò enim ad memoriã meam conditionem mortalitatis adducens, simulq; discutiens, Vtrum ne sit mihi aliqua uita post mortẽ, an nihil omnino postea sim futurus: Si non fuerim antè quàm nascerer: uel si nulla prorsus uitæ huius erit post obitum recordatio: & ita immensitas temporis cuncta obliuioni, ac silentio dabit, ut non solum simus, sed neque quod fuerimus, habeatur in memoria. Sed & illud uersabatur in pectore, quando factus sit mundus: aut si omnino factus sit: uel antequam fieret, quid erat: an uero semper fuerit. Nam certum uidebatur, quod si esset factus, esset profectò soluendus: & si soluatur, quid iterum erit: nisi fortè obliuio cuncta & silentium teget: aut fortè aliquid erit, quod nunc sentire mortalium non potest mens. Hæc & his similia, nescio unde, indesinenter animo reuoluens, nimietate mœroris incredibiliter tabescebam. Et quod est grauius, si quando respueram huiuscemodi curas, uel ut minus utiles cogitabam, ualidiores in me fluctus solicitudinũ consurgebant. Inerat enim mihi comes optima, quę me quiescere non sineret, IMMORTALITATIS CVPIDO. Vt enim pòst rerum exitus docuit, & gratia dei omnipotentis ostendit, hæc me animi intẽtio ad inquisitionẽ ueritatis, & agnitionem ueræ lucis adduxit. Ex quo factum est, ut lugerem postmodũ eos, quos prius ignorans, beatos credebam. Igitur cum à prima ætate in huiuscemodi animorũ intentione uersarer, cupiens aliquid discere, philosophorũ frequentabam scholas, ubi nihil aliud quàm dogmatũ adsertiones, & impugnationes, uidebã agi sine fine certamina: arte syllogismorũ conclusionumq; agitari uersutias. Et si quando quidem obtinebat hic sermo, quod immortalis esset anima, gratulabar: si quando uero arguebatur quasi mortalis, cum tristitia discedebam: neutrum tamẽ in corde meo firmitudinem ueritatis tenebat: sed hoc tantum intelligebam, quod sententiæ ac diffinitiones rerum non pro natura sui, ac ueritate causarum, sed pro ingenijs defendentiũ, falsæ imaginarentur, aut ueræ: eoq; magis in profundo pectoris cruciabar, quod neq; aliquid ex his quæ dicebantur, tanquã firmum tenere poteram, neq; abijcere desideriũ requirendi: sed quanto magis negligere conabar ac spernere, tanto ardentius, ut suprà dixi, uelut cum quadam uoluptate latenter inrepens huiuscemodi cogitatio, mentem atq; animũ possidebat. Coangustatus igitur inuentione rerum, aiebam apud memetipsum: Quid inaniter laboramus, cum manifestus sit terminus rerum? Si enim post mortem non ero, nunc superfluò crucior: Si uero erit mihi uita post obitũ, seruemus illi uitæ sui temporis motus, ne fortè his quæ nũc patior aliqua me ibi tristiora excipiant, nisi pie ac sobriè uixero, & secundũ nonnullorũ sententias philosophorũ † nigri Phlegetontis fluuio, uel Tartaro, ut Sisyphus & Tityus, sed & Ixion, ac Tantalus eternis infernis supplicijs tradar. Et rursus mihijpsi respondebam, Sed hæc fabulæ sunt: aut si ita est in rebus dubijs, præstat pie uiuere. Sed iterum reputabam mecum, quomodo possem sub incerto iustitiæ præmio, à peccati me libidine continere: maxime cum

Immortalitatis cupido optima comes.

†Pyriphlegetontis.

Fabulæ de inferis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam quæ sit ipsa iustitia, quę deo placeat, apud me habeatur incertũ: & neq; si immortalis sit anima, ac sit ea quæ aliquid sperare possit, agnoscam, neq; quid certi futurum sit nouerim: nec tamen quiescere ab huiuscemodi cogitationibus possum.

Hierophantæ sacerdotes Aegypti.

Quid igitur agam? hoc facia: Aegyptũ petam, atq; ibi Hierophantis uel prophetis qui adytis præsunt, amicus efficiar, & pecunia ab eis inuitatũ magum precabor, ut educat mihi animã de infernis, per eam quam Necromantiã uocant, tanquã de aliquo negotio cõsulere cupienti. Mihi uero hæc erit consulatio, si immortalis est anima. Probatio autem animæ quod immortalis sit, non ex eo quod loquitur erit mihi certa, uel ex eo quod audio, sed ex eo quod uideo, ut oculis meis cernens eam, certissimam de reliquo immortalitatis eius sententiã teneam. Neque enim ultrà poterit ueritatem uisus, uerborũ fallacia, & auditio incerta turbare. Veruntamen hanc ipsam deliberationẽ meam retuli ad quendam familiarem meum philosophũ, qui mihi consilium dedit, ne hoc facere auderem. Siue enim, inquit, euocanti mago nõ obediat anima, tu post hęc tanquã nihil esse putans post mortem, desperabilius uiues: quippe qui & inlicita tentaueris. Si uero & aliquid ibi uidere tibi uisus fueris, quæ tibi religio? aut quę pietas ex inlicitis tradetur & impijs? Exosum nanq; diuinitati huiuscemodi negociũ ferunt, & aduersari deum his, qui animas post absolutionem corporum uexant. Ego uero his auditis, pigrior quidem sum redditus ad hoc quod parabam, nec tamen usquequaq; aut desiderium ponere poteram, aut molestiam cogitationis abijcere. Et ne longa utar narratione, cum his ego cogitationis meæ æstibus agitarer, fama quædam sensim in imperio Tiberij Cæsaris, initio ex

Tiberius Cæsar.

Orientis partibus sumpto, peruenit ad nos, & per singula cõualescens, uelut à deo bonus quidã nuncius missus, uniuersum replebat orbem, nec patiebatur diuinam uoluntatem silentio tegi. Diffundebatur ergo per singula loca, adnuncians quod esset quidam in Iudæa, qui sumpto à tempore ueris exordio, regnum dei euangelizaret Iudæis, idq; percepturos diceret eos, qui mandatorum suorum, & doctrinę institutа seruassent. Vt autem sermo eius fide dignus, ac diuinitatis plenus esse crederetur, uirtutes multas & signa ac prodigia mira efficere iussione sola, dicebatur: ita ut tanquam à deo potestatem habens, surdos faceret audire, & cæcos uidere, & claudos erigere, atq; omnem infirmitatẽ, cunctosq; dæmones ex hominibus effugaret, sed & oblatos sibi mortuos suscitaret, leprosos quoq; eminus uidẽs, curaret: & nihil omnino esset, quod ei impossibile uideretur. Hæc & horum similia processu temporis, crebris iam non rumoribus, sed manifestis quodammodo aduentantium ex illis partibus nuncijs, firmabantur: & ipsa iam per dies singulos rei ueritas patescebat. Denicq; in urbe per loca cõuentus fieri, & de hoc sermone tractari, atq; in admiratione res haberi cœpit: quisnam is esset, qui apparuerit, uel quid nuncij à deo hominibus detulisset: donec sub eodem anno uir quidam adstans in urbis loco celeberrimo, proclamaret ad populum, dicens: Audite me ô ciues Romani: filius dei in partibus adest Iudææ, promittens omnibus uolentibus audire se uitã æternam: si quis tamen secundum uoluntatẽ eius, à quo missus est dei patris, actus suos direxerit: propter quod cõuertimini à malis ad bona, & à temporalibus ad æterna. Agnoscite unum esse deum cœli terræq; rectorẽ, in cuius iustis aspectibus, uos iniusti mundũ eius habitatis. Sed si cõuertimini, & secundũ uoluntatem eius agitis, ad futurum seculũ uenientes, & æterni effecti, ineffabilibus eius bonis ac præmijs perfruemini. Erat autẽ uir iste qui hęc loquebatur ad populũ, ex Orientis partibus natione Hebræus, nomine Barnabas, qui se etiam unum ex eius discipulis esse diceret, missumq; ad hoc, ut hæc uolentibus indicaret. Quibus ego auditis, cum reliqua multitudine sequi eum cœpi, & audire quę diceret. Intelligebã sanè quod nihil dialecticę artis esset in homine, sed simpliciter & absq; ullo dicendi fuco, quæ audisset à filio dei, uel uidisset, exponeret. Adsertiones enim suas non argumentorũ uirtutę

Barnabæ oratio ad populũ Romanum.

Barnabas qs fuerit.

Simplex oratio apostolorum erat.

tute muniebat, sed uerborũ & mirabilium quæ adnunciabat, testes multos, ex ipso etiam circunstante populo, producebat. Verũ quoniã ad ea quæ syncere dicebantur, libenter annuere populus, & amplecti sermonem simplicem cœpit: hi qui sibi eruditi uidebantur, uel philosophi, ridere hominẽ, ac spernere cœpere, syllogismorum in eum tendiculas uelut ualidissima arma proferre. At ille intritus, & uelut deliramenta argutias eorũ ducens, ne responsione quidẽ dignos eos iudicabat, sed ea quę proposuerat exequebatur intrepidus. Denicq; cum loquenti ei, quidã proposuisset, cur ita factus esset culex, ut cum sit animal exiguũ, & sex habeat pedes, insuper ei additæ sint & alæ: elephantus uero cum sit immane animal, neq; alas habeat, quatuor tantũ pedes habeat. Ad hęc ille ne respiciens quidem, sermonẽ suũ, quem importuna propositio interruperat, continuata intentione peragebat: hac sola ad monitione per singulas quasq; interruptiones addita: Nos eius qui misit nos uerba, factaq; mirabilia, adnunciare uobis in mandatis habemus, fidemq; eorũ quę dicimus non ex argumentis arte quæsitis, sed ex uobisipsis productis testibus cõfirmare. Agnosco enim plurimos adstare in medio uestrũ, ex his quos unà nobiscum memini audisse quæ audiuimus, & uidisse quæ uidimus. Sit autẽ in uestra potestate uel recipere quæ adnunciamus, uel spernere. Nos enim quod uobis expedire nouimus, tacere non possumus: quia nobis, si taceamus, damnũ est: uobis uero quę dicimus, si non recipiatis, pernicies. Sed & stultis propositionibus uestris respondere perfacile possim, si ueritatis discendæ causa quæreretis, de culicis dico atq; elephantis differentia: sed nunc de creaturis dicere uobis aliquid, absurdũ est, cum à uobis ipse omniũ creator & conditor ignoretur. Hæc autẽ cum dixisset, uelut ex uno consensu, indisciplinato ore omnes simul risum dedere, incutere ei uerecundiã, ac silentium imponere cupientes, barbarumq; & minus sanæ mentis eum adclamantes. Ego uero cum hæc ita fieri cernerem, zelo quodã nescio unde repletus, ac religioso furore succensus, silere non potui, sed cum omni libertate proclamans: Rectissime, inquam, deus omnipotens abscondit à nobis uoluntatẽ suam, quos agnitione sui præuidit indignos, sicut ex his quę nunc agitis sanũ sapientibus palàm est. Nam cum uideatis prædicatores uoluntatis dei aduenisse, quia nullã sermo eorũ Grammaticæ artis scientiã profitetur, sed simplicibus & impolitis sermonibus perferunt ad uos diuina mandata, ita ut omnes qui audiunt, sequi possint, & intelligere quæ dicuntur: ridetis salutis uestræ ministros, & nuncios ignorantes: quia uestra, qui uobis periti & eloquentes uidemini, cõdemnatio est, quod apud agrestes & barbaros habetur ueritatis agnitio, quæ cum ad uos aduenerit, nec quasi hospita suscipitur: quę nisi intemperãtia uestra & libido obsisteret, ciuis esse & uernacula debuisset: ut ex his arguamini, quod nõ ueritatis amici & philosophi, sed iactantiæ sectatores, & uaniloqui estis: qui ueritatẽ non in simplicibus uerbis, sed in uersutis & callidis creditis habitare, & innumerabilia uerborũ profertis, unius uerbi nequaq; precio pensitanda. Quid ergo putatis futurũ de uobis, uos ô omnis turba Græcorũ, si erit iudicium dei sicut iste dicit? Sed nunc omittentes ridere in perniciẽ uestri uirum hunc, respondeat mihi qui uult ex uobis, quoniam quidem solo latratu uestro obturbatis etiam eorũ aures, qui salui esse uolunt: & mentes quæ ad fidem paratæ sunt, ad infidelitatis lapsum, uestris obturbationibus declinatis: quæ uobis erit † unquã uenia, qui diuinitatis nunciũ, promittentẽ uobis agnitionẽ dei, ridetis, & iniurijs afficitis? quem utiq; etiã si nihil ueritatis adferret, pro ipso tamen benignitatis erga uos proposito, gratũ acceptumq; habere deberetis. Hæc & his similia cũ prosequerer, plurimus adstantis populi fremitus concitabatur, dum alij uelut erga hospitẽ miseratione mouerentur, meumq; sermonẽ consequenter habitum probarent: alij petulantes, & stolidi in me quoq; pariter ut in Barnabam effrenati animi, iracundiam concitarent. Sed cum ad uesperum iam declinaret dies, apprehensa Barnabæ dextera,

Vide ridiculam argutiam philosophorum.

Clementis diuino furore succensi, oratio.

† unquam

Familiaritas Clementis & Barnabæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obluctantem licet eum, ad meam tamen adduxi domũ, atq; ibi manere feci, ne quis forte ex indocili uulgo iniiceret ei manus. Aliquãtulis igitur diebus unà positi, disserente eo paucis, sermonẽ ueritatis libenter audiebam: urgebat tamẽ profectionem suam, dicens se diem festũ religionis suę, qui immineret, omnimodis apud Iudæam celebraturũ, ibiq; de reliquo cum suis ciuibus ac fratribus permansurũ, euidenter indicans iniuriæ se horrore perculsum. Denique cum ego dicerem, tu mihi tantum eius uiri, quem apparuisse dicis, expone doctrinã, & ego meis sermonibus tua dicta componens, omnipotentis dei regnũ, iustitiamq; prædicabo, & post hæc si uolueris, etiam nauigabo tecum: ualde enim cupio uidere Iudæam, uobiscũ fortassis perpetuò permansurus. Ad hęc ille: Tu, inquit, si quidem uidere uis patriã nostrã, Barnabas. & discere quæ desideras, iam nunc mecum pariter nauiga: si uero te aliquid tenet, signa tibi habitationis nostræ derelinquam, ut cum uenire uolueris, inuenire nos facile possis: ego enim crastino ingrediar iter. Quem ubi immobilem uidi, descendi cum ipso usq; ad portum, ac diligenter ab eo signa quę dixerat habitationis accepi, dicens ei: Quia nisi aliquantulũ pecuniæ necessariò mihi esset à debitoribus reposcendum, nihil omnino differrem: uelociter tamen insequar iter tuum. Cum hæc dixissem, cõmendato eo attentius his qui naui præerant, regressus sum tristis. Habebat enim me recordatio cõsuetudinis boni hospitis, & optimi amici. Diebus autem paucis remoratus, & his quæ debebantur ex parte aliqua profligatis: plurima enim festinandi studio neglexi, ne à proposito impedirer: enauigaui continuò in Clemens in Iudæam nauigat. Iudæam, & post dies XV. Cæsareã Stratonis, quæ est Palæstinæ urbs maxima, adpulsus sum. Cumq; naui egressus, hospitiũ quærerem, rumore populi comperi, quod PETRVS quidã, illius qui in Iudæa apparuit, & signa multa ac prodigia diuinitus gesta inter homines ostendit, discipulus probatissimus, crastino cum Simone quodam Samaritano ex castello Gethonum, habiturus esset uerborum, quæstionumq; certamen. Quibus ego auditis, rogabam demonstrari mihi eius hospitiũ: quod cum reperissem, atq; ante fores constitissem, ingerebam ianitori, quisnam essem, atque unde aduentarem: & ecce Barnabas procedens, statim ut me uidit, in complexus meos corruit, gaudio lachrymans, atque apprehensum me manu, introducebat ad PETRVM. quem cum mihi eminus ostendisset, hic est, inquit, PETRVS, quem tibi maximũ esse in dei sapientia dicebam: cuiq; de te rursus sine cessatione loquutus sum. Ingredere igitur tanquam bene ei cognitus. Omnia enim quæ in te sunt bona, uerissime cõperit, & religiosum propositũ diligenter agnouit, ex quo & summo desiderio agitur, uidendi te. Vnde magnũ ei hodie munus meis te manibus offero, simulq; oblato me ait, Hic est CLEMENS PETRE. At benignissimus PE- Petrus humaniter excipit Clementem. TRVS audito nomine, adcurrens protinus inhæsit oculis meis: & post hæc cum sedere fecisset me, ait: Bene fecisti prædicatorem ueritatis hospitio recipere Barnaban, nihil ueritus populi insanientis furorem: beatus eris. Sicut enim tu legatũ ueritatis omni honore dignum duxisti, ita te quoq; peregrinantẽ, & hospitem, ueritas ipsa suscipiet, & ciuem proprię urbis adscribet, & tunc tibi erit gaudium magnum, quod exiguam nunc impartiens gratiam, æternorũ bonorum hæres scriberis. Nũc ergo ne labores exponere mihi animum tuum: cuncta enim de te & de moribus tuis Barnabas fideli sermone perdocuit, quotidie penè & indesinenter bonorum tuorum memoriam repetens. Et ut tibi breuiter tanquã unanimi iam amico quod in re est diniam, si nihil est quod te impediat, iter age nobiscũ, & audi sermonem ueritatis, quem habituri sumus per loca singula, usquequo ad ipsam nobis perueniendum sit urbem Romam: & nunc tu si quid desideras, dicito. Cumq; ei exposuissem, quid ab initio propositi gesserim, & quomodo per inanes effusus sim quæ- †dilecte deo stiones, & illa omnia quæ tibi † domine mi Iacobe in principijs indicaui, uti neeadem repetam, libenter promisi, cum ipso me iter acturum: hoc est enim, aio, quod cupi-

cupidissime expetebam. Veruntamẽ prius mihi cupio rationem ueritatis exponi, ut sciam, si mortalis, an immortalis est anima: & si immortalis, utrũ pro his quæ hic agit, ducatur ad iudiciũ. Sed & quæ sit iustitia, quę deo placeat, scire desidero. Tunc præterea, si factus est mundus, uel quare factus est: aut si soluendus, & an in melius renouandus: aut si omnino post hæc non erit mundus: & ne per singula progrediar, hæc atq; horum similia ut se habeant, dici mihi uelim. Respondit ad hæc PETRVS: Breuiter, inquit, tibi ô CLEMENS rerum scientiam tradam, & auscultasam nunc. Voluntas & consiliũ dei latuit homines multis ex causis. Primo quidem pro institutione mala, pro sodalitatibus pessimis, pro consuetudine nequã, pro conloquijs non bonis, pro præsumptionibus minus rectis: pro his, inquam, omnibus, primum error is, inde contemptus, tum infidelitas & malitia, auaritia quoq;, & uana iactantia, aliaq; his similia mala, uelut fumus quidã immensus, uniuersam mundi huius domum repleuit, & habitantibus intrinsecus intuendi conditorem suum, aspectum liberum non dedit, neq; quę ei essent placita peruidendi. Quid igitur his qui sunt intrinsecus conuenit? nisi ut ex intimis præcordijs clamore prolato, auxilium inuocent eius, quem solum domus fumo repleta non claudit, & accedens apetiat ianuam domus, quò possit fumus quidẽ qui intrinsecus habetur, excludi: lux uero solis quæ extrinsecus resplendet, induci. Hunc ergo qui ad auxilium domus, caligine ignorantiæ, & uitiorum fumo repletæ, perquiritur, illum esse dicimus, qui appellatur uerus propheta, qui solus inluminare animas hominũ potest, ita ut oculis suis, uiam salutis euidenter inspiciant. Aliter enim impossibile est, de rebus diuinis æternisq; cognoscere, nisi quis ab isto uero propheta didicerit: quia sicut ipse paulò ante memorabas, fides rerum, causarumq; sententiæ, pro ingenijs magis defendentium ponderantur. Vnde & eadem causa nunc iusta, nunc iniusta putatur: & quod modo uerum uidebatur, alterius adsertione falsum uidetur: ista de causa, religionis ac pietatis fides, ueri prophetæ præsentiam postulauit, ut ipse nobis diceret de singulis, prout se ipsa ueritas habet: & doceret, quomodo oporteat de singulis credi: & ideo ante omnia fidem prophetæ omni cum examinatione oportet 1.Ioan.4. probari: quem cum cognoueris esse prophetam, de reliquo cuncta ei credas, oportet: nec ultra discutere eũ per singula quæ docuerit, sed habere firma & sancta quæ dicit, quæq; quamuis fide suscipi uideantur, antehabita tamen probatione creduntur. Cum enim semel ex initio prophetæ ueritas examinata constiterit, reliqua demum fide audienda sunt & tenenda, qua eum doctorem esse iam constitit. Et sicut certum est, cuncta secundum ueritatis regulam teneri oportere, quæ ad diuinam †sententiam spectant, ita indubitatum est à nullo alio nisi ab ipso solo † scribi posse, †scientiam †sciri quod uerum est. Et his dictis, tam mihi aperte, & tam lucide, quis iste esset propheta, & quomodo inueniret, exposuit, ut ego mihi ante oculos habere, & manu contrectare uiderer: probationes, quas de prophetica ueritate protulerat, ingentiq; stupore deficerem, quomodo ea quę omnes quærunt, ante oculos posita nullus uidet. Vnde iubente eo, ea quę ad me loquutus est, in ordinem redigẽs, librum de uero propheta cõscripsi, eumq; de Cæsarea, ad te, ipso iubente, transmisi. Dicebat enim mandatum se accepisse abs te, ut per singulos annos, si qua essent à se dicta, gestaq;, ad te descripta transmitteret. Interea initio sermonis sui, quem primo die habuit ad me de uero propheta, & de alijs plurimis, cum me instruxisset plenissime, addidit etiam hæc: Vide, inquit, de reliquo, & interesto tractatibus meis, quos, si quãdo necessitas attulerit, habebo cum his qui contradicunt: aduersus quos disputans, etiam si forte inferior uisus fuero, non uerebor, ne forte tu de his quæ tibi à me sunt tradita in dubiũ uenias: quia etiam si ego uisus fuero superari, non tamẽ idcirco ea quæ nobis uerus propheta tradidit, infirma uidebuntur. Spero tamen quod nec in disputationibus superemur, si modo rationabiles sint auditores & amici ueritatis,

Quæ Clementem soliciti tenuerunt.

Vitia uelut fumus quidam nõ permittunt nos uidere uoluntatem dei.

Liber Clementis de uero prophetanõ extat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui discernere ualeant uim, speciemq; uerborum: & agnoscere, qui sermo ex arte sophistica ueniat, non ueritatem continens, sed imaginem ueritatis: & qui sit, qui simpliciter, ac sine fuco prolatus, omnem uim non in specie & ornatu, sed in uerita te & ratione possideat.

Ad hęc ego: Omnipotenti, inquam, deo gratias ago, quia ut optaui & desidera ui, instructus sum. Veruntamē de me in tantū esse debes securus, quod de his quæ didici abs te, in dubium uenire non possim, ut si tuipse uelis aliquando fidē meam à uero propheta transferre, omnino non possis: quia pleno spiritu hausi, quę tradi disti. Et ne putes magnū tibi me aliquid polliceri, quod ab hac fide negem me posse transferri: certum est apud me, quia quicunque hominum hanc de uero propheta acceperit rationem, dubitare ultra de ueritate nullatenus poterit. Et ideo cōfido de hoc diuino dogmate cœlitus diffinito, in quo omnis ars malitiæ superatur. Aduersus prophetiam etenim neque ars ulla stare sufficit, neq; sophismatum, syllogismorumq; uersutiæ. Sed omnis qui audierit de uero propheta, necesse est ut statim desiderium capiat ipsius ueritatis, nec ultra sub occasione ueri quærendi, diuersos patietur errores. Propter quod domine mi ô PETRE, nolo sis ultra solicitus, tanquam de eo qui nesciat, quid acceperit, & quantum sibi cōmissum sit muneris: certus esto quod scienti & intelligenti gratiam contulisti, nec facile possum decipi, pro eo quod quæ diu desiderabam, citò uideor adeptus. Potest enim fieri ut alius desidérans citò adipiscatur, alius nec tarde ad desiderata perueniat. Et PETRVS, his à me auditis: Gratias ago, inquit, deo meo, & pro salute tua, & pro requie mea: ualde enim delector, quia intellexisse te uideo, quāta sit uirtutis propheticæ magnitudo, & quia, ut ais, nec si ego ipse cupiam, quod absit, potero te transuertere in aliam fidem, & ex hoc iam incipe esse nobiscum, & crastino die interesto disputationibus nostris: erit enim mihi certamen contra SIMONEM magum. Cumq; hæc dixisset, secessit ut cibum caperet cum suis, me autem seorsim uesci iussit: & post cibum percepto baptismate possis ad eandem nobiscum conuenire mensam: & his dictis, quiescere me iussit: iam enim somnum natura corporis, & ratio temporis inuitabat. Postera uero die matutinus ad nos ingrediebatur Zachæus, & cum salutasset, ait ad PETRVM: Differt SIMON certaminis diem in undecimam mensis præsentis, quæ est post septem dies. Tunc enim magis uacuum sibi disceptandi tempus adfirmat. Sed & mihi uidetur comperendinatio eius etiam nobis esse necessaria, ut plures conueniant, qui disputationis nostræ uel auditores uel iudices fiant. Veruntamen si probabile tibi uidetur, inter moras ea, quæ in controuersiam uenire posse opinamur, inter nosmetipsos prius discutiamus, ut unusquisq; nostrūm cum quæ proponenda sint, & quæ respōdenda, cognouerit, apud semetipsum pertractet, si recte se habeant, aut si inuenire poterit aliquid aduersarius quod obijciat, aut quod obiecta frustretur. Si uero ex omni latere, quæ à nobis dicenda sunt, clarueruñt esse munita, ita demum confidenter quęstionis ineatur exordiū. & quidem mea hæc est sententia, quod ante omnia requiri oporteat, quid sit omniū primum, quid'ue † immaculatum, quod etiam causam esse omnium quæ sunt, docendū est: deinde cuncta quæ sunt, si facta sunt, & à quo, uel per quē, propter quē, utrum ab uno, an ex duobus, an à multis accepere substantiam: & utrum ex nullis substantibus, an ex aliquibus sumpta sint, & adornata: tum si aliqua uirtus est in altissimis, aut in inferis: Si est, quid melius est omnibus, aut cunctis inferius: Si sint aliqui motus, aut nulli: si hæc quæ uidentur erant semper, & erunt: Si extitere nullo operante, & nullo soluēte dilabentur. Si, inquam, ex his initium acceperit disputatio, puto quod ea quę quærētur diligenti examinatione discussa, facile clarescant. Cū autem hæc

Petrus seorsim à gentibus comedebat.

† *immediatum.*

hæc claruerint, eorū quæ sequuntur in promptu reperietur agnitio. Ego quid sentirem protuli: quid etiam tibi uidetur, indicare nō pigeat. Ad hæc PETRVS: Dic, inquit, interim SIMONI, faciat ut libet, certus, quod diuina prouidentia largiente, semper nos inueniet paratos. Et Zachæus quidē quæ audierat, egressus est SIMONI nunciare. PETRVS uero respiciens ad nos, & intelligens contristatū me esse pro dilatione certaminis, ait: Qui credit summi dei prouidentia dispensari mundum, non debet ô amice CLEMENS, de singulis quæ quoquo modo accidunt, aspernanter accipere, certus quod iustitia dei, etiam ea quę superflua uidentur, aut cōtraria in unoquoq; negotio, opportuno exitu, competentiq; dispensat, præcipue tamen erga eos, qui eum familiarius colunt: & ideo qui de his, ut dixi, certus est, si quid eueniat cōtra sententiam, nouit pro eo mœrorem de animis expellere, meliore sententia manifestum habens, quod dispensatione boni dei, etiam quod contrarium putatur, uertatur in melius: propter quod ô CLEMENS etiam nūc non te contristet magi SIMONIS ista dilatio. Credo enim quod per dei prouidentiam gestum sit ad utilitatē tuam, ut possim tibi rationem fidei nostræ, in hac septem dierum comperendinatione, absq; aliquo strepitu, ordinemq; cōsequenter exponere secundum traditionem ueri prophetæ, qui solus scit, quæ facta sunt, ut facta sint: & quæ fiunt, ut fiant, quæq; erunt, ut erunt: quæ tamen manifeste quidem dicta, non tamen manifeste scripta sunt, in tantum, ut cum leguntur, intelligi sine expositore non possint, propter peccatū quod coadoleuit hominibus, sicut superius diximus. Idcirco igitur explanabuntur tibi per me omnia, ut in his quæ scripta sunt, dilucide quæ sit sententia legislatoris agnoscas. Cumq; hæc dixisset, exponere mihi singula de his quæ in quęstione esse uidebātur legis, capitulis cœpit, ab initio creaturæ usq; ad id temporis, quo ad eum Cæsaream deuolutus sum. Hæc mihi, dicens, dilatio SIMONIS contulit, ut per ordinem cuncta cognoscerem. Aliàs, inquit, secundū ea quæ opportunitas sermonis adtulerit, de singulis quibusq; quæ nunc compendiosius diximus, latius disseremus, ut secundum ea quæ pollicitus sum tibi, plenius de omnibus perfectiusq; cognoscas. Quia ergo hodierna adhuc nobis superest dies, ex his † quæ dilata sunt, uolo tibi rursus ea quæ dicta sunt breuiter iterare, ut magis tibi ad memoriā reuocentur. Et exin cœpit hoc modo mentibus meis innouare quę dixerat. Meministi ô amice CLEMENS, quæ mihi fuerit de ęterno seculo, ac sinē nesciente, narratio? Tunc ego, Nihil, inquā, ô PETRE aliquando retinebo, si hoc omittere, aut obliuisci potuero. Et PETRVS libenter hac mea responsione susceptra, gratulor tibi, inquit, quod ita responderis, & non quod hæc ipsa facile dicas, sed te meminisse protuleris: quæ enim summa sunt, silentio honorari uolunt. Ad fidem tamē eorum quæ de ineffabilibus meministi, dic quæ retines ex his quæ in loco secundo à nobis dicta sunt, quę proferri facile queunt, ut peruidens tenacitatē memoriæ tuæ, de quibus uolo, promptius tibi indicem, & libenter aperiā. Tunc ego ubi aduerti eum auditorū memoria gaudere, nō solum, inquā, diffinitionis tuæ memor sum, sed & præfinitionis illius, quæ ante diffinitionem posita est, & omnium penè quæ exposuisti, sensum integrum seruo, etiamsi uerba non omnia: quia tanquā uernacula animæ meæ, & ingenita effecta sunt quæ dixisti. Nimium enim sitienti mihi dulcissimum poculum porrexisti. Et ne putes quod rerum immemor, uerbis te occupem, iam nunc quæ dicta sunt in memoriam reuocabo: in quo me plurimum iuuat ordo disputationis tuę. Etenim quia cōsequenter directa sunt, & librate ordinata quæ dicis, idcirco & facile ad memoriam ordinis sui lineis reuocantur. Multum nanque ad recordandum prodest ordo dictorum: cum enim recolere singula per consequentiam cœperis, ubi aliquid deest, statim sensus inquirit, & cum inuenerit, seruat: aut certe, si inuestigare nequierit, à magistro requirere non pigebit. Sed ne moram faciā in reddendo ea quæ poscis à me, retexā breuiter,

Diligentibus deum, omnia cooperātur in bonum. Rom. 8.

† *qui dilatē*

Summa, silētio honorari uolūt.

Ordo memoriam iuuat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ de ueritatis diffinitione tradidisti. Erat semper, & est, & erit illud à quo prima uoluntas genita sempiternitate constat, & ex prima uoluntate iterum uoluntas. Post hæc mundus, ex mundo tempus, ex hoc hominũ multitudo, ex multitudine electio amicorũ, ex quorum unanimitate pacificum constituitur dei regnum. Relia qua uero quæ hæc consequi deberent, aliàs te mihi dicturum esse promiseras. Post hæc cum de creatura mundi exposuisses: diffinitionẽ dei, quam in cõspectu omniũ primorum angelorũ de sua †uoluntate promisit, quamq; æternam legem cunctis statuit, intimasti: & quod duo regna posuit, præsentis dico tẽporis & futuri: & tempora utriq; constituit, statuitq; expectari iudicij diem, quam ipse diffiniuit, in qua habenda sit rerum, animarumq; discretio, ut impij quidẽ pro peccatis suis igni tradantur æterno: hi uero qui secundũ uoluntatẽ conditoris dei uixerint, pro bonis operibus benedictione susceptа, clarissima luce fulgentes, introducti ad æternam sedem & in incorruptione durantes, ineffabilium bonorum munera æterna percipiant. Hæc me prosequente, gaudio perfusus PETRVS, tanquã super filio tripudians, ne fortè in reliquorũ memoria titubans, erubescerem propter eos qui aderant, suffiscit, inquit, ô CLEMENS: euidentius enim hæc quàm à meipso exposita fuerant, ædidisti. Et ego aio: Narrandi ordinem, & lucidius ea quæ res expetit proferendi, in antiquitatis erroribus, in pernicie eruditio nobis cõtulit liberalis, qua si utamur ut ueritatẽ, eruditionem sermonis, & gratiam conferamus, puto ex hoc non parum utilitatis adquiri. Veruntamen mi domine PETRE, quanta me arbitraris gratulatione sublatum, cum in cæteris omnibus, tum præcipue in illius doctrinæ sententia, qua ais, unus est deus, cuius opus mundus est, quiq; quia iustus est omnimodis, unicuiq; pro actibus suis reddet. Et post hæc addidisti, dicens, Pro cuius dogmatis adsertione innumera uerborũ millia mouebũtur: sed in his, quibus ueri prophetæ concessa est scientia, omnis ista uerborũ sylua succisa est. Et propter hoc cum mihi tradideris de uero propheta sermonem, omni me adsertionũ firmitate roborasti. Inde denicq; ego cum aduertissem, in hoc summam totius religionis pietatisq; cõsistere, ilico respondi: Optime prosequutus es PETRE, propter quod de reliquo iam tanquam scienti quæ sint fundamenta fidei, & pietatis, ueri prophetæ traditiones incunctanter expone: cui soli credendũ esse, euidenter probatum est. Illam uero expositionẽ quæ adsertionibus & argumentis indigeat, infidelibus serua, quibus nondũ committere propheticę gratiæ, indubitabilem iudicaueris fidem. Et cum hæc dixissem, tu utrunq; inquam, pollicitus es: te hanc mihi simplicem expositionẽ, ac totius erroris expertem, & illam quæ per singulas quasq; quæstiones explicatur, quæ † & à te mouebantur, in tempore traditurum. Et post hæc exposuisti per ordinem, à principio mundi, usq; ad præsens tempus consequentiam rerum: & si placet possum memoriter uniuersa retexere. Ad hæc PETRVS: Magnifice, inquit, delector ô CLEMENS, quod tam tutò cordi uerba cõmittam: memorem nanq; esse eorum quę dicuntur, indicium est in promptu habere operum fidem. Cum uero malus dæmon salutis uerba furatur, & de memoria rapit, etiam si uelit, saluari non poterit. Perdit enim uiam, qua peruenitur ad uitã: propter quod eo magis repetamus, quæ dicta sunt, & confirmemus ea in corde tuo: id est, quomodo, uel à quo factus sit mundus, ut tendamus ad amicitiã conditoris. Amicitia autem efficitur bene uiuendo, & uoluntati eius obediendo, quæ uoluntas omnium uiuentium lex est. Breuiter ergo tibi hæc eadem firmioris causa memoriæ retexemus. In principio cum fecisset deus cœlum & terrã, tanquã domum unam, ipsa quæ ex corporibus mundi reddita est umbra, his quæ intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit. Sed cum uoluntas dei introduxisset lucem, tenebrę illæ quę ex umbra corporũ factæ fuerant, cõtinuò deuoratæ sunt: tunc deinde lux in diem, tenebræ deputantur in noctem. Iam uero aqua,

Æternas uoluntates appellat filium & spiritũ sanctum.

†*consilio*

Artium liberaliũ quis debeat esse scopus.

Summa religionis nostræ in uno deo consistit.

†*quidem*

Lux.

Tenebræ.

aqua, quæ erat intra mundum, in medio primi illius cœli, terræq; spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata distenditur, & huiusmodi firmamento uelut interluduntur media cœli ac terrę spatia, idq; firmamentũ cœlum conditor appellauit, antiquioris illius uocabulo nuncupatũ, & ita totius mundi machinam, cum una domus esset, in duas diuidit regiones. Diuisionis autem hæc fuit causa, ut superna regio angelis habitaculũ, inferior uero præberet hominibus. Post hęc quod reliquum fuit in inferioribus aquarũ, iussu uoluntatis æternæ, locus maris & chaos effectum recipit, eisq; ad demersa & cõcaua defluentibus, arida quidẽ apparuit terra. Congregationes autem aquarum, effecta sunt maria. Et post hæc terra quę apparuerat, herbarũ & uirgultorũ diuersa genera produxit, fontes quoq; & fluuios, nõ solum in planis, sed & in montibus protulit: & sic cuncta præparata sunt, ut hominibus qui habitarẽt in ea, esset facultas his omnibus pro arbitrio uti, id est, siue ad bona uelint, siue etiam ad mala. Post hæc stellis adornat cœlum istud uisibile. Solem quoq; & lunã ponit in eo, ut alterius lumine dies, & nox uteretur alterius: simulq; ut essent indicio rerum præteritarũ, præsentiũ, & futurarũ. Pro signis enim temporum facta sunt ac dierũ, quę uidentur quidem ab omnibus, intelliguntur autẽ ab eruditis & intelligẽtibus solis. Cumq; post hæc de terra & aquis produci iussisset animantia, Paradisum fecit, quem & deliciarũ locum nominauit. Post hęc autem omnia hominẽ fecit, propter quem cuncta præparauerat, cuius interna species est antiquior, & ob cuius causam omnia quæ sunt, facta sunt, ministerio eius concessa, & habitationis eius usibus data. Igitur consummatis omnibus quæ in cœlo & in terris sunt, atq; in aquis, multiplicato etiam hominũ genere, octaua generatione homines iusti qui angelorum uixerant uitam, inlecti pulchritudine mulierũ, ad promiscuos, & inlicitos concubitos declinauerunt, & inde iam indiscrete & contra ordinem cuncta agentes, statum rerum humanarũ & diuinitus traditum uitæ ordinem permutarunt, ita ut omnes homines, uel persuasione, uel ui peccare in creatorẽ suum cogerent deum. Ex nona generatione nascũtur Gigantes, illi qui à seculo nominantur: non δ ̓εκοντόπτοδλας, ut Grecorũ fabulę ferunt: sed immensis corporibus ęditi, quorum adhuc ad indicium in nõnullis locis ossa immensę magnitudinis ostenduntur. Sed aduersum hos iusta dei prouidentia diluuium mundo introduxit, ut orbis quidem terrarum ab eorum cõtagione diluueretur: omnis uero locus ab impiorũ nece uerteretur in pelagus. Vnus tamẽ tunc inuẽtus est iustus, nomine Noë, qui in arca cum tribus filijs, eorumq; uxoribus liberatus, post aquarũ decursus, cum his animalibus quæ secum clauserat, & seminibus, mundi habitator effectus est. Duodecima generatione cum deus benedixisset homines, & multiplicari cœpissent, acceperũt præceptũ, ne sanguinẽ degustarent: propter hoc enim etiam diluuium factum est. Tertiadecima generatione cum ex tribus filijs Noë, unus qui erat medius, patri fecisset iniuriam, posteritati suæ ex maledicto conditionẽ seruitutis induxit, cuius interim senior frater habitationis sortem, eam quæ est in medio terræ, suscepit, in qua est regio Iudææ. Iunior uero Orientis plagam sortitus est: ipse autem Occidẽtis accepit. Quartadecima uero generatione ex maledicta progenie quidã propter artem magicam primus aram statuit dæmonibus, honorem sanguinis litans. Quinta decima generatione primo omniũ homines idolũ statuentes, adorauerunt: & usq; ad illud tempus diuinitus humano generi data Hebræorum lingua, tenuit monarchiam. Sextadecima generatione mouerunt se ab Oriente filij hominũ, & uenientes ad terras patrum suorũ, unusquisq; sortis suæ locum propria uocabuli appellatione signauit. Septimadecima generatione apud Babyloniam Nemroth primus regnauit, urbemq; construxit, & inde migrauit ad Persas, eosq; ignem colere docuit. Octauadecima generatione muratę urbes factę sunt, & exercitus instituti, armaq; & iudices, legesq; sancitę, templa constructa, & principes gentium tanquam

Aquæ.

Cœlum.

Maria.

Terra.

Fontes.

Caue intelligas hic superstitiosam Astrologiam, quã nonus liber insectatur: sed quod ex huiusmodi prodigijs, qualia tẽpore Ezechiæ, Iosue, aduẽtus & paßionis Christi, et iudicij die futura sint, liceat diuinare aliũ statum rerum.

Gen. 6.

Diluuium.

Noë iustus.

Gen. 9.

Cham seruorum pater.

Gen. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dij adorati sunt. Nonadecima generatione posteri illius, qui post diluuium maledictus est, proprios terminos excedentes, quos in Occidentalibus partibus sorte suasceperant, eos qui medium terrę fuerant sortiti locum, in terras Orientis expellūt, & usq; ad Persidem fugant, ipsiq; in expulsorum locis iniqua sorte succedunt. Vicesima generatione ob incesti crimen primus morte propria filius ante patrem defunctus est. Vicesimaprima generatione extitit uir quidam sapiens, ex genere eorum qui fuerunt expulsi, ex semine primogeniti filiorū Noë, nomine Abraham, à quo nostrum Hebræorū ducitur genus. Hic cum uniuersus iterum mundus diuersis erroribus esset oppressus, & pro immanitate scelerum maturū ei pararetur excidium, non iam per aquam, sed per ignem: cumq; iam plaga initio à Sodomis sumpto, immineret & uniuerso orbi terrarum, pro amicitijs (quibus erat ei familiaritas cum deo) cui bene placuerat, uniuersum mundum ne pariter periret, eripuit. Ab initio tamen cæteris omnibus errantibus, ipse cum arte esset astrologus, ex ratione & ordine stellarum agnoscere potuit conditorē, eiusq; prouidentia intellexit cuncta moderari. Vnde & angelus adsistens ei per uisionem, plenius eum de his quæ sentire cœpit, edocuit. Sed & quid generi eius ac posteritati deberetur, ostendit, & non tam eis danda hæc loca quàm reddenda promisit. Igitur Abraham cum rerum causas desideraret agnoscere, idq; secum intenta mente peruolueret, apparuit ei uerus propheta, qui solus omniū corda & propositum nouit, & omnia ei quæ deside-
rabat aperuit, diuinitatis scientiā docuit, mundi originem, finemq; pariter indicauit. Animæ immortalitatē ac uiuendi instituta, quibus deo placeretur, ostendit. Resurrecturos quoq; mortuos, ac iudicium futurū, bonorum remunerationē, malorum pœnas, iusto cuncta moderanda iudicio, declarauit. Omnibusq; rite ac sufficienter edoctis, ad sedes rursus inuisibiles secessit. Verum cum adhuc Abraham in ignorantia uersaretur, sicut tibi & antea iam diximus, nati sunt ei filij duo, quorum unus Ismaël, alius Heliesdros appellati sunt. Ex alio Barbaræ gentes, ex alio Persarum populi descendunt: è quibus nonnulli Bracmanorū uitam, & uicina instituta sectati sunt. Alij apud Arabiam consederunt, ex quorum posteris nonnulli etiam in Aegyptū dispersi sunt. Inde denicq; & Indorum quidam & Aegyptiorū circuncidi didicere, ac purioris obseruantię esse quàm cæteri, licet processu tēporis quamplurimi eorum ad impietatem uerterēt argumentū & iudicium castitatis. Verumtamen cum hos duos filios tempore quo adhuc in ignorantia rerum uixerat, suscepisset, dei agnitione percepta petit ab eo, qui erat iustus, ut ex Sara, quæ ei erat coniunx legitima, cum esset sterilis, habere progeniem mereretur: & accepit: quem & Isaac nominauit, ex quo natus est Iacob, de Iacob autē XII. patriarchæ, & ex ipsis duodecim septuagintaduo. Hi fame exorta Aegyptū ueniūt cum omni domo sua, & intra annos CCCC. benedictione & promissione dei multiplicati, adfligebantur ab Aegyptijs. Cumq; affligerētur, apparuit uerus propheta Moysi, & Aegyptios quidem resistentes, ne Hebræorū populus exiret ab eis, & rediret ad patriā terram, decem plagis cœlestibus affecit: populum uero dei eduxit ex Aegypto. Sed qui superfuerant ex Aegyptijs, conspirati cum animositate regis sui insequuti sunt Hebræos: quos cum periissent super littus maris, & interimere omnes, ac delere cogitarent, Moyses oratione ad deum fusa, mare in duas partes diuisit, ita ut aqua dextera leuaq; quasi gelu concreta teneretur: & populus quidem dei transiret uelut iter aridum, insequentes uero eos Aegyptij temere ingressi necarentur. Vbi enim ultimus ex Hebræorū populo ascendit, Aegyptiorū quoq; ultimus descendit in mare, & continuò aquæ maris, quæ ut gelu constrictę tenebantur, præcepto eius qui constrinxerat, relaxatæ, pœna de impiorū populo recepta, naturæ suæ libertatē sumpserunt. Post hæc Moyses, dei omnia prouidentis præcepto, Hebræorū populum eduxit in desertum, & iter breuissimū, quod fert de Aegypto ad Iudęam, relinquens, per lon-

Bellorū origo.
Gen.17.
Gen.15.
Psal.7.
Act.1.
Abraham.
Ismaël.
Gen.17.
Heliesdros.
Isaac.
Iacob.
XII.patriarchæ.
X.plagæ.
Exodi 7.
Exodi 14.
In deserto Sur.
Psalmo 117.

per longos eremi plebem ducit anfractus, ut quadraginta annorū exercitijs, mala quæ eis ex Aegyptiorū moribus usu longi temporis inoleuerant, innouatione mutatæ consuetudinis aboleret. Interea uenitur ad montem Sina, & inde lex eis, uocibus & uisionibus cœlestibus traditur, decem conscripta præceptis, quorū primum & maximum fuit, ut ipsum solum colerent deum, nec ullam sibi aliam speciem uel formam statuerent ad colendum. Sed cum Moyses ascendisset ad montē, ibiq; diebus quadraginta moraretur, populus qui decem plagis percussam uiderat Aegyptum, & disruptum mare, ac pedibus ingressum, manna quoq; sibi pro pane cœlitus datum, & ex sequenti petra poculum ministratū, quæ species cibi per uirtutem dei, in quem quisq; desiderasset uerteretur saporem: cumq; sub plaga cœli ardentio re positi, ne æstibus coquerentur, nube obumbrabantur in die, nocte uero columna ignis inluminabantur, ne ad eremi uastitatem horror quoq; accederet tenebrarum. Cum, inquam, moraretur Moyses, ipsi secundū speciem Apidis, quem coli in Aegypto uiderant, aureū caput uituli facientes adorauerunt. Et post tot ac tanta, quæ uiderant mirabilia, ueteris cōsuetudinis sordes elimare à se, atq; abstergere nequiuerūt: & ob hoc breui spatio iter, quod ex Aegypto ducit ad Iudæā relinquens, immenso eremi ambitu egit eos Moyses, si fortè posset, ut superius memorauimus, uetustæ cōsuetudinis mala nouellæ institutionis permutatione discutere. Cum interim fidelis & prudens dispensator Moyses peruidens populo ex Aegyptiorum consortio altius inoleuisse uitium idolis immolandi, nec posse de eis radicem mali huius excidi, immolare quidem eis concessit, sed deo soli hoc fieri permisit, ut mediam quodāmodo partem uitij altius inoliti resecaret. Aliam uero mediā, per aliud & aliud tempus reseruaret emendandā, per illum scilicet, de quo ipse dixit: Prophetam uobis suscitabit dominus deus uester, quem sicut meipsum audite, secundum omnia quæ dixerit uobis. Quicunq; non audierit prophetā illum, exterminabitur anima eius de populo suo. Ad hæc autem etiam locū statuit, in quo solo liceret eis immolare deo. Hoc autem totum eo prospectu gerebat, ut cum tempus opportunum uenisset, & didicissent per prophetā, quia deus misericordiam uult, & non sacrificium: uiderent eum qui eos doceret locum dei electum, esse sapientiā eius, in quo conuenirent offerri hostias deo. Hunc autem locum, qui ad tempus uidebatur electus, incursionibus hostiū & excidijs sæpe uexatum, & ad ultimum quoq; audirent penitus excidendum: ad cuius rei fidem etiam ante aduentum ueri prophetæ, qui esset hostias cum loco pariter repudiaturus, sæpe ab hostibus populatus est, & igni incensus, atq; in captiuitatē populus abductus, in exteras nationes: & exinde cum ad misericordiā dei confugeret, reuocatus est: ut per hæc doceretur, quia sacrificia offerens expellitur, & in manus hostium traditur. Misericordiā uero faciēs & iustitiam, sine sacrificijs de captiuitate liberatur, & in terram patriā restituitur. Sed hoc intelligere paucos admodum accidit. Plures enim etiam si sentire hæc & aduertere poterant, uulgi tamen inrationali opinione tenebantur. Paucorū nanq; est recta cum libertate sententia. Igitur Moyses his ą̨dministratis Ansen quendam nomine præponens populo, qui eos reuocaret ad patriam terrā, ipse ad montem quendam præcepto dei uiuētis ascendens, illic defunctus est: cuius tamē talis fuit mors, ut usq; in hodiernum diem sepulturā eius nullus inuenerit. Vt ergo populus patrium contigit solum per prouidentiam dei, primo statim ingressu iniquarum gentium habitatores fugantur, & ipsi hæreditatē paternā iudices sorte suscipiunt. Tum deinde per aliquantum temporis iudicibus, non regibus gubernati, statu tranquilliore durarunt. Vbi uero tyrannos sibi magis quæsiuere, quàm reges, tunc etiam in loco, qui eis orationis causa fuerat prædestinatus, templū pro ambitione regia construxere: & sic per ordinem regibus impijs sibi inuicē succedētibus, ad maiores impietates etiā populus declinauit. Vt autem tempus adesse cœpit, quo id quod de-

Exodi 20.
X. præcepta.
Deut.8.
Apis Aegyptiorum deus.
Exod.32.
In uitijs corrigendis quid obseruandum.
Deut.18.
Osee.6.
Matth.8.
In Christo, qui sapientia est patris, hostia oblata est.
Anses qui & Iosue dictus.
Deut.34.
Magnificatem pla cœpta construi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset Moysis institutis, ut diximus, impleret, & propheta quem præcinuerat appareret, qui eos primo per misericordiã dei moneret cessare à sacrificijs: & ne forte putarent, cessantibus hostijs remissionẽ sibi nõ fieri peccatorũ, baptisma eis per aquã statuit, in quo ab omnibus peccatis, inuocato eius nomine, soluerentur: & de reliquo perfectam uitam sequentes, in immortalitate durarent: non pecudũ sanguine, sed sapientiæ dei purificatione purgati. Denicq; etiam hoc ponitur euidens magni mysterij huius indiciũ, ut omnis qui credens prophetæ huic, qui à Moyse prædictus est, baptizaretur in nomine ipsius, ab excidio belli, quod incredulæ genti imminet, ac loco ipsi, seruaretur inlæsus: non credentes uero extorres loco & regno fiant, ut uel inuiti intelligãt, & obediant uoluntati dei. His igitur præordinatis, adest qui expectabatur, indicia sui, quibus fieret manifestus, signa & prodigia deferens. Sed ne sic quidem populus credidit, qui ad hæc credenda tot seculis eruditus est: & non solum nõ credidit, sed addidit infidelitatis blasphemiam, uoracem hominem, & uentri seruientem, ac dæmone agi eum, qui ob salutem suam uenerat, dicens: in tantum nequitia, malorũ ministerijs ualet: quod nisi sapientia dei adfuisset his, qui diligunt ueritatẽ, omnes penè simul impius error inuoluerat. Nos ergo primos elegit duodecim sibi credentes, quos Apostolos nominauit. Postmodum alios septuaginta duos probatissimos discipulos, ut uel hoc modo recognita imagine Moysis, crederet multitudo: quia hic est quem prædixit Moyses uenturũ prophetam. Sed fortassis dicat aliquis, quia imitari numerũ cuicunq; possibile est, at quid de signis & uirtutibus dicet, quæ iste faciebat? Etenim Moyses uirtutes & sanitates fecerat in Aegypto. Is quoq; quem ipse prædixit sicut seipsum surrecturũ prophetam, cum omnem languorẽ, & omnem infirmitatẽ curaret in plebe, uirtutes faceret innumeras, uitam euangelizaret ęternã, ab impijs actus est in crucem: quod tamen factum, uirtute eius conuersum est in bonum. Denicq; cum pateretur, omnis ei cõpassus est mundus: nam & sol obscuratus est, & astra turbata sunt: mare commotum est, montesq; disrupti, & sepulchra patefacta sunt: uelum templi scissum est, uelut lamentans excidium loco imminens. Et tamen cum omnis mundus commotus sit, ipsi etiam nunc ad inquisitionem tantarum rerum nullatenus cõmouentur. Verum quoniam necessariũ erat, ut in locum eorum, qui increduli permanebant, uocarentẽ gentes, ut repleretur ille numerus, qui demonstratus fuerat Abrahæ, mittitur in uniuersum mundũ salutaris regni dei prædicatio. Perturbantur ob hoc mundani spiritus, qui libertatẽ quærentibus semper obsistunt, & ad destruendam dei ædificationẽ errorum machinas quærunt, quibus his qui ad salutis & libertatis gloriã tendunt, obsistentes, & agones aduersum eos nõ minimos desudantes, fortiores effecti, ad salutis coronã ueniant, non sine palma uictoriæ. Interim cum passus esset, & ab hora sexta usq; ad nonam mundũ tenebræ pressissent, sole reducto, ac rebus in ordinẽ restitutis, etiã homines nequã ad se atq; ad mores suos, metu cessante, regressi sunt. Nam quidam eorũ cum omni custodia seruãtes locũ, quem non potuere resurgentẽ tenere, magum dicebant: alij finxerunt furatum. Verum tamen ueritas ubiq; uincebat. Ad indicium enim, quod hæc diuina uirtute agerentur, nos qui fueramus paucissimi, processu dierum, adstipulante deo, multo plures quàm illi efficiebamur: ita ut aliquando pertimescerent sacerdotes, ne forte per dei prouidentiam, ad confusionẽ ipsorum, in fidem nostram uniuersus populus conueniret: frequenter mittentes ad nos, rogabant, ut eis de Iesu dissereremus, si ipse esset propheta, quem Moyses prędixit, qui est Christus ęternus. De hoc enim solo, nobis qui credidimus in Iesum, aduersum non credentes Iudæos, uidetur esse differentia. Verum cum frequenter super hoc rogarent, nos autem opportunum tempus requireremus, septimana iam una ex passione domini complebatur annorum, & ecclesia domini in Hierusalem constituta, copiosissime multiplicata crescebat per

Baptismus in loco sacrificiorum cessit. *Hebr. ult.*

In locũ Iudæorũ uocatæ sunt gentes.

Tenebræ Christo patiente.

Ioan. 7.

Ioan. 11.

Iudæi Christum nõ credunt aduenisse.

bat per Iacobum, qui à domino ordinatus est in episcopum, rectissimis dispensationibus gubernata.

Iacobus à Christo ordinatus episcopus.

Cum autem nos duodecim apostoli ad diem paschæ, cum ingenti multitudine conuenissemus, ingressi ecclesiã fratrum, unusquisq; nostrũm Iacobo interrogante, quæ à nobis per loca singula gesta sint, audiente populo, breuiter exponimus. In quibus Caiphas pontifex, missis ad nos sacerdotibus, rogat uenire ad se, ut aut ratione doceamus eum, quia Iesus ęternus est Christus: aut ipse nos doceat, quia non est, quõ in utramlibet fidem uniuersus populus conueniret: & hoc facere nos frequenter exorat. Nos uero sæpe distulimus, tempus semper opportunius requirentes. Et ego CLEMENS respondi ad hoc, puto hoc ipsum quod quæritur, utrum ipse sit Christus, multum prosit ad fidei rationem: alioqui nunquam Pontifex pro hoc tam frequenter rogaret, ut de Christo uel disceret, uel doceret. Et PETRVS: Recte respondisti ô CLEMENS. Sicut enim sine oculis cernere nemo potest, nec sine auribus capere auditum, uel absq; naribus odoratum, neq; sine lingua gustum sumere, aut absq; manibus aliquid contrectare: ita impossibile est absq; uero propheta, quæ deo placeant noscere. Et ego respondi: Quod ipse sit uerus propheta Christus, te docente iam didici: sed quid sit hoc ipsum Christus, aut cur ita appelletur, uelim discere, uti ne uaga mihi sit & incerta res tantæ notitiæ. Tunc PETRVS docere me hoc modo cœpit. Deus cum fecisset mundum, tanquam uniuersitatis dominus, singulis quibusq; creaturis principes statuit, ipsis quoq; arboribus, montibusq;, ac fontibus, & fluminibus, & uniuersis, ut diximus, quæ fecerat. Multum enim est ire per singula. Statuit ergo angelis angelum principem, & spiritibus spiritum, syderibus sydus, dæmonibus dæmonem, auibus auem, bestijs bestiam, serpentem serpentibus, piscem piscibus, hominibus hominẽ, qui est Christus Iesus. Christus autem dicitur eximio quodam religionis ritu: nam sicut regum sunt quædam cõmunia nomina, ita ut apud Persas Arsaces, apud Romanos Cęsar, apud Aegyptios Pharao, ita apud Iudæos Christus communi nomine rex appellatur. Causa autem huius appellationis hæc est. Quoniam quidẽ cum esset filius dei & initium omnium, homo factus est: hunc primum pater oleo perunxit, quod ex ligno uitæ fuerat sumptum: ex illo ergo unguento Christus appellatur. Inde denicq; etiam ipse secundũ prædestinationem patris, pios quosq; cum ad regnum eius peruenerint, uelut qui asperam superauerint uiam, pro laborũ refectione simili oleo perunget, ut & ipsorum lux luceat, & spiritu sancto repleti, immortalitate donentur. Virguli uero huius, ex quo sumptum est istud unguentum, uniuersam naturam tibi sufficienter exposuisse me memini. Sed & nunc per breuissimam speciem de omnibus te in memoriam reuocabo. In præsenti uita primus pontifex Aaron, chrismatis compositione perunctus: quod ad imaginem illius, de quo suprà diximus, spiritalis unguenti factũ est: princeps populi fuit, & tanquã rex primitias & tributum per capita accepit à populo, & iudicandi plebem sorte susceptã, de mundis, immundisq; iudicabat. Sed & si quis alius ex ipso unguento perunctus est, tanquam uirtute inde concepta, etiam ipse rex, aut propheta fiebat, aut pontifex. Quod si temporalis hæc gratia ab hominibus composita, tantũ potuit: intellige iam tu quantum sit illud unguentum, quod à deo de uirgulto uitę prolatum est, cum hoc quod ab hominibus factũ est, tam eximias inter homines conferat dignitates. Quid enim in præsenti seculo propheta gloriosius, pontifice clarius, rege sublimius? Et ego ad hæc respondi: Memini PETRE dixisse te de primo homine, quia propheta fuit: quod autem unctus fuerit, non dixisti. Si ergo sine unguento propheta nullus est, quomodo primus homo cum non esset unctus fuit propheta? Tum subridens PETRVS: Si primus, inquit, homo prophetauit, certum est quod & unctus sit. Licet enim unctionem illius siluerit ille qui legem in paginis condidit: nobis tamen intel

In omni genere creaturarũ statuit deus principes.

Christus quare dicatur.

Apud Iudæos rex Christus dicitur cõmuni nomine.

Chrismate ungebantur reges & prophetæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligenda hæc euidenter reliquit. Sicut enim si unctum eum dixisset, non dubitare-
tur & prophetam eum fuisse, etiam si scriptum non esset in lege: ita cum certum sit
eum prophetam fuisse, similiter certum est & quod unctus sit, quia sine unguento
Sine unguento nemo prophetabat. prophetare non poterat. Verū hoc magis dicere te oportuit, chrisma arte myropo-
lica compositum est ab Aaron, quomodo primus homo perungi potuit unguento
ante cōpositionis artibus nondū repertis? Et ego respondi: Non me traducas PE-
TRE, non enim de unguenti compositi & temporali oleo loquor, sed de illo sim-
plici & æterno, quod à deo factum esse docuisti, ad cuius similitudinem istud com-
positum esse ab hominibus dicis. Et PETRVS ad hæc ut uidebatur indignans:
Quid putas CLEMENS, quia omnes omnia ante tempus scire possumus? sed
nunc uti ne à proposito sermone recedamus, aliàs tibi, cum profectus tuus mani-
festus fuerit, de his apertius exponemus. Tunc autem unguento compositio per-
unctus pontifex, uel propheta dei altare succendens, in omni mundo clarus habe-
batur: sed post Aaron qui pontifex fuit, alius ex aquis adsumitur, non Moysen di-
co, sed illū qui in aquis baptismi, filius à deo appellatus est. Iesus nancq; est, qui ignē
illum quem accendebat pontifex pro peccatis, restinxit per baptismi gratiam: ex
quo enim hic apparuit, cessauit chrisma, per quod pontificatus præbebatur, uel
Abrahamum intelligit. prophetia, uel regnum. Hunc igitur ante futurum prædixit Moyses, qui legem
dei hominibus tradidit: sed & alius ante ipsum, sicut tibi & ante iam tradidi. Ipse er-
go indicauit eum uenturum, primo quidem aduentu humilem: secundo uero glo-
Duplex aduentus domini. riosum. Et primum quidem iam impletum est, cum uenit & docuit, & iudex om-
nium iudicatus est, ac peremptus. Secundo uero aduentu iudicaturus aduenie: &
impios quidem condemnabit, pios uero in consortiū regni, societatemq; suscipiet.
Fides uero secundi aduentus constat ex primo. Prophetæ enim de primo loquuti
Fides prophetiæ unde probetur. sunt, & præcipue Iacob & Moyses: nonnulla tamen de secundo. Sed magnificen-
tia prophetiæ in hoc maxime comprobatur, quod nihil secundum consequentiam
rerum, de futuris dixerunt: alioqui æstimasse potius sapientes uiri, quod rerū con-
sequentia dictauerat, uiderentur. Quod autem dico, tale est: Christum suscipi à Iu-
deis, ad quos uenerat: & credi ei, qui expectabatur ad salutem populi, secundū tra-
ditiones patrum consequens erat: gentes uero alienas ab eo fore, quibus neq; pro-
missum quicquam de eo, neq; adnūciatum fuerat, imò quibus ne nomine quidem
ipso aliquando innotuerat, & tamē prophetæ contra ordinem & consequentiam
rerum, dixere eum expectationem gentium, & non Iudæorum futurum. Ita deni-
que & gestum est. Cum enim uenisset, ab his qui eum expectare uidebantur, ex
traditione maiorum, omnino agnitus non est. Hi uero qui nihil de ipso penitus au-
dierant, & uenisse credunt, & uenturum sperant: & ita in omnibus prophetia fide-
Iudæi à Christianis in quo dissentiant. lis apparuit, quæ dixit ipsum esse expectationem gentium. Errauerunt ergo Iudei,
de primo domini aduentu, & inter nos atq; ipsos de hoc est solum dissidium. Nam
quod uenturus sit Christus norunt etiam ipsi, & expectant: quod autem iam ue-
nerit in humilitate, hic qui dicitur Iesus, ignorant. Et in hoc maxime eius cōfirma-
tur aduentus, quod ei non omnes credunt. Hunc ergo deus destinauit in finem un
di, quia impossibile erat mortalium mala purgari per alium, integra duntaxat per-
manente humani generis creatura, hoc est, salua arbitrij libertate. Hoc igitur statu
incolumi reseruato, inuitare uenit ad regnum iustos quosque, & eos qui placere
stud uerint ei, & quibus bona ineffabilia præparauit, & Hierusalem ciuitatem cœ-
lestem, quę super splendorem solis fulgebit in habitatione sanctorum. Iniustos ue-
ro & impios, & qui pro nihilo habuerunt deum, commissamq; sibi uitam, diuer-
sa ad flagitia contulerunt, ac tempus operis iusti, exercitium fecere malitię, compe-
tentibus, ipsisq; dignis ultionibus traderet. Cætera uero quæ ibi gerentur, proferi
& eloqui, neq; angelis, neq; hominibus fas est: sed hoc tantum scire nos sufficit,
quod

quod bonis æternam bonorum possessionem conferet deus. His ab eo dictis, ego
respondi: Si Christi regno fruentur, hi quos iustos inuenerit eius aduentus: ergo
qui ante aduentum eius defuncti sunt, regno penitus carebunt? Tum PETRVS:
Cogis me, inquit, ô CLEMENS, aliqua de ineffabilibus publicare. Veruntamen quo adusque proferri licet, facere non pigebit. Christus qui ab initio, & sem-
per erat, per singulas quasque generationes pijs, latenter licet, semper tamen ade-
rat, his præcipue, à quibus expectabatur, quibusq; frequenter apparuit: sed non
erat tempus ut tunc resolutis corporibus, fieret resurrectio, sed hæc magis remu-
neratio uidebatur à deo, ut qui inueniretur iustus, diutius permaneret in corpore:
aut certe sicut de quodam iusto euidenter refertur in literis legis, quod transtulerit
Enoch intelligit de quo Gene. 5. & Eccl. 44. eum deus. Simili exemplo etiam cum cæteris gestum est, qui eius uoluntati pla-
cuerunt, ut ad paradisum translati, seruentur ad regnum. Eorum uero qui non ad
integrum potuere explere normam iustitiæ, sed aliquas in sua carne malitiæ reli-
quias habuere, corpora quidem resoluuntur, animæ uero seruantur in bonis, læ-
Petrus hic sentit, animas defunctorū detineri alicubi in loco læto & bono, usque in iudicij diem: illamq; resolutionem corporis & animæ quoddā esse expiationis genus, quod nunc tulago purgatoriū appellamus. tisq; regionibus, ut in resurrectione mortuorum cum corpora sua receperint, ipsa
iam resolutione purgata, pro his quæ bene gesserant, æterna hæreditate potian-
tur. Et ideo beati sunt omnes, qui regnum Christi fuerint adepti, quia non solū in-
ferni pœnas effugient, sed & incorruptibiles permanebūt, & primi deum patrem
uidebunt, atq; inter primos apud deum honoris ordinem consequentur. Propter
quod non minima de Christo quæstio habetur, & infideles quiq; ex Iudæis immen
sa aduersum nos insania commouentur, uerentes ne forte ipse sit in quem pecca-
uerunt. Et eo magis metus increscit, quod sciunt statim ut eum cruci adfixere, uni-
uersum ei compassum esse mundum, corpusq; eius diligenti à se custodia conser-
uatum, nusquam comparuisse, atq; ad fidem nominis eius innumeras multitudi-
nes conuenire. Vnde & compulsi sunt unà cum pontifice Caipha, sæpius mittere
ad nos, ut de nominis eius ueritate quæreretur. Cumq; crebrò deposcerent, ut de
Iesu aut discerent, aut docerent, si ipse esset Christus: uisum nobis est ascendere
ad templum, & coram omni populo protestari de eo, simul & arguere Iudæos de
multis, quæ ab eis absurde gerebantur. In multas etenim iam partes populus scin-
debatur, initio sumpto à Ioanne baptista. Cum enim iam immineret ortus Christi,
ad sacrificia quidem reprimenda, baptismi uero gratiam largiendam, inimicus, ex
his quæ prædicta fuerant, adesse tempus intelligens, diuersa schismata operabatur
in populo, ut si forte prius peccatum potuisset aboleri, secunda corrigi culpa non
Primū schisma Sadducæorum. posset. Erat ergo primum schisma eorum qui dicebantur Sadducæi, initio Ioannis
iam penè temporibus sumpto. Hiq;, ut cæteris iustiores, segregare se cœpere à po-
puli cœtu, & mortuorum resurrectionem negare, idq; argumento infidelitatis ad-
ferere, dicentes, nō esse dignum, ut quasi sub mercede proposita colatur deus. Au-
tor uero sententiæ huius primus Dositheus, secundus Simon fuit. Aliud Sama-
Dositheus et Simon principes Sadducæorum. ræum schisma est, & ipsi enim resurrectionem mortuorum negantes, adserūt, non
in Hierosolymis, sed in monte Garizin adorandū esse deū. Qui tamē unū uerum
prophetam ex Moysis uaticinationibus recte expectantes, prauitate Dosithei im-
peditі sunt, ne hunc quem expectabant crederent esse Iesum. Scribę quoq; & pha
Pharisæorū secundū schisma. risæi in aliud schisma deducuntur: sed hi baptizati à Ioanne, & uelut clauem regni
cœlorum, uerbum ueritatis tenentes, ex Moysis traditione susceptum, occultarūt
ab auribus populi. Sed & ex discipulis Ioannis, qui uidebantur esse magni, segre-
Discipuli Ioannis iniquiores erant Christo præ suo præceptore. garunt se à populo, & magistrum suum ueluti Christum prædicarunt. Hæc au-
tem omnia præparata sunt schismata, ut & fides Christi per hęc impediretur & ba-
ptisma. Veruntamen ut dicere cœperamus, cum frequenter nos pontifex per sa-
cerdotes rogasset, ut de Iesu sermo nobis haberetur ad alterutrum, ubi opportu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num uisum est, & omni ecclesiæ placuit, ascendimus ad templum: & stantes in gradibus unà cum fidelibus fratribus nostris, facto populi summo silentio, prior Pontifex cœpit adhortari populum, ut patienter & cum quiete audiant, simulq; eorum quæ dicenda sunt, testes & iudices fiant. Tum deinde cum multis laudibus efferrent sacrificiorum ritum, qui ad remissionem peccatorum humano generi, diuinitus esset indultus, causabatur Iesu nostri baptisma, uelut contra hæc nuper inductum. Sed propositionibus occurrens MATTHAEVS, euidenter ostendit, Quod si quis Iesu baptisma non fuerit consequutus, is non solum cœlorum regno fraudabitur, uerum & in resurrectione mortuorum non absque periculo erit, etiam si bonæ uitæ, & rectæ mentis prærogatiua muniatur. Hæc, & his similia prosequutus, siluit Matthæus. Sed Sadducæorum pars, quæ negaret resurrectionem mortuorum, indignata est: ita ut quidam ex ipsis de medio populi exclamaret, dicens multum errare, eos qui putant mortuos aliquando resurgere. Contra hunc Andreas meus frater respondens, docuit errorem non esse, sed certissimam fidem, quod mortui resurgant, secundum ea quæ docuit is, quem Moyses prædixit uenturum prophetam. Aut si non uidetur eis ipse esse quem prædixit Moyses, de hoc, inquit, primo requiratur, ut cum euidenter ipse fuerit probatus, nihil de reliquo super his quæ docuit ambigatur. Hæc autem, & his similia plura protestatus, siluit Andreas. Samaræus uero quidam contraria populo & deo loquens, & neque mortuos adferens resurrecturos, neq; eum, qui est in Hierusalem, cultum dei tenendum, sed montem Garizin uenerandum. Addidit etiam contra nos hæc, quod Iesus noster non esset ipse, quem Moyses prophetam uenturum esse prædixerit. Aduersum hunc & alium qui cum ipso hæc eadem prosequebatur, Zebedæi filij, Iacob, & Ioannes uehementer obnisi sunt. Et quamuis haberent mandatum, ne ingrederentur ciuitates eorum, neque uerbum eis prædicationis inferrent, tamen ne sermo eorum, si confutatus non esset, aliorum læderet fidem, ita prudenter & fortiter responderunt, ut perpetuum eis silentium darent. Nam Iacobus de resurrectione mortuorum cum totius populi fauore perorauit: Ioannes uero ostendit, quia si cessarent ab errore montis Garizin, consequenter agnoscerent ipsum esse Iesum, qui, secundum prophetam Moysen, expectatur esse uenturus: quoniam quidem signa & prodigia ut fecit Moyses, ita fecit etiam Iesus: & dubium non est, quin similitudo signorum ipsum esse testetur, quem sicut se, dixit esse uenturum. Hæc & alia plura his similia protestati, siluere: & ecce quidam de scribis, de medio populi adclamans, ait: Iesus uester signa & prodigia quæ fecit, ut magus, non ut propheta fecit. Huic Philippus uehementer occurrit, ostendens, quia hac ratione accusarem etiam Moysen. Cum enim Moyses signa & prodigia in Aegypto fecerit, similiter autem & Iesus in Iudæa: dubitari non posset, quin quod de Iesu diceretur, hoc etiam de Moyse dici uideretur. Hæc & his similia plura protestatus, siluit Philippus. Pharisæus autem quidam audiens hæc, insimulabat Philippum, quod Moysen æqualem diceret Iesu. Cui Bartholomæus respondens, constanter edocuit, quia non dicimus Iesum solum æqualem Moysi, sed maiorem: quia Moyses quidem propheta fuit, quod fuit & Iesus: quod autem fuit Iesus, Moyses non fuit, Christus. Et ideo maior ille sine dubio, qui & propheta & Christus est, quàm ille qui solũ propheta est. Hæc & his similia plura prosequutus, siluit. Post hunc Iacobus Alphæi sermonem fecit ad populum, quo ostenderet, non ideo credendum esse Iesu, quia de eo prophetæ prædixerint: sed ideo magis credendum esse prophetis, quod uere prophetæ sint, quia eis Christus testimonium reddat. Nam præsentia, & aduentus Christi, illos uere prophe-

Baptismus Iudæos male habuit.

Hæc, opinor, fuit causa, quur Ammonius de consonantia Iesu & Moysi librum conscriberet, ut testatur Eusebius.

Tres fuisse Iacobos, hinc intelligimus.

tas fuisse designat. Decebat enim non ab inferioribus maiori, sed à maiore inferioribus fidei testimouium dari. Hæc & multa his similia prosequutus, etiam Iacobus siluit. Post hunc Lebbæus populum cœpit uehementer arguere, quod non crederent Iesu, qui eis tantum profuerit docendo quæ dei sunt, solando adflictos, medendo infirmos, pauperes consolando: sed pro his omnibus bonis, odia, mortemq; reddiderint. Hæc & his similia plura cum esset populo protestatus, siluit. Et ecce unus ex discipulis Ioannis adfirmabat Christum Ioannem fuisse, & non Iesum: in tantum, inquit, ut & ipse Iesus omnibus hominibus & prophetis maiorem esse pronunciauerit Ioannem. Si ergo, inquit, maior est omnibus, sine dubio & Moyse, & ipso Iesu maior habendus est. Quod si omnium maior est, ipse est Christus. Ad hæc Chananæus SIMON respondens, adseruit Ioannem maiorem quidem fuisse omnibus prophetis, & omnibus qui sunt filij mulierum: non tamen maiorem esse filio hominis: & ideo Iesus quidem & Christus est, Ioannes uero solum propheta: & tantum interest inter ipsum & Iesum, quantum inter præcursorem, & eum cui præcurritur: & quantum inter eum qui legem dat, & eum qui legem seruat. Hæc autem & his similia prosequutus, siluit etiam Chananæus. Post quem Barnabas, qui & Matthias, qui in locum Iudæ subrogatus est apostolus, monere populum cœpit, ne odio haberent Iesum, neque blasphemarent eum. Multo enim esse rectius, etiam ignoranti, uel dubitanti de Iesu, amare eum quàm odisse. Charitati enim deus præmium posuit, odijs pœnam. Hoc ipsum enim, inquit, quod Iudaicum corpus adsumpsit, & inter Iudæos natus est, quomodo non omnibus uobis incentiua sui amoris incussit? Hæc & his similia quum peroraſſet, dicendi finem fecit. Tunc Caiphas doctrinam Iesu culpare tentabat, dicens eum res uanas loquutum: beatos enim pauperes dixit, & terrenas fore remunerationes promisit, ac summam muneris in terrena hæreditate constituit: cibisq; ac potu eos, qui iustitiam seruarint, promisit esse saturandos. Et his similia multa docuisse deprehenditur. Cui Thomas respondens, arguit eum frustra causantem, ostendens, quia prophetæ magis, quibus etiam ipse credit, ista docuerint, nec tamen quomodo erunt hæc, aut quomodo percipientur, ostenderint: Iesus uero qualiter accipi hæc debeant, demonstrauerit. Et quum hæc atque his similia plura dixisset, siluit etiam Thomas. Post hæc rursum Caiphas me intuens, & nunc ut monens, nunc uero ut culpans, dicebat, cessare me debere de reliquo à prædicatione CHRISTI IESV, ne in pernitionem mei hoc agerem, neue ipse errore deceptus, alios quoque meo errore deciperem. Tunc præterea arguebat me temeritatis, quod quum essem ipse imperitus piscator, & rusticus, officium subire doctoris auderem. Hæc & alia plura his similia dicenti, ego quoque in hæc uerba respondi: Mihi quidem minus esse periculi, si, ut ipse ait, iste non sit Christus, quia doctorem legis receperim: ipsi uero ingens esse discrimen, si hic ipse sit Christus, sicut & certe est. Ego enim credo huic qui apparuit: ipse autem cui alij fidem seruare se credit, qui nullus apparuit? Si uero & idiota, ut ais, & imperitus, ac piscator, & rusticus, super presbyteros sapientes intelligam: hoc tibi, inquam, magis metum debet incutere. Nam si ex eruditione aliqua disputans, obtinerem uos sapientes & eruditos, uideretur utiq; doctrinam hoc mihi longi temporis, & non diuinæ uirtutis gratiam contulisse: nunc autem cum, ut dixi, nos imperiti, uos sapientes conuincimus, & superamus, cui sensum habenti non palàm est, quia hoc non humanæ argutiæ opus est, sed diuinæ uoluntatis & muneris? Hæc igitur & alia huiusmodi prosequentes, con-

Qui & Thaddæus dictus est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequentes protestati sumus, ac docuimus nos imperiti & piscatores, sacerdotes qui dem de uno solo deo cœli, Sadducæos de resurrectione mortuorum, Samaritas de consecratione Hierusalem: non tamen ingressi ciuitatẽ ipsorum, sed publice disputantes: Scribas uero & Pharisæos de regno cœlorum: Discipulos Ioannis, ne scandalum paterentur in Ioanne: Omnem uero populum, quia Iesus est Christus æternus. Ad ultimum autem monui eos, ut prius quàm progrederemur ad gentes, prædicare eis agnitionem dei patris, ipsi reconciliarentur deo, susciperentes filium eius: aliter enim nullo modo eos ostendi posse saluari, nisi per sancti spiritus gratiam, trinæ inuocationis dilui baptismate properarent, & eucharistiam Christi domini sumerent, cui soli, de his quæ docuit, credere deberent, ut sic æternam salutem consequi mererentur: aliter uero impossibile prorsus esse reconciliari eos deo, etiam si mille eiaras, & altaria mille succendant. Nos enim, inquam, pro certo comperimus, quod super sacrificijs quæ offertis, multo magis exasperatur deus, sacrificiorum tempore etiam nunc expleto: & quia uos non uultis agnoscere, emensum esse iam tempus hostias offerendi, ob hoc destruetur & templum, & abominatio desolationis statuetur in loco sancto, & tunc gentibus euangelium prædicabitur ad testimonium uestri, ut ex illorum fide uestra infidelitas iudicetur. Omnis etenim mundus diuersis tẽporibus, diuersas malitiæ ægritudines patitur, uel per omnes generaliter, uel per singulos quosque specialiter: & ideo indiget medico, qui eum uisitet ad salutẽ. Nos ergo protestamur uobis, & quod unũquenq; uestrũm latuit, nunciamus. Vestrũm est deliberare quid expediat uobis. His à me dictis ingemuit omnis multitudo sacerdotum, quod eis de templi subuersione prædixerim. Quod cum uidisset Gamaliel princeps populi (qui latenter frater noster erat in fide, sed consilio nostro inter eos erat) quia ualde fremerent, & ingenti aduersum nos furore mouerentur, adsurgens, ait: Quiescite paulisper ô uiri Israëlitę, non enim aduertitis tentationem, quæ imminet uobis, propter quod desinite ab hominibus istis: & si quidem humani consilij est quod agunt, citò cessabit: si autem à deo est, cur sine causa peccatis, nec proficitis quicquam? dei enim uoluntatem quis potest superare? Nunc ergo quoniam quidem in uesperam iam uertitur dies, in crastino hoc ipso in loco audientibus uobis, ego ipse cum istis disputabo, ut omnem errorem palàm arguam, dilucideq; confutem. Et his dictis, repressus est eorum aliquatenus furor, ea præcipue spe, quod die crastino erroris nos publice arguendos sperarẽt: & sic cum pace populum dimisit. Nos uero cum uenissemus ad Iacobum nostrum, omnia quæ dicta gestaq; fuerant, exponentes, apud eum cibo sumpto mansimus: omnipotenti deo per totam noctem supplicantes, ut futuræ disputationis sermo indubitatam fidei nostræ ostenderet ueritatem. Igitur postera die Iacobus episcopus nobiscum simul, & cum omni ecclesia ascendit ad templum, ubi ingentem reperimus multitudinem, à medio noctis expectantem nos. Stetimus ergo in locis quibus & prius, ut eminẽtius stantes, ab uniuerso populo cerneremur. Cumq; esset summum silentium factum, Gamaliel, qui, ut suprà diximus, nostræ fidei erat: dispensatione uero manebat inter ipsos, ut si quando iniquum aliquid aduersum nos, aut impium molirentur, uel ipsos consilio reprimeret prudenter aptato: uel nos commoneret, ut aut curare, aut declinare possemus: Is ergo tanquam aduersum nos agens, prior omnium episcopum Iacobum intuens, hoc modo adloquutus est: Si ego Gamaliel neque eruditionis meæ, neque senectutis opprobrium duco, discere aliquid à paruulis, & ab imperitis, si quid fortè est utilitatis, aut salutis acquirere, (Qui enim rationabiliter uiuit, scit quia nihil est anima pretiosius) quomodo non omnibus hoc amabile est, cunctisq; exoptatum, ut quæ ignorat, discat? quæ didicerit, doceat? Certissimum nanque est, quod neq;

Baptisma.
Eucharistia.
Daniel.9.
Christus medicus est.
Gamaliel clanculum fauebat apostolis.
Act.5.
Gamaliel ex industria uoluit uideri dissentire ab apostolis.

neq; amicitia, neq; propinquitas generis, neq; regni sublimitas homini debet esse preciosior ueritate. Et uos ergo fratres, si quid amplius nostis, populo dei qui adest, idemq; fratribus uestris proferre non pigeat, omni populo libenter & tota cum quiete quę dicitis audiente. Quomodo enim nõ hoc faciat populus, cum meipsum uideat secũ pariter uelle à uobis discere, si quid fortè amplius uobis reuelauit deus? Si uero uos in aliquo indigetis, similiter etiam uos à nobis non pigeat doceri, ut erga utranq; partem, si quid deest, adimpleat deus. Quod si aliquis uos fortè nunc solicitat metus, propter nõnullos nostrorum, qui præiudicatis aduersum uos animis utuntur, & insidias eorum uerentes, nõ audetis aperte dicere id quod sentitis, apertius ego, ut uos etiam huius occasione timoris absoluam, iuro uobis omnipotẽtem deum, & uiuentem in secula, quia nullum permittam inijcere uobis manus. Habentes ergo huius iuramenti mei omnem hunc populum testem, & idoneum pignus, sacramenti nostri fœdus tenentes, absque ulla cunctatione unusquisque uestrũm quod didicit proferat, & nos fratres intente, & cum silentio audiamus. Hæc dicens Gamaliel, non ualde placebat Caiphæ, & ut uidebatur, suspectum habens eum, ipse magis inserere se subtiliter disputationibus cœpit: subridens enim ad ea quæ Gamaliel dixerat, Iacobum episcoporum principem, sacerdotum princeps orabat, ut de Christo non aliunde sermo, quàm de scripturis fieret: ut sciamus, inquit, utrum Iesus ipse sit Christus, an non. Tunc Iacobus, Primo, inquit, requiramus, ex quibus scripturis potissimum disputationem habere oporteat. At ille, uix aliquando ratione ipsa superatus, respondit, ex lege habendam: & post hoc etiam prophetarũ addidit mentionem. Cui Iacobus noster cœpit ostendere, quia & prophetæ quæ dicunt, ex lege sumpserint, & legi consona sint loquuti. Sed & de libris Regnorum disseruit aliqua, quomodo, & quando, & à quo scripti sint, & quomodo eis uti oporteat. Cumq; & de lege plenissime disputasset, ac singula quę de Christo sunt, purissima expositione protulisset in lucem, ostendit abundantissimis probationibus, quia Iesus est Christus, & in ipso uniuersa quæ de humili eius aduentu fuerant prædicta, complentur. Duos enim eius prædictos esse docuit aduentus. Vnum humilitatis, quem adimpleuit: alium gloriæ, qui speratur implendus, cum ueniet dare regnum credentibus in se, & seruantibus omnia quæ præcepit. Cumque de his omnibus euidẽter populum docuisset, addebat etiam hoc: quia nisi quis baptizatus fuerit in aqua, sub appellatione trinæ beatitudinis, sicut docuit uerus propheta, neque remissionem acciperet peccatorum, neq; introiret in regna cœlorum: & hanc esse dei ingeniti præfinitionem confirmauit. Quibus etiam hæc addidit: Nolite putare duos ingenitos dicere deos, aut unum diuisum esse in duos: uel sicut impij dicunt, eundem masculum & fœminam sui effectum: sed filium dei unigenitum dicimus, non ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum. Similiter etiam de paracleto dicimus. Sed & de baptismate, cum aliquanta dixisset, per septem continuos dies persuasit omni populo & pontifici, ut confestim ad percipiendum baptismum festinarent. Cumq; in eo iam res esset, ut uenirent & baptizarentur, homo quidam inimicus, tunc cum paucis admodum ingrediens templum, clamare cœpit & dicere: Quid facitis ô uiri Israëlitæ? cur uobis tam facile subripitur? cur præcipites ducimini ab hominibus infelicissimis, & à SIMONE mago deceptis? Cumq; hæc diceret, & ad hæc adderet, ac superaretur ab episcopo Iacobo, conturbare populum, & seditiones suscitare cœpit, uti ne ea quæ dicebantur plebs posset audire. Igitur exagitare cuncta clamoribus, & quæ fuerant multo labore ordinata conuellere, simulq; incusare sacerdotes, & obprobrijs atque increpationibus cœpit accendere, & uelut furibundus, singulos quosque ad cædem concitare, dicens: Quid agitis? quid cessatis? O segnes & desides, cur non manibus nostris inuadimus, & discerpimus omnes hos? Et cum hæc dixisset,

Veritate nihil pretiosius est.
Duo aduentus Christi.
Vnitas dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fortè combusto. primus rapto ex ara torre robusto cædis fecit exordium. Tunc deinde & cæteri uidentes eum, simili efferebantur insania: fit omnium clamor, cædentium pariter & cæsorum sanguis plurimus funditur, fuga permixta habetur: cum interim ille inimicus homo Iacobum aggressus, de summis gradibus præcipitem dedit: quem cum mortuum credidisset, ultra mulctare neglexit. Nostri uero sublatum eum colligabant: erant enim & numero plures quàm illi, & uirtute maiores. Sed propter *Patientia Christianorum.* reuerentiam dei, ipsi magis interimi se à paucioribus, quàm interimere alios patiebantur. Cum autem uespera adfuisset, templum quidem sacerdotes claudunt: nos uero ad domum Iacobi regressi, & pernoctantes ibi in oratione, ante lucem descendimus Hiericho ad quinque millia uiri. Post triduum autem uenit ad nos ex fratribus quidam à Gamaliele, de quo suprà diximus, occultos nobis nuncios deferēs, *Paulũ fuisse cũ quem inimicum hominem appellauit, existimo: nam is diplomata impetrauit, ut Christianis negociũ exhiberet. Act. 22.* quod inimicus ille homo legationem suscepisset à Caipha pontifice, ut omnes qui crederent in Iesum, persequeretur: & Damascum pergeret cum epistolis eius, ut etiam inibi auxilio usus infidelium, fidelibus inferret exitium: idcirco autem præcipue Damascum festinaret, quod & illuc confugisse crederet PETRVM. Et post dies ferè triginta digressus est per Hiericho, Damascũ tendens, cum per idem temporis progressi essemus nos ad sepulchra duorum fratrum quorundam, quæ spontе sua per annos singulos dealbabantur: quo miraculo multorum aduersum nos repressus est furor, uidentium haberi nostros in memoria apud deum. Positis itaq; nobis in Hiericho, ibiq; orationibus & ieiunijs operam dantibus, Iacobus episcopus accersitum me inde huc Cæsaream mittit, dicens: quia Zachæus de Cæsarea scripserit sibi, Simonem quendam Samaræum magum plurimos nostrorũ subuertere, adserentem se esse quendam Stantem, hoc est alio nomine, Christum, & uirtutem summam excelsi dei, quæ sit supra conditorem mundi: simulq; mirabilia plurima ostendens, alios dubitare, alios declinare fecerit ad se: cunctaq; diligenter comperta ab his qui prius uel socij eius, uel discipuli fuerant, & post hoc ad Zachæum conuersi sunt, indicauit. Multi sunt ergo, inquit Iacobus, ô PETRE, quorũ salutis causa proficisci te oportet, & arguere magum, ac sermonem ueritatis docere: sed nihil moreris, neq; te contristet, quod solus proficiscaris, sciens comitẽ tibi & adiutorem deum per Iesum, & citò per eius gratiam multos tibi socios & unanimes fore. Dato sanè operam, ut per singulos annos præcipua quæque ex dictis gestisq; tuis scripta mittas ad me, & maxime per septimanas annorum. Et his dictis, dimissus ab eo, sex diebus perueni Cæsaream. Ingredienti autem mihi occurrit Zachæus dilectissimus frater noster, & inhærens amplexibus meis, perduxit ad hoc, in quo ipse commanebat, hospitium, requirens à me de singulis quibusq; fratribus, præcipue tamen de honorabili fratre nostro Iacobo. Cumq; audisset à me, *Iacobus altero pede claudicabat.* quod uno adhuc claudicaret pede: percontanti, continuò causam, omnia hæc quæ nunc tibi exposuimus, ei enarraui: quomodo euocati essemus à sacerdotibus & pontifice Caipha ad templum: & Iacobus archiepiscopus stans in summis gradibus, per septem cõtinuos dies uniuerso populo de scripturis dominicis adsignauerit, quod Iesus esset Christus: quo uue modo omnibus iam adquiescentibus, ut ab eo baptizarentur in nomine Iesu, inimicus homo effecerit illa omnia quæ suprà diximus, ut ne eadem iterum dicamus. Quibus cognitis Zachæus, rursus mihi quæ à Simone agerentur, exponit: & inter hæc, nescio unde cognito aduentu meo, ipse mandat ad me Simon: Audiente, inquit, populo, die crastina disputemus. *Simon magus Petro certamen denunciat.* Cui ego: Fiat, inquam, ut libet. & hæc pollicitatio mea uniuersæ innotuit ciuitati, ita, ut etiam tu qui ipsa die aduenera, disceres me die postera cum Simone habiturum esse certamen, & requisita mansione nostra secundũ indicia, quæ à Barnaba acceperas uenires ad nos: ego uero ingressu tuo ita gratulatus sum, ut nescio unde motus, festinauerit animus meus exponere tibi cuncta uelociter: præcipue tamen

tamen quod est in fide maximum de uero propheta: quod unum ad totius doctrinæ fundamentum sufficere posse non ambigo: tum etiam scriptæ legis per singula quæq; capitula, quorum ratio poscebat, secretiorem tibi intelligẽtiam patefeci: non occultans à te, nec traditionum bona: quæ uero supersunt incipiens à die crastina, ex his quæ in quæstionibus cum Simone mouebuntur, per dies singulos audies, usquequo, deo fauente, perueniatur ad ipsam, quô iter nostrum dirigendum credimus, urbem Romã. Cumq; ad hæc ab eo dicta, omnem gratiã me ei debere profiterer, facturumq; omnia me, quæ præciperet, promptissime pollicerer, cibo sumpto quiescere nos iussit, sibiq; ipse quietem dedit.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER SECVNDVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.



VM autem dies, quæ ad disceptandũ cum Simone statuta fuerat, inlucesceret, Petrus primis gallorum cantibus surgens, excitauit etiam nos: eramus enim in eodem conclaui cubitantes, simul omnes tredecim, in quibus primus post Petrum Zacheus, deinde Sophonias, Iosephus, & Michæas, Eliesdros & Phinees, Lazarus & Heliseus: post hos ego Clemens, & Nicodemus: deinde Niceta & Aquila, qui fuerant prius discipuli Simonis: & docente Zachæo, conuersi sunt ad fidem Christi. Mulierum sanè nulla prorsus aderat. Cumq; adhuc uespertinum lumen duraret, omnes resedimus: & Petrus uidens uigilare nos, ac sibi intendere, salutatis nobis, continuò dat sermonis exordium. Mirari me equidem fateor fratres, humanæ naturæ uim, quam ad omnia aptam, abilemq; esse uideo. Hoc autem dicere in memoriam uenit, ex his quæ rebus ipsis expertus sum, ut cum transierit mediũ noctis, ego sponte iam suscitor, & ultra somnus nequaquam uenit ad me: quod mihi accidit ex eo, quia in consuetudine habui, uerba domini mei, quæ ab ipso audieram, reuocare ad memoriam, & pro ipsorum desiderio, suscitari animis meis, & cogitationibus imperaui: ut euigilans ad ea, & singula quæque recolens ac retexens, possim memoriter retinere. Ex hoc ergo dum omni cum dulcedine sermones domini uersare in meo corde desidero, consuetudo obtinuit uigilandi, etiam si nihil sit quod cogitare uelim. Ita ergo ineffabili quadam ratione, introducta alia consuetudine, uetus cõsuetudo mutatur: & id reuera si non supra modum cogas, sed quantum recipit mensura naturæ. Neque enim penitus somno carere possibile est, alioqui nec facta nox fuisset ad quietem. Et ego cum audissem: Optime, inquã, dixisti Petre, quia consuetudo consuetudine cõmutatur. Nam & ego cum nauigarem, primo turbabar, & intra me mihi omnia uertebantur, ita ut suggillari uiderer, nec ferre possem brumã & molestiam maris: post paucos autẽ dies, ubi cõsuetudo facta est, tolerabiliter ferre cœpi, ita, ut mane statim unà cum nautis cibũ sumere delectarer, cum prius ante horam septimam capiendi cibi cõsuetudo non esset. Nunc ergo, ex ista sola consuetudine, circa illud tempus, quo comedere cum nautis solebã, esuries admonet me: quod tamen rursus depellendũ spero, cum alia fuerit cõsuetudo suscepta. Credo ergo etiam tibi uigiliarũ consuetudinẽ, ut perhibes, institutam: & opportune hoc nobis exponere uoluisti, ut & nos aliquantulũ somni à nobis abijcere atq; effugare non pigeat, ut possimus doctrinæ uiuentis instituta suscipere. Vbi enim decocti fuerint cibi, *Consuetudo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Silẽtium studijs sacrum.

& mens acceperit nocturna silentia, opportunissime quæ docentur insident. Et Petrus libenter accipiens, quod intellexerim, præfationis eius causam, ad utilitatẽ nostram prolatam, conlaudans me, adhortandi & incitandi sine dubio gratia, consequentem cœpit expedire sermonem. Opportunũ mihi nunc & necessarium uidetur, de his quæ imminent aliqua discutere, id est de Simone. Scire enim uelim, quibus sit moribus, & quibus actibus: quod mihi, si quis scit, indicare non cesset: refert enim ista prænoscere. Nam si in mandatis habemus, ut uenientes ad ciuitatẽ, discamus prius, quis in ea dignus sit, ut apud eum cibum sumamus: quanto magis conuenit noscere, quis, qualis ue sit is, cui immortalitatis uerba credenda sunt? Soliciti enim, & ualde soliciti esse debemus, ne margaritas nostras mittamus ante porcos. Sed & alias ob causas utile est, uiri huius habere me notitiam. Si enim sciam quia in his, de quibus non potest dubitari quod bona sint, emendatus est, & inculpabilis: hoc est, si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis & humanus est, quæ utiq; bona esse nullus ambigit: tunc consequens uidebitur, ut ei qui obtinet bona uirtutum, etiam quod deest, fidei, & scientię cõferatur, & in quibus maculari uidetur eius uita, quæ est in reliquis probabilis, emendetur. Si uero in his, quæ palàm sunt, peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet ei aliquid de secretioribus & remotis diuinæ scientiæ proloqui: sed magis protestari & conuenire eũ, ut peccare desinat, & actus suos à uitijs emẽdet. Quod si ingesserit se, & prouocauerit nos dicere, quæ eum minus recte agentem, non oportet audire, prudenter eum debemus eludere: nam nihil omnino respondere auditorum causa, utile non uidetur, ne forte existiment nos responsionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur, nõ intelligentiũ propositum nostrum. Cumq; hæc Petrus dixisset ad nos, Niceta rogat permitti sibi dicere aliquid: atq; indulgente Petro, cũ uenia inquit: Obsecro te domine mi Petre, audias me ualde solicitum tui, & uerentem, ne forte in certamine, quod tibi est cum Simone, superari uidearis. Solet enim frequenter accidere, ut qui ueritatẽ defendit, non semper obtineat: dum aut in aliquo præuenti sunt auditores, aut non grandem curam melioris sententiæ gerunt. Super hæc autem omnia, & ipse Simon uehementissimus est orator, in arte dialectica, & syllogismorũ tendiculis enutritus: quod autem est omnibus grauius, & in arte magica ualde exercitatus: & ideo metuo, ne forte tam ualide ex omni parte munitus, apud eos, qui ignorant eum, falsa allegans, putetur uera defendere. Neq; enim uel nosipsi eum potuissemus effugere, & conuerti ad dominum, nisi dum adiutores eius, & errorũ socij sumus, agnouissemus quod deceptor esset, ac magus. Cumq; hæc Niceta dixisset, Aquila quoq; rogans sibi dicendi facultatem dari, hoc modo etiam ipse prosequutus est: Suscipe queso & mei erga te amoris curam optime Petre, & ego enim ualde solicitus sum pro te. Nec reprehẽdas nos in hoc: quia curam gerere alicuius ex affectu uenit: negligere autẽ nõ minus est, quàm odisse. Testem uero inuoco deum, quia non ut segniorem te in certamine sciens, metuo pro te, quippe quia nec unquam tibi præstò fuerim disputanti: sed qui illius impietates bene nouerim, existimationem tuam cogito simul & animos auditorũ, & ipsius ante omnia ueritatis statum. Vehemens enim est hic magus ad omnia quæcunq; uoluerit, & supra modũ scelestus: in omnibus enim eum diligenter agnouimus, utpote qui à puero malorũ eius auditores fuerimus & ministri, & nisi nos dei amor abrupisset ab eo, in eisdem cum ipso etiam nunc uersaremur malis: sed ingenitus quidã nobis erga deum affectus, scelera quidem eius exosa, cultum uero dei amabilem fecit. Vnde & arbitror opus fuisse diuinæ prouidentiæ, ut nos primo familiares eius effecti notitiam caperemus, quomodo, uel quali arte, prodigia, quæ facere uidetur, efficiat. Quis enim est, qui non obstupescat super his, quæ facit, mirabilibus? & non putet eum de cœlis deum ad salutem hominum descendisse? Ego de meipso fateor, nisi interius eum

Matth. 7.

Legant hoc theologi, qui ut desperatos fastidiunt eos qui paradoxis suis non protinus assensi fuerint.

Non semper obtinent ueritatis patroni.

Orator Simon.

sciissem, & interfuissem actibus eius, subrípi mihi facile potuisset: unde nõ fuit magnum nos ab eius consortio separari, scientes eum magicis artibus, & commentis scelerũ niti. Quod si uis etiam ipse de eo cuncta cognoscere, quis ipse sit, qualis ue, & unde, uel qualiter patrentur quę gerit, ausculta. Simon hic, patre Antonio, matre Rachel natus est, gente Samaræus, ex uico Gytthorum, arte magus, græcis tamen literis liberalibus adprime eruditus, gloriæ ac iactantiæ supra omne genus hominum cupidus, ita, ut excelsam uirtutem, quæ supra creatorem deum sit, credi se uelit, & Christum putari, atq; Stantem nominari. Hac autem appellatione utitur, quasi qui neget posse se aliquãdo dissolui, adserens carnem suam ita diuinitatis suæ uirtute compactam, ut possit in æternum durare. Hinc ergo Stans appellatur, tanquam qui nõ possit ulla corruptione decidere. Interfecto etenim, sicut scis & ipse, baptista Ioanne, cum Dositheus hæreseos suæ iniisset exordium, cum alijs triginta principalibus discipulis, & una muliere quæ Luna uocitata est: unde & illi triginta quasi secundum lunæ cursum in numero dierũ positi uidebantur. Simon hic malæ, ut diximus, gloriæ cupidus, accedit ad Dositheũ, & simulatis amicitijs, exorat, ut si quando aliquis ex illis triginta obisset, in locum defuncti se continuò subrogaret: quia neq; statutum numerũ excedere apud eos fas erat, neq; ignotum aliquem inferere, aut nondum probatum: unde & cæteri studentes digni loco ac numero fieri, secundũ sectæ suæ instituta placere per omnia gestiunt, quo possit unusquisq; ex his, qui illum numerum sequuntur, cum forte aliquis, ut diximus, decesserit, dignus uideri, qui in locũ defuncti substitui debeat. Igitur Dositheus plurimis ab hoc exoratus, ubi locus intra numerũ factus est, introduxit Simonem. Sed hic nõ multo post incidit in amorem mulieris illius, quam Lunam uocant, nobisq; utpote familiaribus suis omnia concredebat, quod magus esset, & quod amaret Lunam, quodq; gloriæ cupidus, noluit ea inglorius frui: sed expectare patienter, donec honeste ea uti liceret: si tamen etiã nos cõspiraremus ei ad omnia quæ uelit: sed & mercedem ministerij huius daturũ se nobis pollicebatur, summis ut honoribus affici, & dij esse ab hominibus crederemur, tantũ ut mihi, inquit, Simoni deferatis primatus, qui possum magica arte multa signa & prodigia ostendere, per quæ possit uel gloriæ, uel sectæ nostræ ratio cõstare. Possum enim facere ut uolentibus me cõprehendere, nõ appareã: & rursus uolẽs uideri, palàm sim. Si fugere uelim, mõtes perforem, & saxa quasi lutũ pertranseam: si me de monte excelso præcipitem, tanquã subuectus ad terras inlæsus deferar. Vinctus memetipsum soluã, eos uero qui uincula iniecerint, uinctos reddam: in carcere conligatus, claustra sponte patefieri faciam: statuas animatas reddam, ita ut putentur ab his qui uident, homines esse: nouas arbores subitò oriri faciam, & repentina uirgulta producam: in ignem memetipsum inijciens, non ardeam. Vultũ meum cõmuto, ut non agnoscar: sed & duas facies habere me, possum hominibus ostendere. Ouis aut capra efficiar: pueris panis barbam producam: in aërem uolando inuehar: aurum plurimũ ostendam: reges faciam, eosq; deijciã. Adorabor ut deus, publice diuinis donabor honoribus, ita, ut simulacrũ mihi statuentes, tanquam deum colant, & adorent. Et quid opus est multa dicere? quicquid uoluero facere, potero. Multa etenim iam mihi experimenti causa consummata sunt. Denicq; aliquãdo, inquit, cum mater mea Rachel iuberet me exire ad agrum ut meterem: ego falcem uidens positam, præcepi ei ut iret & meteret: & messuit decuplo amplius cæteris. Multa iam noua uirgulta produxi de terra, & conualescere ea feci, & sub momento temporis apparere feci: & montẽ proximum, ego secundo perforaui. Sed hęc cum diceret de uirgultis productis, & monte perforato, stupescebam pro eo, quod etiam nos circumuenire uelit, quibus secõmendare & concredere uidebatur: sciebamus enim quod à proauis hæc fuissent, quæ à se nuper facta perhibebat. Hæc ergo nos ab eo flagitia audientes, & ho

Simon magus quis fuerit.

Simon Stantem se uoluit uocari.

Lunã illam quã & Selenen uocitant, apud Tyrum in prostibulo egisse, Eusebius testatur.

Quanta effecerit Simõ per magiam.

Quod de sese est pollicitus Simon, id est consequutus. Nam in Tiberi simulacrum erat, cui inscriptio fuit, Simoni deo sancto: ut Eusebius ex autoritate Iustini martyris testatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dositheus derogauit Simoni.

rum deteriora, sequebamur tamen & ipsi eius scelera, & alios ab eo decipi patiebamur, multa etiam mentientes pro eo, et hoc priusquam aliquid faceret eorum quæ promiserat, ita, ut nullis adhuc gestis, à nõnullis tamen putaretur deus. Interim in initio, cum adhuc inter triginta Dosithei discipulos haberetur, cœpit ipsi Dositheo derogare, tanquam qui non integre, nec perfecte doceret, idq; eum non inuidia facere, sed inscientia. Verum Dositheus ubi sibi derogari sensit à Simone, uerens ne opinio sua obscuraretur apud homines, qui eum putabant, ipsum esse Stantem, furore cõmotus, cum ad scholam solito conuenissent, uirga correpta uerberare Simonem cœpit, & repente per corpus eius, quasi per fumum, uisa est uirga transire: sunem cœpit, & repente per corpus eius, quasi per fumum, uisa est uirga transire: su per quo obstupefactus Dositheus, ait ad eum: Dic mihi si tu es Stans, ut adorem te. Cumq; Simon respondisset, ego sum: Dositheus uidens se non esse Stantem, cecidit & adorauit eum, & Simoni quidem cedit principatu suo, ipsiq; obedire omnẽ triginta uirorum ordinem iubet: semetipsum uero in locum Simonis statuit, & nõ

Dositheus moritur.

multo post defunctus est. Igitur post obitũ Dosithei Simon accepit Lunam, cum qua usque ad præsens circuit, ut uidetis, decipiens turbas, & adserens semetipsum quidem uirtutẽ esse quandam, quæ sit supra conditorem deum: Lunam uero quæ secum est, esse de superioribus cœlis deductam, eandemq; cunctorum genitricem,

Lunam Simon sapientiam uoluit uideri.

adserit esse sapientiã: pro qua, inquit, Græci & Barbari cõfligentes, imaginem quidem eius aliqua ex parte uidere potuerunt: ipsam uero ut est, penitus ignorarunt: quippe quæ apud illum primum omniũ, & solum habitaret deum. Et hæc, atq; alia his similia cũ uerborũ pompa proferens, decepit multos. Sed et hoc indicare debeo, quod ipse ego uidisse me memini, cum esset aliquãdo Luna illa eius in turre quadã, multitudo ingens ad eam conuenerat peruidendam, & undiq; circa turrim stabat: at illa per omnes fenestras turris illius omni populo procũbere, ac prospicere uidebatur. Et multa alia mirabilia fecit, & facit, ita, ut stupentes pro his homines, putent eum ipsum esse summũ deum. Nam mihi aliquando, & Nicetæ rogantibus, ut exponeret quomodo hæc possint arte magica effici, & quæ esset huius rei natura: Simon tanquã familiaribus suis, explanare ita cœpit: Pueri, inquit, incorrupti, & uoluenter necati, animam adiuramentis ineffabilibus euocatam adsistere mihi feci, &

Absurdum commentũ Simonis de puero necato etiam hodie receptũ apud magos.

per ipsam sit omne quod iubeo. Et ego: Est ne, inquã, possibile animæ hæc facere? Ille respondit: Hoc uos scire uolo, quia secundum locum post deum obtinet anima hominis, cum exuta fuerit à corporis sui tenebris. Statim denicq; & præscientiam habet, propter quod euocatur ad necromantiã. Et ego respondi: Cur ergo interfectorum animę nõ ulciscuntur interfectores suos? At ille: Non meministi, inquit, quod dixi, quia cum exierit de corpore, etiam præscientiam habet? Memini inquam. Ob hoc, inquit, cum excedit è corpore, statim prænoscit futurũ esse iudicium, & unũquenq; pro his, quæ hic egerit malis, pœnas daturum: & ideo nolunt ulcisci interfectores suos, quia & ipsæ pro suis malis, quæ hic cõmiserant, perferunt cruciatus, & illos sciunt in iudicio grauiora manere supplicia. Super hæc autem omnia, nec

Genij præsides animarum.

permittitur eis exire, aut facere quicquam ab angelis qui ei præsunt. Et ego respondi: Si non permittitur eis ab angelis huc uenire, aut facere quod uolunt, quomodo mago euocanti obtemperat anima? Ipsis, inquit, animabus uenire uolentibus non indulgent: cum uero hi qui præsunt angeli, adiurati fuerint per maiorẽ suum, excusationem habent nostræ, qui eos adiuramus, uiolentiæ, ut permittant exire animas quas euocamus: non enim illi peccant qui uim patiuntur, sed nos qui inferimus necessitatem. Ad hæc Niceta, ultra non ferens, præpropere respondit, quod & ego quidem facturus eram, sed prius eum expiscari de singulis cupiebam: sed, ut dixi, Niceta præueniens: Et tu, inquit, nõ times diem iudicij, qui uim angelis facis, & animas euocas, & homines decipis, & honorẽ tibi diuinum ab hominibus mercaris? Et quomodo nobis persuades quod neq; iudicium erit, ut nonnulli ludæorũ fatentur,

tur, neque animæ immortales sint, quod uidetur pluribus, cum ipse oculis tuis uideas eas, & cõmonitionem diuini iudicij capias ex ipsis? His ab eo dictis impalluit Simon, & tamen post paululum recolligens se, ita respondit: Ne putetis, inquit, quod generis uestri homo sim ego, neq; magus sum, neq; amator Lunæ, neq; Antonij filius. Ante enim quàm mater mea Rachel conueniret cum eo, adhuc uirgo concepit me, cum esset in potestate mea, uel paruum esse, uel magnum, & hominem inter homines apparere. Tentandi ergo gratia uos primos assumpsi amicos, ut in cœlestibus & ineffabilibus locis meis primos uos conlocem, cum probauero. Humana ergo de meipso mentitus sum, ut uos manifestius comprobarem, si integrum erga me seruatis affectum. Ego uero hæc audiens, ipsum quidem miserũ iudicans, impudentiam tamen eius admirans, & pro eo ipse erubescens, simul & ueritus ne quid in nos moliretur mali, innuo Nicetę, paulisper unà mecum simulare, & aio ad eum: Non nobis indigneris hominibus corruptibilibus, incorruptibilis deus, sed suscipe magis affectum nostrũ, & animũ uolentem scire qui sit deus: nondum enim sciebamus quis esses, & nec aduertebamus quia tu es quẽ quærebamus. Hæc & his similia uultu pro re aptato prosequẽtibus nobis, uanissimus credidit nos deceptos, & eo magis elatus addidit etiam hæc: Propitius uobis iam sum, pro affectu quem erga me deum geritis: me enim diligentes, nescietis, & me quærentes, ignorabatis. Sed nolo dubitetis, quia hoc est uere deũ esse, cum potest quis paruus effici, uel magnus, si uoluerit: nam quoquo modo apparere hominibus poteram. Nunc ergo incipiam uobis aperire quod uerum est. Ego uirtute mea quodã tempore aërem uertẽs in aquam, & aquam rursum in sanguinem, carnemq; solidans,

Miracula Simonis.

nouum hominem puerũ formaui, & opus, conditore deo multo nobilius, protuli. Ille enim creauit hominem è terra, ego autem, quod est difficilius, ex aëre, quemq; rursus resoluens aëri reddidi: speciem tamẽ eius, imaginemq; depictam in interiore cubiculo conlocaui, ut esset indicium ac memoria operis mei. Hæc autem intellegebamus eum dicere pro puero illo, cuius ui necati anima, ad ea quæ uolebat ministeria, utebatur. Petrus ergo hæc audiens, cum lachrymis ait: Miror admodũ immensam dei patientiã, & è contrario in nonnullis humanæ temeritatis audaciam. Quæ enim ratio inueniri ultra poterit, quæ Simoni suadeat, quod deus iudicet iniquos, cum ipse sibi persuadet, quod animarũ obedientia ad scelerum suorũ utatur ministeriũ? re autem uera à dæmonibus inluditur: tamen cum per hæc ipsa certus sit, quod immortales sunt animæ, & iudicantur pro his quæ gesserint: & qui se putet re ipsa uidere ea, quæ nos fide credimus, quamuis, ut dixi, inludatur à dæmonibus, tamen arbitratur se ipsam animæ uidere substantiã. Quando hic, inquam, fatebitur uel male se agere in tanto malo positus, uel iudicandũ se pro his quę gerit, qui sciens dei iudiciũ contemnit, & inimicum se exhibet deo, & audet tam nefanda cõmittere? Vnde certum est fratres mei, nõnullos ueritati ac religioni dei nõ ideo aduersari, quod eis nequaquã ratio fidei cõstare uideatur: sed quia aut nimietate quadam peccatorũ inuoluti, aut malis suis præuenti, & tumore cordis elati sunt, ita, ut nec ea quidem credant, quæ oculis suis se uidere arbitantur. Verum quoniã ingenita erga conditorem deum sufficere ad salutem uidebatur affectio his qui dilígerent eum, studet inimicus hanc affectionẽ in hominibus peruertere, & inimicos eos efficere, atq; ingratos conditori suo. Testor autem cœlum ac terram, quod si quantum cupit inimicus desæuire, permitteretur etiam à deo, olim omnes homines deperissent: sed misericordiæ causa non sinit deus. Quod si affectum suum homines conuerterẽt ad deum, omnes sine dubio saluarentur, etiam si pro aliquibus delictis ob iustitiam corrípi uiderentur. Sed nunc plurimi hominum inimici effecti sunt dei, quorum malignus corda penetrauit, & affectum quem eis conditor deus inseuerat, ut erga se haberẽt, in semetipsum deflexit. Aliorum uero qui aliquantulũ uigi-

Affectioni nostræ erga deum insidiantur dæmones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lare uidebantur, in phantasia gloriæ & splendoris apparens, & magna quædã atq; ingentia repromittens, euagari nihilominus à deo uero mentem atq; animũ fecit, quæ tamen perpetrare ei iusta quadam permittitur ratione. Ad hæc Aquila respondit: Quid ergo delinquunt homines, si malignus transformans se in splendorem lucis, maiora repromittit hominibus, quàm ipse conditor deus? Et Petrus: Puto, inquit, hoc iniustius nihil esse: & quatenus iniustũ sit, audi. Si filius tuus, qui à te omni diligentia eruditus est, & nutritus, atq; ad uirilem perductus ętatem, ingratus tibi sit, & relinquens te, ad alium, quem fortè ditiorem uiderit, eat, & honorẽ quem tibi debebat, illi exhibeat, ac spe maioris lucri naturam neget, & iura paterna desugiat, rectũ tibi uidetur, an impiũ? Et Aquila respondit: Omnibus palàm est, quod impium sit. Et Petrus: Si ergo in hominibus hoc impiũ dicis, quanto magis in deo, qui supra omnes homines honore ab hominibus dignus est? cuius non solum beneficijs fruimur, uerum & ope ac uirtute esse cœpimus, cum non essemus: cuiq; si placeamus merebimur ab eo, ut etiam æterni in bonis simus. Vt ergo infideles à fidelibus, & pij discernantur ab impijs, permissum est maligno uti his artibus, quibus singulorum erga uerum parentem probentur affectus. Quod si uere esset alius deus alienus, tamen ab eo qui nos creauerat, quiq; nobis pater, & cõditor fuerat, rectum ne erat, relicto proprio transire ad alienum? Et Aquila: Absit, inquit. Tum Petrus: Quomodo ergo dicemus malignum esse causam peccati nostri, cum hoc permissu dei fiat, ut per ipsum probẽtur, & in die iudicij arguantur, hi qui maioribus pollicitationibus inuitati, ueri patris & conditoris sui reliquerint pietatem: hi uero qui fidem & charitatem proprij patris, etiam cum paupertate, si acciderit, & cum tribulatione seruauerint, donis cœlestibus in regno eius, & immortalibus muneribus perfruantur? Sed hæc aliàs diligẽtius exponemus. Quid autem Simon egerit post hæc, scire cupio. Et Niceta respondit: Vbi intellexisse eũ sensimus, quod deprehensus esset à nobis, conloquuti inter nos de sceleribus eius, reliquimus eum, & ad Zachæum uenimus, hæc ipsa ei, quæ tibi nunc protulimus, indicantes. At ille benignissime nos suscipiens, & de fide domini nostri Iesu Christi edocens, fidelium numero sociauit. Cumq; hæc Niceta dixisset, Zachæus qui paulò ante egressus fuerat, ingrediebatur, dicens: Tempus est, ut procedas ad disputandum Petre: turba enim multa in atrio domus cõgregata te operitur: quorum in medio, multis fultus ad scelus assectis, constitit Simon. Tum Petrus, ut hæc audiuit, orationis gratia secedere me iubens, nondum enim eram dilutus à peccatis, quæ in ignorantia cõmiseram, ait ad reliquos: Oremus fratres, ut deus per Christũ suum pro ineffabili misericordia sua adiuuet me exeuntem pro salute hominũ, qui ab ipso creati sunt. & hæc cum dixisset, oratione facta, processit ad atrium domus, in quo erat multitudo plurima populi congregata: quos ubi omnes summo silentio ad se intentos uidit, & magum Simonẽ in medio eorum, uelut signiferum, stantem, hoc modo cœpit: Pax uobis sit omnibus, qui parati estis dare dexteras ueritati: quicunque enim obediunt ei, uidentur quidem aliquid gratiæ referre deo: porrò autem ipsi ab eo donum summi muneris consequuntur, iustitiæ eius semitis incedentes: propter quod primum est omniũ, iustitiam dei, regnumq; eius inquirere. Iustitiam quidem ut recte agere doceamur: regnum uero, ut quæ sit merces posita laboris & patientię nouerimus: in quo est bonis quidem æternorũ bonorum remuneratio: his autem qui contra uoluntatem dei egerint, pro uniuscuiusq; gestis pœnarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est, in præsenti uita positos, oportet uos agnoscere uoluntatem dei, ubi & agendi locus est. Nam si quis uelit antequam actus suos emendet, de his requirere, quæ non potest inuenire, stulta & inefficax erit huiusce modi inquisitio. Tempus enim breue est, & iudicium dei, gestorũ causa agetur, non quæstionum. Ideoq; ante omnia hoc quæramus, quid nos, aut qualiter agere oporteat, ut æternam

Certa ratione dæmonibus aliquid permittitur in homines.

Dæmones adfligunt, ut probetur cõstantia nostra.

Petrus cõgressus cum Simone orat.

nam uitam consequi mereamur. Nam si exiguum hoc uitæ tempus per inanes occupemus, & inutiles quæstiones: inanes sine dubio & uacui ab operibus bonis pergemus ad deum, ubi iudicium, ut dixi, operum nostrorum fiet. Vnaquæq; etenim res, suum tempus habet & locum. Operum hic locus, hoc tempus est: meritorũ seculum futurum. Ne ergo impediamur, ordinem locorum, ac temporũ permutantes, primo quæ sit dei iustitia requiramus, ut tanquam iter acturi, abundanti uiatico bonis operibus repleamur, quo possimus ad regnum dei, tanquam ad urbem maximam peruenire. Deus enim his, qui recte sentiunt, per ipsa opera mundi, quę fecit, manifestus est, ipsius creaturæ suæ utens testimonio: & ideo cum de deo dubitatio esse non debeat, de sola nunc eius iustitia requiramus & regno. Quod si aliquid nobis de secretis & reconditis inquirendũ suggerit mens nostra, antequam de operibus iustitiæ requiramus, rationem reddere nobismetipsis debemus: quia si bene agentes salutem consequi meruerimus, tanquam casti & mundi euntes ad deum, spiritu sancto replebimur, & omnia quæ sunt secreta & occulta, sine ulla quæstionum cauillatione noscemus: quæ nunc, etiam si totum quis uitæ suæ tempus in inquirendo consumat, nõ solum non poterit inuenire, sed & maioribus se erroribus inseret, quia non per uiam prius iustitiæ incedens, ad portum uitæ peruenire contendit. Et propterea suadeo, primo iustitiam eius esse requirendam: ut per hanc iter agentes, & in uia positi ueritatis, uerum prophetam inuenire possimus, non uelocitate pedum, sed operum bonitate currentes: ut ipso duce usi, nullum uiæ huius patiamur errorem. Si enim ipsum sequẽtes ingredi meruerimus illam, quô peruenire cupimus, ciuitatẽ, omnia iam de quibus quæritur, oculis uidebimus, tanquam hæredes omnium facti. Intelligite itaq; uiam esse hunc uitæ nostræ cursum. Viatores eos qui bona opera gerunt. Portam uerũ prophetam, de quo dicimus. Vrbem regnum esse, in quo residet omnipotens pater, quem soli uidere possunt hi qui mundo sunt corde. Non ergo nobis difficilis uideat huius itineris labor, quia in fine eius requies erit: nam & ipse uerus propheta ab initio mundi, per seculum currens, festinat ad requiem. Adest enim nobis omnibus diebus, & si quando necesse est apparet & corrigit nos, ut obtemperantes sibi ad uitam perducat ęternam. Mea ergo ista sententia est, sicut & uero prophetę usum est, ut primo de iustitia requiratur, ab his maxime qui deum se nosse profitentur. Si ergo habet aliquis quod esse rectius putet, dicat: & cum dixerit, audiat, sed cum patiẽtia & quiete. Propter hoc enim ab initio, salutationis specie pacem cunctis precatus sum. Ad hæc Simon respondit: Nos pace tua opus non habemus: si enim pax sit & concordia, ad inueniendã ueritatem nihil proficere poterimus: habent enim inter se pacem & latrones, & scortatores, & omnis nequitia cum semetipsa concordat: & nos ergo si ob hoc conuenimus, ut pacis causa omnibus quæ dicuntur præbeamus adsensum, nihil auditoribus conferemus: sed è cõtrario inlusis eis, nos amici discedemus: propter quod noli inuocare pacem, sed magis pugnam matrem eius, & si potes expugna errores. Nec requiras amicitiã iniustis adsentationibus paratam: hoc enim te ante omnia scire uolo, quia duobus inter se dimicantibus, tunc erit pax, cum alter ceciderit superatus: & ideo pugna ut potes, nec requiras pacem sine bello, quod impossibile est, aut si potest fieri, ostende. Ad hæc Petrus: Attentius audite, ô uiri, quæ dicimus. Ponamus mundum hunc campum esse aliquem magnum, & ex duabus ciuitatibus, quarũ reges sibi inuicem sint contrarij, missos esse singulos ad dimicandum duces: & illum quidem boni regis ducem, consilium dare, ut uterq; exercitus absq; sanguinis profusione, melioris in regis iura concedat, quo sine periculo omnes salui fiant: illũ uero contrarium dicere: Non, sed pugnetur, ut non qui dignus est, sed qui fortior ipse cum his, qui euaserint, regnet. Quæso uos, quid magis eligeretis? non dubito, quin, ut cum incolumitate omnium, regi meliori manus darentur: & ego nunc non, ut Si-

Veniet enim nox ubi nemo operari poterit. Ioan. 9.

Rom. 1.

Nihil proficitur in scripturis diuinis sine spiritu sancto.

Via. Viatores. Porta. Vrbs.

Simonis illud hactenus in scholis theologorum mire locum habuit.

Pugna mater pacis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vere enim dictum est, nimiũ altercando ueritatem amitti.

mon ait, pacis causa adsensum uolo cõmodari, his quæ male dicuntur, sed ut cum quiete & ordine ueritas requiratur. Nonnulli enim in disputationũ certamine ubi errorem suum senserint confutari, causa perfugij conturbare continuò incipiunt, & mouere lites, ne palàm fiat omnibus quod superãtur: & propterea ego frequenter exoro, ut cum omni patientia & quiete indago disputationis habeatur, ut si fortè aliquid minus recte dictum uideatur, repetere id, & apertius liceat explanare: solet enim interdum aliter dici quid, & aliter audiri, dum aut minus lucide profertur, aut minus uigilanter aduertitur: & ob hoc patiẽter cupio haberi sermonem, ut neque subripiat alter alteri: neq; sermonẽ dicentis, intempestiuus sermo contradicentis interrumpat: neq; reprehẽdendi studium geramus, sed liceat, ut dixi, minus planè dicta repetere, ut examinatione iustissima claresçat ueritatis agnitio. Scire enim debemus, quia si quis à ueritate uincatur, non ipse uincitur, sed ignorantia, quæ in ipso est, quæ est dæmon pessimus: quam qui potuerit effugare, salutis accipit palmam. Propositum nanq; nobis est prodesse auditoribus, nõ ut male uincamus, sed ut pro agnitione ueritatis bene uiuamus. Si enim ueritatis inquirẽdæ studio sermo moueatur, etiam si quid minus plenè pro humana fragilitate dicemus, deus, pro ineffabili sua bonitate, ea quæ desunt, latenter auditorum sensibus adimplebit. Iustus est enim, & secundum uniuscuiusq; propositum, alijs quidem in promptu facit esse quod quæritur, alijs uero obscurum reddit, etiam quod palàm positum est. Quia ergo uia dei, uia pacis est, cum pace quæ dei sunt requiramus: ad hæc si quis habet quod prosequatur, locus est. Si uero nullus est qui respondere uelit, ego dicere incipiam, & quæ mihi ab alio possunt obijci, ipse in medium prolata, dissoluam. Cum ergo Petrus cœpisset continuare sermonem, Simon interrupta oratione eius: Cur, inquit, festinas ipse tibi dicere, quæ tibi uidentur? Intelligo uersutias tuas: uis enim tibi ea ipse proponere, quorum absolutio bene tibi meditata est, ut ignorantibus turbis, uidearis recte aliquid dicere; sed apud me non tibi erit horum locus. Nunc ergo, quoniam ut uir fortis polliceris, te omni uolenti proponere responsurũ, mihi interim primo respondeto. Et Petrus: Paratus, inquit, sum, tantum ut cum pace sit sermo. Tunc Simon: Non uides, inquit, imperitissime, quod contraria agis magistro tuo, pacem deposcens, quod utiq; non conuenit ei qui expugnaturum se promittit ignorantiam? Aut si tu recte pacem ab auditoribus poscis, non recte magister tuus dixit: Quia non ueni pacem mittere in terram, sed gladium. Aut enim tu bene dicis, & ille non bene: aut si magister tuus bene, tu pessime, qui nõ intellexisti contraria te proferre ei, cuius te discipulum profiteris. Ad hęc Petrus: Neq; qui misit me male fecit, gladium mittere in terram: neq; ego contraria ei ago, auditorum pacem requirens. Sed tu & imperite & temere reprehendis ea quæ non intelligis: etenim quia pacem non uenit mittere in terram magister audisti: quod autem dixerit, Beati pacifici, quoniã ipsi filij dei uocabuntur, non audisti. Propter quod non ego magistro diuersa sentio, pacem persuadens, quam ille seruantibus beatitudinem posuit. Et Simon ait: Pro magistro respondere cupiens, ô Petre, multo eum grauius accusasti, si cum ipse non uenerit pacem facere, hanc alijs seruare præceperit. Et quomodo alius ille eius sermo constabit quem dixit? Quia sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius. Petrus ad hæc: Magister, inquit, noster qui erat uerus propheta, & sui in omnibus memor, neq; sibi contraria loquutus est, neq; nobis ab his quæ ipse gerebat diuersa mandauit. Quod enim ait: Non ueni pacem mittere in terram, sed gladium: & ex hoc uidebitis separari patrem à filio, filium à patre: uiram ab uxore, & uxorem à uiro: & matrem à filia, filiam à matre: fratrem à fratre, socrum à nuru, amicum ab amico: hæc omnia continent doctrinam pacis: & quomodo, audi. Initio prædicationis suæ, utpote qui uelit omnes inuitare & adducere ad salutem, ac patientiam laborum, tentationumq; habendam suaderet, pauperes beati-

Pro cuiusq; studio uel clara, uel obscura sunt mysteria diuina

Pax Simoni exosa.

Cõtentiones Simon probare conatur.

Matth. 5.

Matth. 10.

Gladius, Matthæi 10. aliquid pacis habet.

beatificabat, eosq; pro penuriæ tolerantia adepturos esse pollicebatur regna cœlorum, ut sub tanta spe æquanimiter paupertatis pondus, spreta cupiditate, portarent. Est enim unum & maximum ex pernitiosissimis peccatis, cupiditas. Sed & esurientes, & sitientes æternis bonis iustitiæ saturandos esse promisit, ut egestatem tolerabiliter ferentes, nihil pro hac iniusti operis molirentur. Mundus quoq; corde similiter beatos dicebat, & per hoc deum uisuros, ut unusquisq; adipisci tantum cupiens bonum, semetipsum à pessimis & pollutis cogitationibus contineret. Sic ergo magister noster discipulos ad patientiam uirtutis inuitans, bonum pacis, etiam cum labore patientiæ, suadebat esse seruandum. E contrario uero eos qui in diuitijs ac luxuria uersabantur, lugebat, qui nihil pauperibus largiebantur, arguens eos rationem reddituros: quia proximos suos, quos diligere sicut seipsos debuerant, ne in egestate quidem positos miserati sunt. Hæc autem dicens, alios quidem obedire fecit, alios uero reddidit inimicos. Credentibus ergo & obedientibus pacem habere inter se inuicem iubet, & ipsis dicit: Beati pacifici, quia ipsi filij dei uocabuntur. His autem, qui non solum non credidere, uerum & aduersarij doctrinæ eius facti sunt, bellum uerbi & confutationis indixit: quia ex hoc uidebitis separari filium à patre, & uirum ab uxore, & filiam à matre, & fratrem à fratre, & nurum à socru, & inimici hominis domestici eius. In unaquaque enim domo, cum inter credentem, & non credentem cœperit esse diuersitas, necessariò pugna fit: incredulis quidem contra fidem dimicantibus, fidelibus uero in illis errorem ueterem, & peccatorum uitia confutantibus. Similiter quoque etiam ergas scribas & pharisæos ultimo doctrinæ suæ tempore bellum gerit, arguens eos super actibus non bonis, & non recta doctrina, & quod clauem scientiæ, quam à Moyse traditam susceperunt, occultarent, per quam possit ianua regni cœlestis aperiri. Sed & nos ad prædicandum mittens dominus noster præcepit nobis, ut in quamcunque ciuitatem uel domum introierimus, dicamus, pax huic domui: & si quidem, inquit, fuerit ibi filius pacis, ueniet super eum pax uestra: si uero non fuerit, pax uestra ad uos reuertetur. Exeuntes autem de domo, uel de ciuitate illa, ut etiam puluerem, qui adhæserit pedibus nostris, excutiamus super eos. Tolerabilius autem erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorũ in die iudicij, quàm illi ciuitati uel domui. Quod utique ita demum præcepit fieri, si prius in ciuitate uel domo ueritatis sermo prædicetur. Ex quo uel recipientes ueritatis fidem, filij pacis & filij dei fiant, uel non recipientes arguantur, quasi inimici pacis & dei. Ita ergo & nos magistri institutа seruantes, pacem primo proponimus auditoribus, ut absque ulla perturbatione possit uia salutis agnosci. Quod si quis pacis uerba non suscipit, neque adquiescit ueritati: scimus aduersum eum pugnam uerbi mouere, & arguere acrius confutando ignorantiam, & redarguendo peccata. Necessariò igitur pacem proponimus, ut si quis est filius pacis, pax nostra ueniat super eum: ab eo autem qui se alienum pacis effecerit, regredietur ad nos pax nostra. Non ergo, ut putas, consensu malorum pacem proponimus: nam utique continuò tibi dexteram dedissemus: sed ut per quietem & patientiam differentibus nobis qui sit sermo uerus, facilius ab auditoribus dinoscatur. Si autem dissideas & discordes à te metipso, quomodo stabis? Necesse est ut cadat, qui in semetipso diuiditur. Omne enim regnum in semetipsum diuisum, non stabit. Ad hæc si quid uidetur, dicito. Et Simon: Stultitiam tuam demiror. Sic nobis magistri tui uerba proponis, quasi certum de eo habeatur quod propheta sit, quem ego perfacile demonstrare possum, multa sibi contraria loquutũ. Deniq; ex his, quæ ipse protulisti, arguam te: ais enim dixisse eum, omne regnum, uel omnis ciuitas diuisa in semetipsa, non stabit. Et alibi iterum ais eum dixisse, quia ipse miserit gladium, ut separaret eos, qui in domo sunt, ita, ut diuidatur filius à patre, & filia à matre, & frater à fratre, ut si fuerint

Spe mercedis Christus labores huius uitæ nobis edulcauit.

Pax.

Bellum uerbi intelligendum in gladio.

Luc. 11.

Matth. 10.

Matth. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in una domo quinq;, diuidantur tres aduersum duos, & duo aduersum tres. Si ergo omne quod diuiditur, cadit, iste qui diuisiones facit, cadendi præstitit causas: & si talis est, utiq; malus est. Ad hæc respondе si potes. Et Petrus: Non temere deroges ô Simon his quæ non intelligis. Primo ergo respondeã pro eo quod ais, me magistri mei uerba proponere, atq; ex ipsis ea, de quibus dubitatur, absoluere. Dominus noster mittens nos apostolos ad prædicandũ, præcepit nobis ut doceamus omnes gentes, de his quæ mandata sunt nobis. Neque ergo dicere ea, ut ab ipso dicta sunt, possumus. Non enim dicere, sed docere ea in mandatis habemus, & ex ipsis ostendere, quomodo unumquodq; eorum ueritate subnixum sit. Neq; rursus proprium nobis aliquid dicere permissum est. Sumus enim missi, & necessariò qui missus est, illud quod iussus est, nunciat, & uoluntatẽ mittentis exponit. Nam si aliud dicam, quàm præcepit mihi ille qui me misit, falsus ero apostolus, qui non illud dico quod iussus sum dicere, sed quod mihi uidetur: quod qui facit, utiq; se meliorẽ uult ostendere, quàm est ille à quo missus est: & est sine dubio præuaricator. Si uero ea quæ iussus est prosequatur, eorumq; adsertiones manifestissimas proferat, Apostoli opus exequi uidebitur: quod ego nunc implere contendens, nõ tibi placeo. Non ergo reprehendas, quod eius, qui me misit, proferam uerba: sed si est in illis aliquid, quod non sit integre dictum, inde me ut arguas, licet: quod tamen nullo modo fieri potest. Aut si non putas eum prophetã esse, hoc primo requiratur. Et Simon: Non opus habeo hoc discere abs te, sed quomodo sibi ista conueniant. Si enim inconsonans ostendetur, simul etiam propheta non esse docebitur. Tum Petrus: Sed si prius, inquit, ostendero eum prophetam, hoc quod uidetur esse inconsonans, nõ erit: neq; enim ex cõsonantia quis propheta esse probatur, quia hoc multis possibile est facere: quod si consonantia prophetam non facit, multo magis nec inconsonantia. Quia ergo multa sunt quæ uidentur quidem inconsona esse nonnullis, habent tamen profundiore ratione in semetipsis consonantiam: sicut & aliqua uidentur habere consonantiã, discussa diligentius, inueniuntur inconsona: hac de causa aliam non puto rectiorem esse uiam ad horum discrimen, nisi ut prius cognoscamus, si is qui loquutus est ea quæ uidentur inconsona, propheta sit. Si enim inuenit prophetа esse, omnia illa quæ uidentur sibi esse contraria, constat habere cõsonantiam, sed nõ intelligi. De his ergo probamenta rectius requirentur. Nos enim apostoli illius, qui nos misit, uerba exponere missi sumus, & adfirmare sententias: proprium uero dicere aliquid non habemus in mandatis, sed uerborum illius, ut dixi, aperire ueritatem. Et Simon ait: Doce ergo nos quomodo conueniat, ut is qui diuisiones facit, quæ diuisiones cadere faciant eos qui diuiduntur, uel bonus uideatur, uel ad hominum salutem uenisse. Et Petrus: Audi quomodo magister noster omne regnum, & omnem domum diuisam aduersum semetipsam, dixit stare non posse. Hoc autem cum ipse fecit, uide quomodo ad salutem cedat. In errore positum mundi regnum, uel unamquanq; in eo domum, uerbo ueritatis diuidit, proculdubio ut cadat error, & ueritas regnet. Quod si alicui accidat domui, ut error introductus per aliquem diuidat ueritatem: cum error obtinuerit, certum est ueritatem stare non posse. Et Simon: Sed incertum est, utrum magister uester errorem diuidat an ueritatem. Et Petrus: Istud alterius quæstionis est. Sed si constat apud te, quia omne quod diuisum fuerit, cadit: supereſt ut ostendam, si tantum cum pace audire uis, quod IESVS noster errorem diuiserit, ac resoluerit, docendo ueritatem. Tum Simon: Omitte, inquit, sermonem pacis frequenter iterare: quid uero sit quod sentis, aut credis, breuiter expone. Et Petrus ait: Quid times crebrò audire de pace? an ignoras quia perfectio legis pax est? ex peccatis enim bella nascuntur & certamina: ubi autem peccatum non fit, pax est animæ: ubi uero pax est, in disputationibus ueritas, in operibus iustitia inuenitur. Et Simon:

Apostolorũ est docere, non dicere.

Apostolorum opus quale.

Cõsonantia nõ facit prophetã.

Nihil proprium dicere, Apostoli est.

Veritatis uerbũ diuidit homines

Perfectio legis est pax.

Simon: Videris mihi nõ posse profiteri quod sentis. Et Petrus: Dicam ex arbitrio, tamen non tuis uersutijs coactus. Cupio enim quod salutare & utile est omnibus adduci in notitiam, & ideo proferre quambreuissime nõ morabor: Vnus est deus, idem qui conditor mundi, iustus iudex, & unicuiq; pro actibus suis quandoq; restituens. Iam uero pro adsertione horum, scio innumera posse uerborum millia commoueri. Et Simon ait: Miror quidem uelocitatem ingenij tui, non tamen amplector errorem fidei tuæ: prudenter enim præuidisti, quod tibi contradici posset è tuba: ideo etiam ipse professus es, quod pro adsertione horũ, innumera uerborũ millia mouebuntur: nulli enim concordat professio fidei tuæ. Denique quod unus sit deus, cuius sit opus mũdus, hoc primum quis recipiat? puto quia neq; paganorum quisquã, quamuis ille sit idiota: philosophorũ autem omnino nullus: sed ne ludeorum quidem imperitissimus quisquam & miserrimus, neq; ego ipse qui eorum legem bene noui. Et Petrus: Omitte, inquit, opiniones absentium: tibi quid uidetur, præsens præsenti dicito. Tum Simon: Possum, inquit, exponere quod uere sentio, sed pigriorem me facit illa consideratio: quia si dixero, quod neq; tibi sit consonum, neq; uulgo huic imperito rectum uidetur, tu quidem quasi obstupefactus, aures cõtinuò obcludens, uelut ne blasphemia polluantur, uertêris in fugam, quia quod respondeas non inuenies. Populus autem irrationabilis adsentatus tibi, te quidem amplectetur, quasi ea docentem, quæ in usu eis sunt: me uero execrabuntur, ueluti noua quædam atq; inaudita profitentem, meumq; errorem alienis mentibus inseretem. Tum Petrus: Nunquid nõ tu, in quo nos accusabas, ipse ambagibus uteris, nihil habẽs quod adseras ueritatis? aut si habes, incipe absq; circuitionibus, si tantum confidis: & si quidem non placuerint alicui auditorum quę dicis, abscedet: qui uero permanserint, cogentur adsertionibus tuis probare quod uerũ est. Incipe igitur quod tibi rectum uidetur, exponere. Et Simon ait: Ego dico multos esse deos, unum tamen esse incomprehensibilem, atq; omnibus incognitum, horumq; omnium deorum deum. Tum Petrus: Hunc, inquit, quem dicis esse incomprehensibilem, & incognitum omnibus deum, ex scripturis Iudæorum, quæ in autoritate habentur, probare potes, an ex alijs aliquibus, quas omnes ignoramus? an ex Græcis autoribus? an ex tuis scriptis proprijs? certe ex quibuscunque uis, dicito, ita tamen ut ostendas eas prius esse propheticas: ita enim fiet, ut earum indubitata habeatur autoritas. Et Simon ait: Ex lege Iudæorum sola adsertiones adhibebo. In omnibus enim, qui religionis curam gerunt, manifestum est totius esse autoritatis hanc legem: unumquenq; tamen secũdum proprium sensum intelligentiam legis huius accipere. Ita enim ab eo, qui mundum condidit, scripta est, ut in ipsa rerum fides habeatur. Vnde siue quis uera, siue etiam falsa proferre uelit, absq; hac lege nulla recipietur adsertio. Quia igitur scientia mea plenissime cũ lege concordat, recte multos esse pronunciaui deos, quorũ unus est eminentior, & incomprehensibilis, ipse qui est deus deorũ. Quod autẽ multi sint dij, ipsa me edocuit lex. Primo quidem ubi ex persona serpentis dicitur ad Euam, primam mulierem: Quacunq; die manducaueritis de ligno sciendi bonũ & malum, eritis sicut dij: hoc est, sicut hi qui hominẽ fecere. Postea enim quàm gustauere de ligno, ipse deus testatur dicens ad reliquos deos: Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. Sic ergo cõstat multos esse deos, qui hominẽ fecerint, quia & initio ita dicit deus ad cæteros deos: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sed & quod ait: Eũciamus eum, & iterum: Venite descendentes confundamus linguas eorũ. Omnia hęc multos esse indicant deos. Sed & illud scriptum est: Deos non maledices, & principem populi tui non maledices. Et rursum quod scriptum est: Dominus solus ducebat eos, & non erat cum illis deus alienus, multos esse ostendit deos. Sunt & alia plurima quæ proferri possunt ex lege testimonia, non solum obscuriora, sed & ma-

Adsertio Simonis de multis dijs.

Legem Iudæorum admittit Simon.

Gen. 3.

Gen. 1.

Gen. 11.

Exod. 22.

Deut. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niſeſta, quibus multi eſſe doceantur dij. Ex quibus unus, ut Iudæorũ populo deus
Sortionem Simon inter deos fingit. eſſet, ſorte electus eſt. Ego autem non hunc adſero, ſed illum qui etiam huius deus
eſt, quem ne ipſi quidem Iudæi norunt. Neq; enim ipſorum eſt deus, ſed eorũ qui
agnouerint eum. His auditis Petrus: Nihil, inquit, uerearis Simon: ecce enim neq;
aures claudimus, neq; fugimus, ſed ad ea quæ falſo proſequutus es, ueritatis ſermo
nibus reſpondemus: illud primo adſerentes, quia unus eſt deus, hic ipſe Iudęorum,
qui eſt ſolus deus, cœli creator ac terræ, qui & omnium, etiam quos dicis deorum,
deus eſt. Si ergo oſtendero nullum eſſe hoc ſuperiorẽ, ſed ipſum eſſe ſuper omnia,
fateberis errorem tuũ eſſe ſuper omnia. Et Simon: Quid enim, inquit, etiam ſi ego
nolim fateri, qui adſiſtunt auditores, nónne arguent me nolentem quæ uera ſunt
profiteri? Auſculta ergo, ait Petrus, ut ſcias primo, quod etiam ſi multi ſint dij, ut di-
cis, Iudæorum deo ſubditi ſunt, cui neq; æqualis quiſquam, neq; maior eſſe poteſt:
Deut.10. ſcriptũ eſt enim, quod ita dicat ad Iudæos Moyſes propheta: Dominus deus ueſter
hic eſt deus deorũ, & dominus dominorũ, deus magnus: ita etiam ſi multi ſunt qui
dicuntur dij, unus eſt tamen maior omnium, Iudęorũ deus, qui & deorum deus di-
Moyſes deus Pharaonis. ctus eſt. Neq; enim quicunq; dictus fuerit deus, continuò deus eſt. Denicq; & Moy
ſes deus dicitur Pharaonis, & certum eſt eum hominẽ fuiſſe. Et iudices dij appellati
Iudices dij. ſunt, & conſtat eos fuiſſe mortales. Simulacra quoq; gentiũ dij appellantur, & om-
nes ſcimus, quia non ſunt, ſed impijs quaſi pro pœna hoc datum eſt, ut quia uerum
deum cognoſcere noluerunt, quæcunq; eis forma & imago occurriſſet, haberetur
ab eis deus. Quoniã unius, ut dixi, qui eſt omniũ deus, agnitionem ſuſcipere recu-
ſarunt, ideo ergo conceditur eis illos habere deos, qui præſtare ſupplicantibus nihil
poſſunt. Quid enim aut exanima ſimulacra conferre hominibus queant, aut ani-
mantia, cum poteſtas omniũ apud unum ſit? Tribus igitur modis deus quis dicitur,
uel quia uere eſt, uel qui ei qui uere eſt, miniſtrat, & ob honorem mittentis, ut plena
ſit eius autoritas, hoc dicitur iſte qui miſſus eſt, quod eſt ille qui miſit: ut ſæpe factum
eſt de angelis, qui tamen cum apparuerint homini, ſi ſit prudens, & eruditus uir,
interrogat eius qui apparuit nomen, ut ſimul & honorem miſſi, & autoritatẽ mit-
Vnaquæq; gens proprium habet angelum. tentis agnoſcat. Eſt enim uniuſcuiuſq; gentis angelus, cui credita eſt gentis ipſius
LXXII. partes terræ. diſpenſatio à deo, qui tamen cum apparuerit, quamuis putetur & dicatur ab his qui
bus præeſt deus, tamen interrogatus non ſibi dabit ipſe tale teſtimoniũ. Deus enim
excelſus, qui ſolus poteſtatem omnium tenet, in ſeptuaginta & duas partes diuiſit
totius terræ nationes, eiſq; principes angelos ſtatuit. Vni uero qui in archangelis
erat maximus, ſorte data eſt diſpenſatio eorum, qui præ cæteris omnibus excelſi dei
Sancti homines dij. cultum, atq; ſcientiam receperunt. Sed & ſancti homines, ut diximus, impiorũ effi
ciuntur dij, tanquam qui poteſtatem acceperint in eos uitæ ac necis: ut de Moyſe,
Exod.22. & iudicibus ſuprà memorauimus. Propter quod ſcriptum eſt de eis: Deos non ma
ledices, & principem populi tui nõ maledices. Principes ergo ſingularum gentium
dij appellantur. Principum autem deus Chriſtus eſt, qui eſt omnium iudex. Vere
ergo neq; angeli, neq; homines, neq; ulla creatura dij eſſe poſſunt: quippe qui ſub
poteſtate ſunt poſiti, tanquã creati & mobiles: angeli quidẽ ut qui nõ fuere & ſint,
homines autẽ ut mortales, omnis uero creatura, ut quę ſolui poſſit, ſed reuera ſi ſo-
luerit ille qui fecit. Et ideo ille ſolus uerus eſt deus, qui non ſolum ipſe uiuit, ſed &
alijs uitam prẽſtat, quam & auferre poteſt cum uult. Propterea ergo clamat ſcriptu
Deut.32. ra ex perſona dei Iudæorũ, & dicit. Videte, uidete, quoniam ego ſum deus, & non
eſt alius præter me: Ego occîdam & uiuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, &
non eſt qui eripiat de manibus meis. Vides ergo quomodo ineffabili quadam uir-
tute ſcriptura occurrens futuris erroribus eorum qui alium deum, præter eum
Deut.4. qui eſt Iudæorũ, uel in cœlis eſſe, uel in terris, adfirmarent, pronunciat dicens: Do-
minus deus tuus, deus unus eſt, in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, & præter
ipſum

ipſum alius non eſt. Quomodo ergo auſus es dicere alium eſſe deum, præter eum
qui Iudęorũ eſt deus? Et iterũ dicit ſcriptura: Ecce domini dei tui cœlũ, & cœlũ cœ- *Pſalm.88*
li, terra, & omnia quæ in eis ſunt. Veruntamen patres tuos elegi, ut diligerem eos,
& uos poſt ipſos. Ita ex omni parte ab ſcriptura munitur iſta ſentẽtia, quia ipſe qui
mundũ creauit uerus & ſolus eſt deus. Quod & ſi ſint alij, ut diximus, qui dicũtur
dij, ſub poteſtate ſunt Iudęorũ dei, quia ita dixit ſcriptura Iudæis: Dominus deus no *Deut.10*
ſter, hic eſt deus deorũ, & dominorũ: hunc etiam ſolum colendũ monet ſcriptura,
dicens: Dominũ deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et: Audi Iſraël, dominus *Lucæ.4.*
deus tuus deus unus eſt. Denicq; & ſancti ſpiritu dei repleti, & guttis miſericordiæ *Deut.6*
eius inrorati exclamabant, dicẽtes: Quis ſimilis tibi in dijs domine, quis ſimilis tibi? *Pſalm.34.*
Et iterum: Quis deus præter dominum? & quis deus præter dominum noſtrum? *Pſalm.17*
Itaq; Moyſes ubi proficere populum uidit, paulatim eos ad intelligentiam monar-
chiæ, & fidem dei unius inítiauit, ut in conſequentibus dicit. Nomina deorũ aliorũ
non commemorabis, recordatus ſine dubio, quali pœna damnatus ſit ſerpens, qui
primus nominauerat deos. Terram denicq; comedere condemnatur, & tali cibo di *Serpens damnatur quia decepit Euam, & deos nominauit primus.*
gnum iudicatur ob id, quod primum omniũ appellationem deorum introduxit in
mundum. Quod & ſi tu multos deos uis introducere, uide ne exitum ſerpentis ſi-
milem ſortiaris. Certus autem eſto, quod nos huius auſi ſocios non habebis, nec de
cipi nos patiemur abs te. Neq; enim proderit nobis ad excuſationẽ in iudicio, ſi di-
camus quod tu deceperis nos, quia nec primã mulierem excuſare potuit male cre-
didiſſe ſerpenti: ſed morte, quia male crediderit, condemnata eſt. Hac ergo de cau-
ſa & Moyſes unius dei fidem populo cõmendans, ait: Obſerua tibijpſi ne ſeduca-
ris à domino deo tuo. Vide quia eodem uerbo utitur, quo & prima mulier in excu
ſatione utebatur, ſeductam ſe dicens, ſed nihil profuit. Super omnia autem ſi uerus
aliquis ſurgeret propheta, qui ſigna & prodigia faceret, ſuadere autem uelit, ut co-
leremus deos alios prẽter Iudæorũ deum, nunq; ei credere poſſemus. Sic enim nos
docuit lex diuina, ſecretum ſermonem purius ex traditione cõmendans. Ait ergo:
Si ſurrexerit in te propheta, aut ſomnians ſomnium, & dederit ſigna uel prodigia, *Deut.13*
& euenerint ſigna illa, uel prodigia, & dixerit ad te, eamus & colamus deos alienos,
quos neſcitis, non audietis uerba prophetę illius, neq; ſomnium ſomniatoris illius,
quia tentans tentauit uos, ut uideat ſi diligitis dominũ deum ueſtrum. Propterea
ergo & dominus noſter ſigna & prodigia faciens, deum prædicabat Iudæorum, &
ideo recte prædicationi eius creditur. Tu autem etiam ſi uere propheta eſſes, & ſi-
gna faceres ac prodigia, ſicut promittis, & alios adnunciares deos præter eum qui
qui uerus eſt, manifeſtum eſſet te ad tentationem populo dei ſuſcitatũ, & ideo cre- *Pſeudoprophetæ ad tentationem mittuntur.*
di tibi omnino non poteſt. Vnus eſt enim uerus, qui eſt Iudæorum deus: & ob hoc
dominus noſter Ieſus Chriſtus docebat quærendum eſſe, non deum quem bene
nouerant, ſed regnum & iuſtitiam eius, quam ſcribæ & phariſæi, ſuſcepta ſcientiæ
claue, non concluſerant, ſed excluſerant. Nam ſi ignoraſſent uerum deum, nun-
quam utiq; huius rei ſcientiam relinquens, quæ erat omnium caput, culparet eos
de paruis & minimis: id eſt, quod dilatarent fimbrias ſuas, & primos accubitus in
conuiuijs uindicarent, & quod in quadriuijs ſtantes orarent, & alia his ſimilia, quę *Matth.23*
utiq; ex comparatione magni huius capitis, ignorantiæ dei, exigua uidentur & par
ua. Et Simon ad hæc ait: Ex uerbis magiſtri tui conuincam te, quia etiam ipſe igno-
tum quendã omnibus introducit deum. Cum enim & Adam creatorem ſuum ſcie
rit deum, mundiq; conditorem: & Enoch quippe qui ab eo translatus eſt, & Noë,
utpote ab eo iuſſus arcã conſtruere: cumq; & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Moy
ſes, & omnes patres, omnisq; populus, atq; omnes gentes nouerint cõditorẽ mun
di, & fateantur deũ, Ieſus ueſter, qui longe poſterior patrib. apparuit, dicit: Nemo no *Lucæ.10*
uit filiũ, niſi pater: neq; patrẽ quis, niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Ita ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Iesus uester alium esse deum incomprehensibilem omnibus, & incognitum fate
tur. Tum Petrus: Contraria, inquit, tibimetipsi te proferre non sentis. Si enim & Ie
sus noster scit istum, quem dicis incognitum deum, ergo iam non à te solo est cogni
tus. Imò si Iesus noster eum nouit, Moyses quoq; qui & Iesum uenturum esse pro
phetauit, sine dubio nec ipse ignorauit eum: propheta enim erat: & qui de filio pro
phetauit, sine dubio cognouerat patrem. Si enim in uoluntate est filij, reuelare pa
trem cui uoluerit filius, qui ab initio & semper cum patre fuit per singulas quasq;
generationes, sicut reuelauit Moysi patrem, ita & alijs prophetis. quod si est, nulli
patrum fuisse eum incognitum constat. Tibi uero qui filium non credis, quomodo
potuit reuelari pater, qui nulli notus est, nisi cui uoluerit filius reuelare? Reuelat au
tem filius patrem his, qui ita honorificant filiũ, sicut honorificant patrem. Tum Si
mon: Memento, inquit, quia filium dixisti habere deum, quod est iniuriæ: quomo
do enim habere filium potest, nisi similia hominibus, aut animalibus patiatur? Sed
de his nõ est nunc tempus arguere profundam stultitiam tuam: festino enim de im
mensitate summæ lucis exponere, & iam nunc audi. Puto esse aliquã uirtutem im
mensæ & ineffabilis lucis, cuius magnitudo incomprehensibilis habeatur, quã uir
tutem etiam mũdi conditor ignoret, & legislator Moyses, & magister uester Iesus.
Tunc Petrus: Non tibi uidetur amentiæ res esse, adserere uelle quempiã, quod sit
alius deus, quàm deus omnium, & dicere, puto esse uirtutem quandam, & prius q̃
ipsi certum sit quod loquitur, hoc uelle alijs confirmare? Est ne aliquis ita præceps
qui uerbis tuis credat: in quibus teipsum uideat dubitantem? & admittat esse ali
quam uirtutem incognitã creatori deo, & Moysi, & prophetis, & legi, & Iesu etiam
magistro nostro? quæ uirtus ita bona sit, ut nulli uelit innotescere, nisi uni tantum,
& hoc tibi tali? Tum deinde si noua est ista uirtus, quomodo nobis nõ dat nouum
aliquem sensum, præter hos quos gerimus quinque, ut ex ipso ab eo nobis largito
nouo sensu, ipsam quæ noua est, capere & intelligere possimus? aut si nõ potest lar
giri, quomodo tibi largita est? aut si tibi reuelauit, cur nõ & nobis? Si uero à temet
ipso intellexisti, quæ ne prophetæ quidẽ sentire, aut intelligere potuerunt, dic age
nobis nunc, quid unusquisq; nostrũm cogitat: si enim tantus est in te spiritus, ut ea
quæ super cœlos sunt, incognita omnibus, & omnibus incomprehensibilia cogno
scas, multo facilius cogitationes humanas, quæ in terris habentur, agnoscis. Quod
si cogitationes nostras, qui hic stamus, non potes scire, quomodo ea quæ nullis esse
cognita adfirmas, scire te dicis? Crede autem mihi, quia nunquam scires quid est
lux, nisi ab ipsa luce accepisses & uisum & intellectũ uidendi: sic & in cæteris: hinc
accepta intelligentia, maius aliquid & sublimius omnij instar excogitas, occasione
tamen ex istis quinque sensibus sumpta, quorũ largitori ingratus es. Certus autem
esto, quod donec nõ inuenis nouum aliquem sensum, qui extra hos quinq; sit, qui
bus omnes utimur, nouum adserere non poteris deum. Et Simon: Cum quinque
sensibus constent omnia quæ sunt, nihil nouum addere, uirtus illa cunctis eminen
tior, potest. Et Petrus ait, falsum est. Est enim et alius sextus sensus, id est prænoscen
di: isti enim quinq; sensus scientiæ capaces sunt, sextus autẽ præscientiæ est, quem
habuere prophetæ. Tu ergo quomodo potes deum omnibus incognitũ nosse, qui
nec propheticum sensum, qui est præscientiæ, meruisti? Tum Simon cœpit dicere:
Hanc quam dico uirtutem incomprehensibilem, & eminentiorem cunctis, etiam
ipso qui mundum condidit deo, neq; angelorum quisquam, neq; dæmonũ nouit,
neq; Iudæorum, neq; ulla omnino quæ à conditore deo substitit creatura. Quomo
do enim poterat, quam creator ipse non nouerat, lex me ipsius creatoris edocere,
cum nec ipsa sciret quod doceret? Et Petrus: Miror, inquit, quomodo tu ex lege
plus potueris discere, quàm docere uel scire lex poterat? & quomodo horum quæ
adserere uis probationes dicas te ex lege proferre, cum neque legem adseras nosse

Virtus incognita Simonis.

Quibus argumẽtis Petrus diuinitatem Simonis probauerit.

Sextus sensus præscientiæ.

ea quæ

ea quæ dicis, neq; eum qui legẽ dedit, id est mundi creatorẽ? Sed & hoc miror, quo
modo tu qui solus hęc nosti, hic modo cum omnibus stes, breuis atrij huius ambitu
circundatus. Et Simon uidens eum omni populo ridentẽ Petrũ, Rides, inquit, Pe
tre, cum sermo de tantis rebus, & tam eminentibus habeatur? Tum Petrus: Noli,
inquit, indignari Simon: nihil enim præter promissionem nostram gerimus, neque
aures nostras claudimus, ut dicebas: neq; statim ut audiuimus à te ineffabilia profer
ri, in fugam uersi sumus, sed ne loco quidem moti. Neq; enim uerisimilia saltem ali
qua proferuntur abs te, quæ nos possint aliquatenus deterrere: aut certe aperi no
bis intelligentiam dicti huius, quomodo tu ex lege dideceris deum, quem lex ipsa
nescit, & quem ipse qui legem posuit ignoret. Et Simon: Si inquit, ridendo cessasti,
euidentibus adsertionibus comprobabo. Et Petrus ait: Quin desinam, ut possim
discere à te, quomodo tu â lege dideceris, quæ lex nescit, & quæ ipse deus legis igno
ret. Et Simon: Audi, inquit, manifestum est omnibus, & ineffabili quadam ratione
compertum, unum esse deum, qui sit omnium melior, à quo omne quod est, sum
psit exordium, unde & necessariò subiecta sunt ei omnia quæ post ipsum sunt, ue
lut principi omnium & eminentiori. Ego ergo cum cognouissem deum hunc qui
creauerat mundum, secundum quod lex docet, in multis esse infirmum: longe au
tem abhorret infirmitas à perfecto deo, & hunc uiderem non esse perfectũ, necessa
riò alium esse intellexi, qui esset perfectus. Hic enim, ut dixi, secundum quod scri
ptura legis docet, in multis infirmus esse deprehenditur. Primo, quod homo quem
plasmauit, non potuit permanere talis qualem ipse uoluerat: & quia nec bonus est,
qui primo homini posuit legem, ut ab omnibus quidem lignis paradisi ederet, de li
gno autem scientiæ non contingeret: sed si gustasset, moreretur. Cur enim uetaret
eum uesci, ut sciret quid esset bonũ, uel quid malum, ut sciens, mala quidem uitaret,
bona uero eligeret? Sed neq; ipse hoc concessit: & quia ille præter mandatum gusta
uit, & agnouit quid esset bonum, ac didicit honoris gratia uerenda contegere, inde
corum enim sensit reuelatis pudendis stare ante creatorẽ suum, ille eum, qui hono
rem deo deferre didicerat, morte cõdemnat, & serpenti qui hæc ostenderat, maledi
cit. Sed utiq; si lędendus ex hoc erat homo, cur omnino lędendi causam in paradiso
posuit? Si uero bonum erat quod in paradiso posuit, nõ est boni prohibere à bono.
Sic ergo cum is qui hominem fecit & mundum, secundũ ea quæ lex refert, imper
fectus sit, alium sine dubio dat intelligi qui perfectus sit. Necesse est enim esse aliquẽ
omniũ præstantiorem, propter quem & omnis creatura ordinẽ suum seruat. Vn
de & ego sciens, quia omnimodo necesse est aliquem benigniorẽ & potentiorem
eo, qui legem dedit imperfecto deo, ex comparatione imperfecti, perfectũ quid sit
intelligens, ex ipsa scriptura deum illum de quo scriptũ non erat, intellexi. Et hoc
modo potui ô Petre ex lege discere, quod nesciebat lex. Quod & si lex nõ dedisset
indicia, quibus colligeretur imperfectus esse deus qui condidit mundũ, mihi possi
bile erat, etiam ex his quę in hoc mundo geruntur malis, nec emendantur, collige
re: uel quia impossibilis est creator eius, qui male gesta non corrigit, si non potest:
uel si nõ uult auferre mala, ipse malus sit. Si uero neq; potest neq; uult, nec potens,
nec bonus sit: & ex his necesse est colligi, quod alius sit deus omnium præstantior,
& potentior. Ad hæc si quid habes dicere, nõ moreris. Petrus respondit: Solent ista
ô Simon absurda aduersum deum meditari, hi qui legem nõ magistris tradentibus
legunt, sed semetipsos doctores habent, & putant se intelligere posse legem, quam
sibi non exposuit ille, qui à magistro didicerit. Veruntamen nunc, ut & nos secun
dum tuum sensum scripturã legis sequi uideamur, quia & impossibilem, & non bo
num dicis ostendi conditorẽ mundi, quomodo non uidisti quod ijsdem ipsis repre
hensionibus succumbit, & subiacet etiam ista uirtus tua, quam dicis esse eminentio
rem omniũ? Eodẽ nanq; modo de ipsa dici potest, quia omnia quæ hic male geru-

Scõma Petri in Simonis diuinitatem.

Simõ infirmum nostrũ deum cauillatur.

Transgressionis causam Simon imputat deo.

Lex sine magistro nõ facile intelligitur.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, aut impossibilis est, quæ non corrigit: aut si potest, & non uult, mala est. Si uero neq; potest, neq; uult, & impossibilis & imperfecta est. Vnde non solum simili culpæ uirtus ista tua noua, sed & deteriori inuenit obnoxia, si super hæc omnia etiam cum nō sit, esse credatur. Nam is qui mundum creauit, hoc ipsum quod subsistit ex opere eius, quo mundum condidit, palàm est, sicut etiam ipse cōfiteris. Ista uero uirtus, quam te solū scire dicis, nullū de se indiciū præbet, per quod hoc ipsum saltem quod est & subsistit, possimus aduertere. Quale est ergo, ut derelinquamus deum, in cuius mundo uiuimus, & omnibus ad uitam necessarijs fruimur, & sequamur nescio quem, cuius non solum nihil consequimur boni, sed ne hoc ipsum quidem, quod sit, scire possumus, scilicet quia nec est: siue enim eum lucem appelles, & luce ista quam cernimus clariorē, nomen ipsum à mundi conditore mutuaris: siue substantiam dixeris super omnia, intelligentiam hinc profers cum sermonis augmento: siue mentem, siue bonitatem, siue uitam, siue aliud quid memoraueris, hinc uocabula mutuaris. Cum ergo nihil noui de illa uirtute quam dicis, non solum ad intelligendum, uerum ne ad nominandū quidem habeas, quomodo introducis nouum deum, cuius ne appellationē quidem inuenis nouam? Virtus enim nō solum creator mundi dicitur, sed & ministri gloriæ eius, omnisq; militia cœlestis. Non tibi ergo melius uidetur esse, ut sequamur factorem nostrū deum, tanquā patrem erudientem nos, & imbuentem sicut ipse nouit? Quod & si sit aliquis, ut tu dicis, benignior omniū deus, certum est, quia non irascetur nobis: si uero irascitur, malus est. Noster autem deus si irascitur & uindicet, non est malus, sed iustus: proprios enim filios corripit & emendat. Ille uero qui nihil nobiscū habet negotij, si uindicare uelit in nos, quomodo bonus erit? supplicia sumens de nobis, quod non derelicto patre nostro ipsum sequuti sumus, inanibus suspicionibus tracti: quomodo ergo iste talis bonus à te adseritur, qui nec iustus intelligi potest? Tum Simon: Tantū ne eras Petre, ut nescias, quia animæ nostræ à bono deo sunt illo omniū præstātiore, sed captiuæ deductæ sunt in hunc mundū? Et Petrus: Ergo non est omnibus incognitus, sicut paulò ante dicebas: & tamen quomodo indulsit bonus deus captiuitatem fieri animarū suarū, si erat super omnes potentior uirtus? Et Simon: Ipse misit creatorem deum, ut conderet mundū, sed ille mundo condito semetipsum pronunciauit deū. Et Petrus: Ergo non ignoratur ab eo qui condidit mundū, ut superius dixeras: sed neq; animæ ignorant eum, siquidē ab ipso abductæ sunt. Cui ergo iam erit incognitus, si & mundi creator nouit eum, utpote ab ipso missus, secūdum ea quæ tu dicis, & omnes animæ tanquam ab ipso huc uiolenter abstractæ? Tum deinde dicas uelim, qui mittebat conditor mundi, nō sciebat eum, qui mittebatur, fidem non seruaturum? si nesciebat, præscius non erat: si uero præscijt & passus est, facti huius ipse reus est, qui non uetuit: quod si non potuit, omnipotens non est. Si uero, quasi bonum id sciens, non prohibuit, inuenitur ille esse melior qui præsumpsit facere id, quod ille qui mittebat ignorauit bonū. Et Simon: Volentes, inquit, ad se uenire suscipit, & ipsis benefacit. Et Petrus: Nec hoc nouum est, hoc enim facit & hic, quem mundi creatorem fateris. Et Simon: Sed bonus deus, tantū si agnoscatur, salutem præstat. Mundi autem conditor exigit etiam legem impleri. Et Petrus: Ergo & adulteros, & homicidas saluat, si cognouerint eum: bonos autem & sobrios, uel misericordes, si nullum de eo indiciū capientes, ignorauerint eum, nō saluat. Magnum bonum prædicas, qui nō tam malos saluet, quàm qui bonis nullam misericordiam præstet. Et Simon: Magnus sanè labor est agnoscere eum homini in carne posito. Omnibus enim tenebris tetrius, & omni luto grauius est corpus hoc, quo circunda tur anima. Et Petrus: Ergo bonus iste deus quæ difficilia sunt, quærit. Qui autem uere deus est, faciliora experit. Dimittat itaq; nos quasi bonus, apud patrē & creatorem nostrum, & quando discesserimus è corpore, & istas, quas dicis, tenebras relique-

Iustus est dominus si corrigit, sumus enim filij

Animæ captiuæ deductæ in mūdum.

Impudens mendaciū Simonis.

reliquerimus, tunc eum facilius agnoscemus, & tūc magis anima conditorē suum esse intelliget deum, & apud ipsum permanebit, nec ultra diuersis cogitationibus fatigabitur, neq; uolet ad aliam confugere uirtutem, quę nulli cognita est, nisi Simoni soli: quæ tantę bonitatis est, ut nisi quis prius impius extiterit in parentem suum, ad ipsam uenire nō possit. Nescio quomodo hæc uirtus uel bona, uel iusta appellanda sit, cui placere nō potest, nisi quis impie se gesserit in eum, à quo factus est. Et Simon: Non est impium utilitatis gratia, & lucri maioris, confugere ad eum qui opulentioris est gloriæ. Et Petrus: Si, ut tu ais, non est impium confugere ad alienū, multo magis pium est permanere apud propriū patrem, etiam si pauper sit. Aut si non putas esse impium, ut relicto patre nostro confugiamus ad alium, quasi meliorem, neq; indignari credis pro hoc creatorem nostrum: multo magis bonus deus nō indignabitur, quod cum essemus ab eo alieni, non confugimus ad eum, sed permansimus apud creatorem nostrum: & puto quod ex hoc magis conlaudabit nos, quia fidem seruamus creatori nostro deo: considerans quia si suijpsius fuissemus, nunquam relinquentes ipsum, seduci inlecebris potuissemus alienis. Nam si quis opulentioribus inlectus pollicitationibus, relicto proprio parente, confugiat ad alienū: potest fieri, ut iterum relicto eo, ad alium pergat qui maiora promiserit, eo magis quod ipsius proprius nō erat filius: quippe qui etiam eum, qui ei natura pater erat, relinquere potuit. Et Simon: Quid si ab illo sint animæ, & ignorant eum, & ille est uere pater ipsarum? Et Petrus: Satis, inquit, ostēdis eum inualidum. Nam si potentior, ut ais, omnibus est, nunquam potentiori inualidior spolia detraxisse credendus est: aut si potuit ui ab eo animas deducere in hunc mundum creator deus, quo modo eas corpore emissas, & captiuitatis uinculis resolutas, bonus deus uocabit ad pœnam, quæ per ipsius uel desidiam, uel infirmitatem, abstrahi ad hunc locum, & inuolui corpore quasi tenebris ignorantiæ potuerunt? Videris mihi ignorare quid sit pater & deus, uerum & animæ unde sint, uel quādo, & quomodo factæ, possem dicere: sed hæc nūc tibi aperire fas nō est, in tanto errore posito de scientia dei. Tum Simon: Erit, inquit, tempus cum pœnitebit te, quod dicentē me de ineffabili uirtute non intellexeris. Et Petrus ait: Da ergo nobis, ut sæpe iam dixi, tanquam nouus deus, aut qui ab illo descēderis, sensum aliquem nouum, per quem, nouum quem dicis deum, possimus agnoscere: isti enim quinq; sensus, quos nobis dedit creator deus, creatori suo fidem seruant, nec alium quenquam esse sentiunt deum, hoc eis ipsa sui præstante natura. Ad hæc Simon: Adhibe, inquit, animum ad ea quę dicturus sum, & facito eum inuisibilibus semitis incedentem, peruenire ad ea quę tibi demonstrauero. Ausculta ergo nunc: Nūquam ne in cogitatione positus, extendisti mentem tuam in regiones uel insulas porrò positas? & ita in eis fixus animo mansisti, ut ne præsentes quidem uidere, aut temetipsum scire ubi sederes, præ suauitate eorum, quæ habebantur in oculis, posses? Et Petrus ait: Verum est Simon: hoc mihi frequenter accidit. Et Simon: Ita & nunc sensum tuum extende in cœlum, & iterum super cœlum: & uide quia debet esse aliquis locus qui sit ultra mundum, uel extra mundum, in quo neque cœlum sit, neq; terra, ne umbra horum etiam ibi tenebras operetur. Et ob hoc cum neq; corpora aliqua in eo sint, neq; ex corporibus tenebræ, necessariò sit lumen immensum: & lumen considera cuiusmodi esse possit, cui tenebræ nullæ succedunt. Nam si uniuersum hunc mundum, solis huius replet lux, quantum ęstimas esse illud incorporeum lumen, & infinitum? tantum sine dubio, ut istud solis lumen, ad illud, tenebræ, & non lux esse uideatur. Hęc cum diceret Simon, Petrus respondit: De utroq; ergo patienter ausculta, id est, & de exemplo extendendi sensus, & de immensitate lucis. Scio meipsum ô Simon aliquando in cogitatione positum, extendisse sensum meum in regiones, ut ais, & insulas procul positas, easq; mente non minus, quàm oculis perspexisse: cum essem Caper

Lucæ.11.

Lumen immensum supra cœlos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naum in captura piscium positus,& sederem supra saxum,hamum setę innexum, & decipiendis piscibus aptatum,habens in manu,ita ut hærentem ei non senserim piscem, dum mens mea per desiderabilem mihi Hierusalē distenta, percurreret, ad quam sanè,oblationum gratia & orationū,uigilans frequēter ascenderam. Verum & Cæsareā hanc mirari ab alijs audiens,& desiderare solebam: & eam,in qua nondum fueram, uidere mihi uidebar, & cogitabam de ea quæ conueniret de ciuitate magna cogitari,portas,muros, lauacra,plateas,angiportus, fora, & horum consequentia,secundum ea scilicet quę in alijs urbibus uideram: & in tantum intentione huiusce modi intuitus delectabar,ut uerè, sicut ipse dixisti, nec præsentem atq; adstantem uiderem,nec ipse ubi sederem nossem. Et Simon: Modo,inquit,recte dicis.Et Petrus denicq; Cum piscem maximum qui hamo inhæserat,mēte occupatus habere minime sentirem: & id quidem cum hami lineam de manibus meis uiolenter arriperet, stupentem me uidens frater meus Andreas, qui mecū sedebat,ac penè casurum, latus fodiens cubitu, uelut dormientem excitat, dicens: Non uides Petre,quàm magnum piscem ceperis? nunquid nam mente excidisti,quod sic attonitus stupes? quid est,quod pateris? dic mihi.Et ego indignatus ei paululum, quod me à dulcedine eorū quæ intuebar,abstraxerit,respondi nihil me mali pati,sed animo desiderabilem mihi intueri Hierusalem,simulq; Cęsaream: & corpore quidem cum ipso esse,mente uero illuc penitus auferri. At ille,nescio unde inspiratus,recōditum & secretum ueritatis protulit uerbum: Desine,inquit,Petre: quid est quod agis? hi enim qui dæmone incipiunt repleri, uel moueri mente, huiuscemodi initia habent,per phantasias primo ad iucunda quæque & delectabilia transferūtur: deinde ad ea quę non sunt, uanis & inanibus motibus effunduntur. Hoc autem accidit ex languore quodam animæ, quod ea quidem quæ sunt, non uidet: desiderat uero adducere ad conspectus suos ea quæ non sunt.Sed & illis ita accidit,qui phrenesin patiuntur,& uidentur sibi multas imagines uidere,pro eo quod nimietate frigoris uel caloris anima ipsorum conuulsa & emota locis suis,errorem patitur ministerij naturalis.Sed & hi,qui laborant siti,cum in soporē uenerint, flumina & fontes uidere sibi uidentur, ac bibere: hoc autem patiuntur, ariditate intemperati corporis laborantes.Propter quod certum est,hæc uitio quodam,uel animæ,uel corporis fieri.Denicq; ut accipias rei fidem,de Hierusalem,quam sæpe uideram,dicebam fratri meo,quæ loca,quos ue conuentus,uisus mihi fuissem uidere. Sed & de Cæsarea,quam nunquam uideram, nihilominus contendebam, quod esset talis,qualem mente & cogitatione cōceperam.Cum autem uenissem huc, nihil omnino simile respiciens eorum, quæ per phantasias uideram, reprehendi memetipsum, & notaui ualde,quia ex alijs quæ uideram,portas ei,& muros, aliasq; ædes, reuera similitudinem ex alijs capiens, dederam. Neq; enim quis potest nouum aliquid, & cuius forma nulla unquam extiterit, cogitare. Nam & si uelit aliquis tauros, cum quinis capitibus, ex sua cogitatione formare,ex istis quos uidit cum singulis capitibus,illos quinis capitibus fingit.Et tu ergo nunc,si uere aliquid tibi uideris tua cogitatione perspicere,& supra cœlos intueri,non dubiū quin ex his ea consideres quæ in terris positus uides. Aut si putas facilem menti tuæ accessum esse super cœlos, & considerare te posse quæ illic sunt, atq; immensæ illius lucis scientiam capere: puto ei,qui illa potest comprehendere,facilius esse ut sensum suum,qui illuc nouit ascendere,in alicuius nostrū qui adsistimus,cor & pectus inijciat, & dicat,quas in eo cogitationes gerat.Si ergo potes alicuius nostrū, qui tamen non sit erga fauorem tuum occupatus, enunciare cogitationes cordis, poterimus tibi fortasse credere, quod & ea quæ super cœlos sunt,scire potueris, licet illa multo sint celsiora. Ad hæc Simon: Qui uero, inquit,multas nenias texuisti,audi iam nunc.Impossibile est omne quod ad cogitationē hominis uenerit,nō etiā re ipsa ac ueritate subsistere: quæ enim non sub-

Phrenetici.

sistunt,nec speciem habent: quę autem speciē non habent,nec cogitationi possunt occurrere.Et Petrus:Si omne,inquit, quod ad cogitationē uenire potest subsistit, istum quem dicis extra mundum esse immensitatis locum, si eum quis in corde suo lumen esse cogitet,alius uero tenebras,quomodo poterit unus atq; idem locus secundum eos, qui diuersa de eo cogitarunt, & lumen esse, & tenebræ? Et Simon: Omitte nunc ista quæ ego dixi, tu quid esse putes super cœlos dicito. Et Petrus:Si de uero,inquit,fonte luminis crederes, possem te docere, quid, & quomodo esset quod immensum est, & non phantasiam uanam, sed & consequentem & necessariam rationem redderem ueritatis, nec adsertionibus sophisticis, sed legis & naturæ testimonijs uterer,ut scires quia immensitatis fidem præcipue continet lex. Quod si immensitatis ratio non latet legem, nihil profecto aliud eam latēre potest: & ideo falsum est,quod putasti esse aliquid quod ignoret lex. Multo autem amplius nihil latebit eum,qui legem dedit. Nec tamen possum tibi aliquid de immensitate,& his quę sine fine sunt,loqui, nisi prius de his, qui certo fine terminantur cœlis, rationē uel receperis nostram, uel ipse protuleris tuam. Quod si de his, quæ certis finibus concluduntur intelligere non potes: multo magis de his quæ sine fine sunt, neq; scire aliquid poteris, neq; discere. Ad hæc Simon: Melius,ait,mihi uidetur simpliciter credere,quia deus est,& quia solum istud quod uidemus sit cœlum in uniuerso mundo.Et Petrus:Non ita,inquit, sed unum quidem cōfiteri cōuenit deum qui uere est.Cœlos autem esse qui ab eo facti sunt,sicut & lex dicit:quorum unum cœlum sit superius, quo continetur etiam uisibile firmamentum, illud esse perpetuum & æternum,cum his qui habitant ibi.Istud autem uisibile in consummatione seculi resoluēdum esse,& transire, ut illud cœlum, quod est antiquius & excelsius, post iudicium sanctis & dignis appareat. Ad hæc Simon respondit: Hæc ita esse,ut tu dicis,credentibus possent uideri.Ei autem qui horum expectat rationes, impossibile est ex lege proferri, & præcipue de immensitate lucis. Et Petrus: Noli,inquit, putare nos,quod ex fide sola recipienda esse dicamus,sed ex ratione adserēda. Neque enim tutum est nudæ hæc fidei,absq; ratione committere,cum utiq; ueritas ratione non careat.Et ideo qui hæc ratione munita susceperit, perdere eam nūquam potest: qui uero absque adsertionibus ea suscipit simplicis sermonis adsensu,neque seruare ea tutò potest,neq; si uera sint certus est: quia qui facile credit,facile & recedit: qui autem rationem quæsiuit eorum quæ credidit,& accepit,quasi uinculis quibusdam rationis ipsius conligatus,nunquam ab his quę credidit,diuelli,aut separari potest.Et ideo quanto quis propensior fuerit in expetenda ratione, tanto erit firmior in conseruanda fide. Ad hæc Simon: Magnum est, inquit, quod repromittis, ut immensæ lucis æternitas ex lege possit ostendi. Cumq; Petrus dixisset, quando uolueris: Simon ait, quoniam hora iam multa est,crastino adstanti mihi & reniteti,si probare potueris,factum esse hunc mundum, & animas esse immortales, habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Et cum hæc dixisset, egressus est: sequuta autem est eum ex omni populo qui cū ipso uenerat pars tertia,qui erant quasi mille uiri: cæteri uero flexis genibus prostrabant se Petro, super quos ille inuocato dei nomine,alios dæmonia habentes curauit, alios etiam languentes sanauit, & ita lætantem populum dimisit,mandans ei, ut in crastinum diem maturius conuenirēt. Petrus uero cum recessissent turbæ, sterni iussit humi subere atrij nudo ubi fuerat disputatum,& recubuit una cum illis undecim: ego uero cum alijs quibusdam,qui & ipsi initia audiendi uerbi dei acceperant, & erant charissimi, recumbens sumebam cibum. Sed benignissimus Petrus considerans,ne forte tristitiam mihi inferret ista sequestratio,ait ad me: Non pro superbia ô Clemens conuiuium non ago cum his,qui nondum purificati sunt,sed uereor ne forte mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim. Hoc enim pro certo scire te uolo,quia omnis qui idola coluit ali-

Duo cœli.

Visibile cœlū resoluetur in nouissimo die.

Veritas ratione munienda est.

Petri miracula.

Clemens excluſus à mensa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando,& eos quos pagani nominant deos,adorauit,uel de immolatis eorum degustauit,spiritu immundo non caret: conuiua enim factus est dæmonum,& participium sumpsit eius dæmonis,cuius in mente sua speciem,uel timore, uel amore, formauit; & per hæc mundus non est à spiritu immundo, & ideo purificatione indiget baptismi,ut exeat ab eo spiritus immundus,qui interiores animæ ipsius insedit affectus,& quod est deterius,nec, quod intrinsecus lateat, indicatur, uti ne publicatus fugetur. Amant enim isti spiritus immundi inhęrere corporibus hominũ, ut ipsorum ministerio cupiditates suas expleant,& ad ea quæ ipsi desiderant, inclinantes animæ motus, suis eos parêre libidinibus cogant, ut efficiantur ex integro uasa dæmonum. Ex quibus unus est Simon hic, qui tali quodam morbo comprehensus,nec sanari iam potest,quia uoluntate & proposito ęgrotat. Nec contra uoluntatem eius habitat in eo dæmon: & ideo si eum quis fugare uelit & expellere ab eo,cum sit inseparabilis, &, ut ita dicam, anima iam eius effectus, uidebitur magis necare eum,& homicidij crimen incurrere. Nemo ergo uestrũ contristetur à conuiuio nostro separatus, tẽpore enim aliquo obseruare debet unusquisq; sanè quanto ipse uoluerit. Paruo enim tempore sequestratur, qui citò uoluerit baptizari: multo autem,qui tardius. Vnusquisq; ergo in sua habet pọ:estate,breue aut longũ pœnitentiæ suæ tempus exigere: & ideo in uobis est, quando uelitis ad nostram cõuenire mensam,& non in nobis,quibus permissum non est,sumere cum aliquo cibũ, nisi prius fuerit baptizatus. Vos ergo magis nos prohibetis à uestro conuiuio,si ad purificandũ moras habeatis, & tardius baptizemini. His dictis cum benedixisset, cibum sumpsit. Et post hæc cum gratias egisset deo, ingressus quieuit, similiter autem & nos omnes,erat enim iam nox,

Spiritus immũdi cur occupent homines.

Baptizati non comedebant cũ illotis.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER TERTIVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.

INTEREA Petrus gallorum cantibus surgens, & excitare nos uolens, inuenit uigilantes, uespertino adhuc lumine perdurãte: cumq; ex more salutauisset,& resedissemus omnes,ita exorsus est: Nihil est difficilius, fratres mei, quàm de ueritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est, omnibus, ut est, dici non licet, propter eos qui maligne & insidiose audiunt: fallere uero non expedit, propter eos qui syncere audire desiderant ueritatem. Quid ergo faciet cui ad indiscretum populum sermo est, occultet quod uerum est? Et quomodo instruet eos qui digni sunt? Sed si meram proferat ueritatem his, qui salutem consequi nõ desiderent,illi à quo missus est, iniuriam facit, à quo & mandatum accepit,ne mittat uerborũ eius margaritas ante porcos & canes,qui aduersum eas, argumentis ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidem cœno intelligentiæ carnalis inuoluant: latratibus autem suis & responsionibus sordidis, rumpant & fatigent prædicatores uerbi dei. Propter quod & ego in plurimis circuitu quodam uerbi utens, tentare nitebar, ne principalem de summa diuinitate intelligentiam, minus dignis auribus publicarem. Et post hæc incipiens de patre, & filio, & spiritu sancto, breuiter nobis & euidenter exposuit, ut omnes audientes miraremur, quomodo homines derelicta ueritate, conuersi sunt ad uanitatẽ. Sed cum inluxisset dies, ingressus est quidam, dicens:



Difficile est apud promiscuã plebem de ueritate dicere.

Cœno carnalis intelligẽtiæ corrumpitur scriptura.

dicens: Multitudo plurima expectat in atrio, in quorum medio stat Simon, persuasionibus pessimis præuenire aures populi cupiens. Et Petrus statim egressus, stetit in loco in quo pridie disputauerat: omnisq; ad ipsum populus cõuersus,cum gaudio intendebat in eum. Simon uero ubi sensit gauisum esse populum de conspectu Petri,& erga affectum eius moueri,obstupefactus ait: Miror hominum stultitiam, qui me magum dicunt, & Petrum diligunt: cum utiq; olim habentes notitiam mei, me magis diligere deberent: & ideo ex hoc indicio, qui habent sensum, possunt intelligere, quia magis Petrus magus uideri potest, cum mihi, cui ex consuetudine debitus propemodum est,non defertur affectus: illi autem,cui nullo usu debetur, abundanter expenditur. Et cum multa huiusce modi Simon diceret, Petrus salutato ex more populo,ita respondit: Sufficit unicuiq; ô Simon ad cõfutandum conscientia sua: quod si hoc miraris, quod noti non solum te non diligunt, sed & oderunt, tui causam disce à me. Cum sis seductor,ueritatem te prædicare profiteris: ob hoc plures,desiderium gerentes discendæ ueritatis, amicos habuisti. Sed hi ubi contraria in te quàm profitebaris, uiderunt, qui amatores erant, ut dixi,ueritatis, non solum non diligere te,sed & odisse cœperunt. Non autem statim ab eis desertus es, quia uel pollicebaris adhuc te eis ostendere posse, quod uerum est. Donec ergo nondum aderat qui posset ostendere,patiebantur te: ubi uero spes eis doctrinæ melioris adrisit, te contemnentes, quod melius intelligunt, nosse desiderant. Et tu quidem nefariis artibus agens, ab exordio latêre te posse credidisti, sed non lates: urgeris enim, & contra spem publicaris, quia non solũ ignorasti ueritatem, sed nec audire uoluisti ab his qui eam sciebant. Si enim audire uoluisses,innotuisset utiq; tibi ille sermo eius, qui ait, quia nihil est occultũ, quod non agnoscetur: necq; opertũ, quod non reueletur. Hęc & his similia dicente Petro, Simon respondit: Nolo me uerbis occupes Petre: repeto abs te,quæ hesterno promiseras: dicebas enim ostendere te posse, quia lex doceat de immensitate lucis æternæ, & quod duo tantum sint cœli, & ipsi creati: sed superius esse lucis illius sedem, in qua solus in æternum residet ineffabilis pater. Ad illius uero cœli similitudinem,factum esse etiam istud uisibile cœlum, quod & transiturum confirmabas. Vnum ergo dixisti esse patrem omnium, quia non possunt duo esse immensi, alioqui neuter eorum immensus erit, quia in eo quo alter subsistit, alteri finem subsistendi facit. Si ergo hæc non tantum polliceris, sed & ostendere potes ex lege, omittens plura loqui, hinc incipe. Et Petrus: Si propter te, inquit, qui ad contradicendum tantummodo uenis, rogarer de his dicere, nunquam à me unum saltem posses audire sermonem. Sed quoniam necesse est agricolam, qui uult bonam terram seminare, nonnulla semina perdere, aut in petrosis, aut in his, quæ ab hominibus conculcanda sunt, uel in dumosis ac repletis sentibus, locis, sicut & magister noster exposuit, diuersitatem propositi uniuscuiusque animæ per hæc indicans, non morabor. Tum Simon: Videris mihi, inquit, irasci: quod si est, non necesse est inire conflictum. Et Petrus: Video te sentire quod arguendus sis, & uis urbane subterfugere certamen: nam quid uidisti me iratum fecisse in te hominem, tantum populum decipere cupientem? & cum nihil habeas quod dicas, modestiam simulantem,qui & autoritate tua iubes, ut quomodo ipse uis,& non quomodo ordo postulat,controuersia moueatur. Et Simon: Imperabo mihijpsi sapientia uti ad imperitiã tuam, ut ostendam te quidem uelle populum seducere,me autem docere quæ uera sunt. Sed nunc omitto de immensa luce discutere: quod interrogo te,hoc mihi responde. Cum deus fecerit uniuersa,ut tu dicis, unde est malum? Et Petrus: Hoc modo interrogare non est aduersantis,sed interrogantis. Si ergo uis discere, confitere,& prius te doceam, quomodo debeas discere: & cum didiceris audire, tunc iam te incipiam consequenter docere. Si uero non uis discere, tanquam sciens omnia,

Secundus congressus Petri cũ Simone.

Lucæ 8.

Vnus immẽsus.

Prædicatoribus uelut agricolis, nonnulla semina pereunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ego prius expono fidem quam prædico, expone & tu, quod tibi uerum uidetur. Et cum manifesta fuerit utriusq; professio, iudicetur ab auditoribus cuius nostrûm sermo sit ueritate subnixus. Et Simon ad hæc respondit: Risus mihi est, ecce qui promittit quod me doceat. Veruntamen patiar te, & imperitiam tuam atq; arrogantiam feram: confiteor, discere uolo, uideam quomodo me poteris docere. Et Petrus: Si, inquit, uere dis discere, disce hoc primum, quàm imperite interrogaueris: ais enim, cum deus uniuersa creauerit, unde est malum? Ante enim quàm hoc rogares, tres interrogandi species præcedebant. Primo, si est malum. Secũdo, quid sit malum. Tertio, cui sit, & unde. Ad hæc Simon: O imperitissime, inquit, & ineruditissime, est ne hominum quisquam qui non confiteatur, quia sit in hac uita malum? Vnde & ego putans te uel cõmunem omnium habere sensum, interrogaui unde sit malum, non ut discere uolens, qui omnia sciam, abs te præcipue qui nihil noueris: sed ut te ostendam ignarum esse omnium. & ne putes quia iratus sum quod ita tecum austerius loquor: miseratio me habet horũ qui adsunt, quos tu decipere conaris. Et Petrus ait: Multum malus es, si tantas iniurias non iratus facis: sed impossibile est fumum consurgere, ubi ignis nõ est. Veruntamen dicam, ne te uerbis uidear occupare, quo minus ad ea quæ abs te incõuenienter sunt dicta, respondeam. Ais omnes fateri, quia sit malũ: quod utiq; falsum est: nam primo omnium quia subsistat malum, uniuersa Hebræorum negat gens. Et Simon interrupto sermone: Recte, inquit, faciunt qui dicunt non esse malum. Et Petrus: Non de hoc nunc proposuimus dicere, sed quia non omnes dicunt esse malum. Secundum autem erat interrogare te, quid est malum, substantia, an accidens, an actus? sed & alia multa huiusmodi. Et post hæc, erga quid, uel quomodo sit, aut cui sit malum, utrum deo an angelis, an hominibus pijs, an impijs omnibus, an aliquibus, an sibijpsi, an nulli. Et tunc interrogares unde sit, utrum nam à deo, an ex nihilo, semper ne fuerit, an ex tempore cœperit, utile sit, an inutile, & alia multa quæ huiusce modi propositio exigit. Ad hæc Simon respondet: Ignosce mihi, errauí de prima interrogatione, sed puta me nunc primum interrogare, est malum an non? Et Petrus ait: Quomodo interrogas, quasi discere uolens, an docere, an quęstionis mouendæ gratia? Si quidem quasi discere uolens, habeo quod te prius doceam, ut per consequentiam & ordinem doctrinæ ueniens, ex teipso intelligas, quid sit malum. Si uero ut docens proponis, non indigeo abs te doceri, habeo enim magistrum à quo omnia didici. Quod si quæstionis mouendæ, & disputandi gratia, uterq; nostrum prius quod sibi uidetur, exponat, & ita certamen habeatur. Neque enim uerum est ut interroges, quasi discere uolens, & contradicas ut docens, ut post responsionẽ meam in tuo iudicio sit, dicere, si bene, an male dixerim. Propter quod non potes in loco contradicentis stans, iudex esse eorum quæ dicimus: & ideo, ut dixi, si certamen habendum est, uterq; nostrum quod sentit exponat, & nobis in conflictu positis, religiosi auditores hi iusti iudices erunt. Et Simon: Non tibi uidetur absurdum ut imperitus populus de nostris dictis habeat iudiciũ? Et Petrus: Non ita est: quod enim uni fortasse minus liquet, inuestigari à plurimis poterit: nam sæpe etiam fama uulgí, prophetiæ speciem tenet. Super hæc autẽ omnia, præsens hic omnis populus amore dei cõstrictus, hic adstat, ueriq; cognoscendi gratia: & ideo omnes isti, quasi unus habendus est, pro uno eodemq; erga amorem ueritatis affectu: sicut è cõtrario duo inter se si dissentiant, multi sunt, & diuersi. Si autem uis indicium capere, quomodo omnis hic populus qui adstat, quasi unus sit homo, ex silentio eius ipso, & quiete considera: quomodo cum omni patientia, ut uides, etiam antequã discant, ueritati dei honorem deferunt. Nondũ enim maiorem cultum, quem ei deferre debeant, didicerũt. Propter quod spero de clemẽtia dei, quod religiosum propositũ mentis eorum amplectetur erga se, & ueritatem prædicanti, uictorię

Discentibus primo ĩperitia sua est agnoscenda.

Fumus nunquã est sine igne,

Hebræi negant esse malum.

Ordine discendum est.

uictorię palmam dabit, ut manifestum eis faciat ueritatis præconem. Tum Simon: De quo, inquit, uis haberi certamen? dic, ut & ego definiam quod mihi uidetur, & ita quæstio incipiat. Et Petrus respondit: Si quidem, ut mihi uidetur, facere uis, ego secundum magistri mei præceptum fieri uolo, qui primo omniũ Hebrææ genti, quam sciebat habere cognitionem dei, & quod ipse esset qui fecerit mundum, præcipit, non ut eum quęreret quem sciebat, sed uoluntatem eius iustitiamq; perquireret: sciens, quia in hominũ arbitrio positum est, ut hoc quærentes inueniant, & faciant, atq; obseruent ea de quibus iudicandi sunt. Et ideo iussit nos quærere, non unde sit malum, ut tu paulò ante requirebas, sed iustitiam boni dei, regnumq; eius, & omnia, inquit, hæc adijcientur uobis. Et Simon: Quoniam, inquit, Hebræis ista mandantur, uelut recte scientibus deum, & opinantibus, quod unusquisq; in suo arbitrio habeat, agere ea de quibus iudicandus est: mihi autem ab illis discrepat sententia, unde uis ut incipiam? Tum Petrus: Ego, inquit, suadeo primo quærendum esse, si in potestate nostra est scire unde iudicandi simus. Et Simon: Non ita, inquit, sed de deo: unde & omnes qui præstò sunt, audire cupiunt. Et Petrus: Constat ergo apud te, quia est aliquid in arbitrij potestate facere? hoc tantum si est, & requiramus, ut dicis, de deo. Simon ad hæc respondit: Nequaquam. Et Petrus: Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est nos quærere aliquid de deo, cum in potestate non sit quærentibus inuenire. Vnde bene dixeram, hoc primo quærendum esse, si est aliquid in arbitrij potestate. Tum Simon: Non possum, inquit, ne hoc ipsum quidem intelligere, quod dicis, Si est aliquid in arbitrij potestate. At Petrus uidens quod ad partem se contentiosiorẽ declinat, superari metuens, ut quasi in incertum confundat omnia, respondet: Quomodo ergo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid, cũ hoc ipse scias? Et Simõ: Nescio, inquit, si uel hoc ipsum sciam: unusquisq; enim sicut ei fato decernitur, uel sapit aliquid, uel intelligit, uel patitur. Tum Petrus: Videte, inquit, fratres in quæ absurda deciderit Simon, qui ante meum aduentum docebat, quod homines in potestate haberent & sapere, & facere quæ uellent. Nunc in angustũ redactus necessitate uerboꝝ, negat esse in hominis potestate, aut sciendi aliquid, aut agendi, & tamen audet se doctorem profiteri. Sed dic, quomodo ergo deus iudicat secundum ueritatem unumquemq; pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? hoc si teneatur, cõuulsa sunt omnia, frustra erit studium sectandi meliora, sed & iudices seculi frustra legibus præsunt, & puniunt eos qui male agunt: non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt: miseri erunt & hi qui seruant cum labore iustitiam: beati uero illi, qui in delicijs positi, cum luxuria & scelere uiuentes, tyrannidem tenent. Secundum hæc ergo, nec iustitia erit, nec bonitas, nec ulla uirtus, &, ut uis, nec deus. Sed hæc, ô Simon, cur dixeris scio, uolens profecto effugere quæstiones, ne possis manifestius confutari, & ideo ais non esse in potestate hominis sentire aliquid, aut inuenire. Si enim uere hoc ita sensisses, non utiq; etiam ante aduentum meum apud populum te profitereris doctorem. Ego igitur dico sui esse arbitrij hominem. Et Simon: Quid est sui arbitrij? dic nobis. Petrus ad hæc: Si nihil potest disci, cur & audire uis? Et Simon: Nihil habes ad hoc quod respondeas? Tum Petrus: Dicam non à te compulsus, sed ab auditoribus rogatus. Arbitrij potestas est sensus animæ, habens uirtutem, qua possit ad quos uelit actus inclinari. Tum Simon conlaudans Petrum super his quæ dixerat: Vere, inquit, magnifice & incomparabiliter exposuisti, bene enim dicenti tibi debeo testimonium dare: hoc tamen quod te interrogo nunc, si exposueris mihi, in cæteris omnibus obtemperabo tibi: quod ergo uolo discere, hoc est: Si quod deus uult esse, est: & si quod non uult esse, non est: de hoc responde mihi. Et Petrus: Si ignoras quod absurde & incompe-

Obseruare mandata.

Argumentũ Petri, esse arbitriũ aliquatenus liberum.

Simõ negans arbitriũ ad fatum confugit.

Sublato libero arbitrio quanta feneſtra aperiatur peccatis.

Liberũ arbitriũ quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenter interroges, ignoscens tibi ipse exponam: Si autem scis quod inconsequenter interrogas, non recte facis. Tum Simon: Iuro, inquit, ipsam quæcunq; illa est, summam diuinitatem, quæ habet iudicium & uindictam in eos qui peccant, quia ignoro quid incompetenter dixerim, & quid in uerbis meis habeatur absurdum, in his duntaxat quæ proposui. Ad hæc Petrus: Quoniam, inquit, te ignorare confessus es, disce. Interrogatio tua duobus sibi inuicem contrarijs, unam sententiam postulauit: etenim omnis motus in duas partes diuiditur: ut quædam necessitate, quædam uoluntate moueantur: & ea quidem quæ necessitas mouet, semper in motu sunt: quæ uero uoluntas, non semper: ut uerbi gratia dicam. Solis motus necessitate ducitur, ut statutum compleat cursum: omnisq; status cœli, & ministeria necessarijs motibus constant. Homo uero actuum suorũ motus uoluntarios gerit. Et ideo alia sunt, quæ ob hoc creata sunt, ut in ministerijs suis necessitate deseruiant, nec facere aliud quippiã possint, nisi quod eis statutũ est. Cum autem expleuerint ministerium, creator omnium qui ita constituit ea, prout uoluerit, conseruat ea. Alia uero sunt ubi potestas est uoluntatis, & in quibus agendi quæ uelint, liberum habetur arbitrium. Hæc, ut dixi, nõ semper in eo ordine, quo creata sunt, permanent, sed pro ut uoluntas duxerit, & animi iudiciũ declinauerit, siue bonis, siue malis studebunt: & ideo bene agentibus munera posuit, male agentibus pœnas. Ais ergo tu, si deus uult aliquid esse, & est: & si non uult, non est: scilicet ut si responderem, quia quod uult, & est: quod autem non uult, non est: diceres, ergo ipse uult esse mala quæ in hoc mundo geruntur, quia omne quod uult, hoc & est: quod autem non uult, non est. Si uero respondissem non esse hoc, ut quod uult deus, sit: & quod nõ uult, non sit: tum retorto sermone diceres, ergo impossibilis est deus, si quod uult, non potest, & existeres petulantior, ut qui nihil rectum dixeris, uicisse te crederes. Et ideo ignoras ô Simon, & ualde ignoras, quomodo in singulis quibusq; uoluntas sit dei: quædam enim uoluit, ut diximus, ita esse, ut aliud esse non possent, quã id quod ab ipso instituta sunt: & his neq; præmia, neq; supplicia statuit. Ea uero quæ ita esse uoluit, ut in sua potestate habeant, agere quod uelint, his pro actibus ac uoluntatibus suis statuit, ut aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cum ergo in duas, ut edocui, partes diuidantur cuncta quæ mouentur, secundũ eam quam suprà dixi mus distinctionẽ, omne quod uult deus, est, quod autem non uult, non est. Et Simon ad hæc: Nónne, poterat nos omnes facere tales ut essemus boni, & aliud esse non possemus? Petrus respondet: Et hoc absurde interrogas. Si enim nos inconuertibilis naturæ fecisset, & immobiles à bono, non essemus uere boni, quia aliud esse non possemus: & non erat nostri propositi, quod eramus boni, nec nostrum erat quod agebamus, sed necessitatis naturæ. Quomodo ergo hoc bonũ dicetur, quod ex proposito nõ agitur? Ob hoc autẽ & prolixioribus indiguit mũdus iste temporibus, donec animarum, quę prædestinatę sunt, ad expletionem eius numerus impleretur. Et tunc istud quidem uisibile cœlum reuolueretur ut liber. Illud uero quod est superius, appareret, & animæ beatorũ corporibus suis redditæ, inducerentur in lucem. Impiorum uero animę, pro immundis actibus suis, spiritu flammeo circundatæ, in profundum ignis inextinguibilis mergerentur, per seculum expensuræ supplicia. Hæc autem ita esse, uerus nobis propheta testatus est: de quo si uis agnoscere, quia propheta sit, innumeris adsertionibus edocebo. Ex his enim quæ ab eo dicta sunt, & nunc singula quæ dixit implentur, etiam ea quæ futura dixit, creduntur implenda: fides enim futuris, ex his quæ iam gesta sunt, datur. At Simon cui cõpertum erat, Petrum de prophetię titulo dilucide adsignare rationẽ, ex quo quęstio omnis absoluitur, sermonẽ de hoc fieri declinauit. Et respondẽs ait: Ad ea quæ uolo, responde mihi, & dic: Si uisibile istud, ut ais, cœlum resoluetur, cur ex initio factum est? Respondit Petrus: Propter hominum prẽsentem hanc factum est uitam, ut esset

Duas partes motus.

Bruta.

Homines.

ut esset interiectio quædam & diuisio, ne quis fortè indignus habitationem cœlestium, & dei ipsius sedem uideret, quæ his solis qui mundi corde sunt, uidenda prẽparantur. Nunc autem, id est agonis tempore, inuisibilia esse placuit, ea quæ uincentibus ad præmium destinata sunt. Et Simon ait: Si conditor bonus est, & mundus bonus, quomodo bonus bona dissoluet aliquando? Si autem quasi malum resoluit & destruit, quomodo non uidebitur malus qui malum fecit? Petrus ad hæc: Quoniam, inquit, spopondimus tibi, ne blasphemantẽ te fugiamus, ipse enim reddes pro his quæ loqueris rationem, patienter ferimus. Audi ergo nunc: Cœlũ istud quod uisibile est, & pertransit, si quidem propter semetipsum factum esset, haberet fortasse quod dicis aliquid rationis, quia resolui minime deberet. Si uero propter aliud quid factum est, & nõ propter se, necessariò soluetur, ut illud pro quo factum uidetur, appareat. Sicut uerbi gratia dixerim, testa ouorum quamuis pulchre facta, & diligenter formata uideatur, necesse est tamen eam frangi, & resolui, ut inde pulus procedat, & illud, pro quo totius oui forma expressa uidetur, appareat. Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. Et Simon: Non mihi uidetur, quia resolui possit cœlum, quod à deo factum est. Ab æterno enim æterna fiunt, à corruptibili temporalia & caduca. Et Petrus: Non ita est, sed à mortalibus quidem omnimodis corruptibilia fiunt, & temporalia: ab ęterno uero nõ semper corruptibilia, neq; semper incorruptibilia, sed prout uoluerit creator deus, ita & erũt illa quę creat. Neq; enim sub lege est uirtus dei, sed lex creaturis suis uoluntas eius est. Respondit & Simon: Reuoco te, inquit, ad primam quæstionem: dixisti deum nunc quidem nulli esse uisibilem, cum uero resolutum fuerit cœlum istud, & supernus ille status regni cœlestis obfulserit, tũc eos qui mundi sunt corde, etiam deum uisuros: quę sententia contraria est legi, ibi enim scriptum est deum dixisse: Nemo uidebit faciem meam & uiuet. Et Petrus respondit: His qui legem, non ex traditione Moysi legunt, cõtrarius uidetur sermo meus: sed audi quomodo non sit contrarius. Deus uidẽ mente, non corpore: spiritu, non carne. Vnde & angeli qui sunt spiritus, uident deum: & homines ergo, donec homines sunt, deum uidere non possunt. Ex resurrectione autem mortuorum, cum facti fuerint sicut angeli, uidere poterunt deum. Et hoc modo non est sermo meus legi contrarius: neq; illud quod magister meus dixit: Beati mundo corde, quoniã ipsi deum uidebunt. Futurũ enim tempus ostendit, in quo ex hominibus angeli fient, qui in spiritu mentis deum uidebunt. Post hęc autem uerba multaq; alia his similia, cum iuramentis pluribus adfirmare Simon cœpit, dicens: De hoc mihi solo rationem redde, si immortalis est anima, & obsequar in omnibus uoluntati tuæ, sed crastino, inquit, nam hodie iam tardũ est. Vbi ergo cœpit dicere Petrus, Simon egressus est, & cum ipso perpauci ex sodalibus eius, & hoc præ uerecundia. Cæteri uero omnes ad Petrum conuersi, genibus positis prosternebant se ante eum, ex quibus aliquanti diuersis languoribus adstricti, aut dæmonibus incursati, oratione Petri sanabantur, & discedebant gaudentes, quasi ueri dei doctrinam, simul & misericordiam consequuti. Cum ergo abscessissent turbæ, & soli familiares eius remansissemus cum eo, stratis humi redditis adcubuimus, solitum unusquisq; recognoscens locum: sumptoq; cibo, cum gratias egissemus deo, quieuimus. Sequenti uero die, Petrus ex more ante lucem surgens, iam nos inuenit uigilantes, & paratos ad audiendum. Atq; ita is exorsus est: Deprecor uos fratres, & conserui mei, ut si quis fortè uestrũm non potest uigilare, nõ sibi extorqueat, erubescens prẽsentiã meam, quia difficilis est subita permutatio. Longo autem tempore si paulatim adsuefiat, labori non erit quod ex usu uenit. Non enim omnes eiusdem institutionis fuimus, licet processu temporis in unã temperari consuetudinẽ poterimus: aiunt enim, quod secundum naturæ locum obtineat consuetudo. Testem autem deum inuoco, quod

Virtus dei non est sub lege.

Exod. 33.

Discipuli Simonis deficiunt ad Petrum.

Vide humanitatem Petri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non indignor, si quis fortè non potest uigilare: sed hoc magis, si cum totam quis noctem dormiat, per diem nō replet id quod omisit in nocte. Necessarium nanq; est, doctrinæ studijs intente & indesinenter operam dare, ut mens nostra dei solius memoria repleatur: quia mentē quam repleuerit memoria dei, maligno in ea non dabitur locus. Cum hæc diceret ad nos Petrus, unusquisq; nostrū solicite satisfaciebat ei, quod olim breui somno satiati, uigilaremus, sed uereremur excitare eū, quia nec deceret discipulos magistro imperare, quod tamē penè, ô Petre, ausi fueramus præsumere, dum cor nostrum, nimio uerborū tuorum desiderio tripudians, somnum penitus fugaret ab oculis. Sed iterum affectus erga te noster obstitit, & uiolenter te à nobis non tulit excitari. Tum Petrus: Quoniam igitur audiendi, inquit, desiderio libenter uos adseritis uigilare, uolo uobis ea tantum, quæ hesterno sparsim dicta sunt, repetens, diligentius & cum suo ordine explicare. Quod & per singulas quasq; disputationes diurnas facere dispono: ut per noctem ubi secretū loci, & temporis datur, si quid fortè, utpote in certamine, minus plenè dictū est, id integro ordine, & linea directæ explanationis aperiam. Et post hęc cœpit nobis ostendere, quomodo hesterno haberi debuerit disputatio, & propter contentionē, uel imperitiam contradicentis haberi non potuit: & ideo sola professione usus sit, atque ea quæ ab aduersario dicebantur, tantum destruxerit: sua uero neq; omnia, neq; manifeste exposuerit, & singula nobis repetens integro ordine, & plena ratione disseruit. Cum uero iam albesceret dies, egressus ad turbas post orationem, solito ad disputandum constitit loco, & uidens Simonem in medijs turbis stantem, ex more prius salutato populo, ait: Dolori mihi esse fateor, de nonnullis hominibus, qui cum ita ad nos uenīūt, ut discant aliquid, ubi eos docere cœperimus, ipsi rursus magistros se esse profitentur, & interrogant quidē, ut ignorantes, contradicunt autem ut scientes. Sed fortasse dicat aliquis, quia qui interrogat, ob hoc quidem ut discat interrogat: ubi uero id quod audierit, non ei recte dictū uidetur, necesse est ut respondeat: & hæc ei uidetur esse contradictio, quę non est contradictio, sed rei interrogatio. Audi ergo ad hæc: totius doctrinæ disciplina, certum habet ordinē: & sunt quædā quæ prima tradenda sunt, alia uero quæ secundo in loco, & alia tertio, & sic singula quæq; per ordinem, quæ utiq; si per consequentiā tradantur, manifesta fiunt. Extra ordinē uero si proferantur, etiam contra rationē dicta uidebuntur. Et ideo in primis ordo seruandus est, si tamen hoc proposito quæramus, ut possimus quod quærimus inuenire: Etenim qui rectum initium uiæ acceperit, etiam secundū locum consequenter aduertet, & ex secundo tertiū facilius inueniet: & quanto ultra processerit, tanto magis ei uia agnitionis apertior fiet, usquequo ad ipsam quô tendit & desiderat urbem perueniat ueritatis. Qui uero imperitus est, & quærendi uiam nescit, sicut peregrinus uiator, ignorans & errans, si ciue & indigena nolit uti duce, sine dubio cū aberrauerit à uia ueritatis, extra uitæ ianuas remanebit, & ita noctis atræ tenebris inuolutus, per semitas perditionis incedet. Quia ergo si per ordinē quæ quærenda sunt inquirantur, inueniri facillime possunt: ordinem uero requirendi imperitus ignorat, rectum est ut scienti cedat ignarus, & primo quærendi ordinem discat: ut ita demum interrogandi, & respondendi inueniat disciplinā. Et Simon ad hæc: Nō ergo omniū est ueritas, sed eorum tantūmodo qui artem nouerint disputandi: quod utiq; absurdū est, cum æqualiter sit deus omniū, non omnes æqualiter posse uoluntatem eius agnoscere. Et Petrus: Aequales, inquit, omnes ab eo facti sunt, & æqualiter cunctis dedit capaces esse ueritatis. Verum quod nullus eorum, qui nati sunt, eruditus natus sit, sed posterior sit natiuitate eruditio, nulli dubium est. Cum igitur natiuitas hominū in eo teneat æquitatē, ut omnes similiter percipiēdæ disciplinę capaces sint, nō est in natura, sed in eruditione diuersitas. Aut quis nescit, quod ea quę unusquisque didicit, priusquā disceret, ignorabat? Et Simō: Vere, inquit, dicis. Tum Petrus:

Tertius conflictus Petri cū Simone.

Ordine omnia facienda.

Ordo quærendi primo discēdus.

Si ergo in his artibus, quæ usus communis habet, primo discitur, deinde docetur: quanto magis oportet eos qui eruditores se profitentur animarū, primo discere, & ita docere, ne cum sint ipsi imperiti, ridiculū uideaē, si alijs se præstituros scientiā repromittant. Tum Simon: In artibus, inquit, his quæ usus cōmunis habet, uerū est, quod unusquisq; nisi didicerit, nesciat. In uerbo uero scientię statim ut audierit quis didicit. Et Petrus: Si quidem per ordinem, & cōsequenter audiat, potest scire quod uerum est: sed qui emendatioris uitæ regulam conuersationisq; castioris suscipere recusat, quæ utiq; sequela est scientiæ ueritatis, scire se, quod scit, non uult fateri. Sicut etiam nonnullos uidemus, qui artibus, quas à puero didicerant, derelictis, ad alios se actus cōferunt: & ut excusatio sit eis desidiæ suæ, culpare incipiunt artē, uelut infructuosam. Et Simon: Deberent omnes audientes credere uerum esse, quod audiunt. Tum Petrus: Qui audierint per ordinem sermonem ueritatis, contradicere omnino non possunt, sed sciūt uerum esse quod dicitur, si tamen libēter etiam uitę institutа suscipiant. Hos uero quos audientes ad bona opera conferre se piget, male agendi libido adquiescere his quæ recta iudicāt, non sinit. Vnde ostenditur positum esse in auditorū potestate, eligere utrum malint. Quod si omnes qui audiunt, obedirent, naturæ magis esset necessitas, quę una omnes ageret uia. Sicut enim suaderi quis non potest, ut fiat breuior, aut longior, quia non sinit uis naturę: Ita & ad ueritatem, si omnes uerbo conuerterentur, aut omnes non conuerterentur, naturæ esset uis, quæ cogebat uerbo omnes conuerti, aut nullum omnino conuerti. Et Simon: Doce ergo nos, quid primo oportet discere eum, qui ueritatē scire desiderat. Et Petrus: Ante omnia, inquit, quæri oportet, quid sit homini quærenti inuenire possibile. Necesse est enim iudiciū dei in hoc stare, si potuit homo bonum facere, & non fecit: & ideo quærendum est hominibus, si habeant in potestate sua quærentes inuenire, quid est bonum, & cum inuenerint facere, hoc enim est pro quo iudicandi sunt. Amplius autem his solum scire fas est prophetam, & meritò: quid enim opus est hominibus scire, quomodo factus sit mūdus? Hæc em̄ discenda necessariò uiderentur, si simile ineundū nobis esset artificium. Nunc autem sufficit nobis ad cultum dei ut sciamus, quia ipse fecit mundum: quomodo autem fecerit, quęrendum non est, quia ut dixi, non nobis imminet, tanquam simile aliquid facturis, artis ipsius scientiam discere. Sed neq; pro hoc iudicādi sumus, quum non didicerimus quomodo factus sit mundus: sed pro hoc tantum, si ignoremus conditorem eius. Sciemus autem conditorem mundi iustum, & bonum deum, si eum se mitis iustitiæ requiramus. Nam si hoc tantum sciamus de eo quod bonus est, huiusmodi scientia non sufficit ad salutē. In præsenti enim tempore, bonitate eius & beneficijs perfruūtur, non solum digni, sed etiam indigni. Si uero non tantū bonum, sed etiam iustum eum credamus, & secūdum hoc quod de deo credimus, in omni uita nostra iustitiam teneamus, etiam bonitate eius in æternum fruemur. Denique Hebræis, qui de deo ita opinabātur, quod solum bonus esset, dicebat magister noster, ut & iustitiā eius quærerent, hoc est, ut scirent eum præsenti quidem tempore bonū esse, ut omnes in bonitate eius uiuant. Iustum uero eum futurū in die iudicij, ut dignis præmia æterna restituat, à quibus excludet indignos. Et Simō: Quomodo potest unum atq; idem, & bonum esse, & iustum? Petrus ait: Quia sine iustitia, bonum quodammodo uidebitur: boni est enim, solem suum & pluuiam, ex æquo iustis & iniustis præbere: sed hoc uideretur iniustū, si bonos malosq; æquali semper sorte censeret, & nisi frugū causa hoc faceret, quibus perfrui æqualiter omnes, qui in hoc mundo nati sunt, conueniret. Sed sicut data à deo pluuia, ex æquo & fruges nutrit, & lolium: messis autem tempore, frumenta quidem congregantur in horreum, paleæ uero uel lolium igni consumuntur: Ita in die iudicij cum iusti introducentur in regnū dei, iniusti autem abijcientur foras, tunc etiā iustitia dei ostendetur.

Bene uiuere sequela est scientiæ ueritatis.

Eligere est nostri arbitrij.

Matth. 6.

Matth. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam ſi æqualis permaneret perpetuò malis & bonis, iam hoc non ſolum bonum non eſſet, ſed & iniuſtum atq; iniquum uideretur, ut iuſti & iniuſti uno apud eum haberentur ordine meritorum. Et Simon: Vnum eſt de quo mihi uelim ſatisfieri, ſi immortalis eſt anima: non enim poſſum onus ſubire iuſtitiæ, niſi prius de immortalitate animæ ſciam: quæ utique ſi immortalis non eſt, nec prædicationis tuæ poterit ſtare profeſſio. Tum Petrus: Quæramus, inquit, prius, ſi iuſtus eſt deus: quod ſi claruerit, integer profecto religionis ordo conſtabit. Et Simon: Videris mihi tu, qui te iactas diſputandi ordinem noſſe, nunc contra ordinem reſpondiſſe: Me enim rogante ut oſtendas, ſi immortalis eſt anima: tu ais, primo nos quærere oportet, ſi iuſtus eſt deus. Et Petrus ait: Valde conſequenter, & recte ſe habet. Simon: Velim diſcere. Petrus: Audi, inquit, nonnulli hominum blaſphemantes deum, & omnem uitam ſuam iniuſtitiæ uoluptate ducentes, in lectulis ſuis defuncti ſunt, conſequuti finem uitæ inter ſuos, & honorabilem ſepulturam: alij uero deum colentes, & cum omni iuſtitia & ſobrietate, uitam ſuam in parſimonia conſeruantes, pro iuſtitiæ obſeruantia, in deſertis interiere, ita ut ne ſepultura quidem haberẽtur digni. Vbi eſt ergo iuſtitia dei, ſi anima immortalis non eſt, quæ uel ſi impie egerit, pœnas in futuro, uel ſi pie & iuſte, præmia cõſequatur? Et Simon ait: Hoc utiq; eſt, quod nos incredulos facit, quia multi bene agentes, male pereũt: & rurſum, multi impie agentes, longi temporis cum beatitudine uitam finiunt. Et Petrus: Hoc ipſum, inquit, quod te ad incredulitatem trahit, nobis certam fidem facit, quia iudicium erit. Etenim cum certum ſit, deum iuſtum eſſe: neceſſariũ & conſequens eſt, aliud eſſe ſeculũ, in quo unuſquiſq; pro meritis recipiens, iuſtitiam dei probet. Quod ſi nunc omnes homines pro meritis ſuis reciperent, uere nos fallere uidebamur, dicentes futurũ eſſe iudicium: & ideo hoc ipſum quod in præſenti uita non redditur unicuiq; pro actibus ſuis, fidem indubitabilem facit, ſcientibus deum eſſe iuſtum, quia iudicium erit. Et Simon: Quur ergo mihi nõ perſuadetur? Petrus ait: quia uerum prophetam non audiſti, dicentem: Quærite primo iuſtitiam eius, & hæc omnia adponentur uobis. Et Simon: Indulge, inquit, mihi nolenti primo iuſtitiam quærere, antequã ſciam ſi immortalis ſit anima. Et Petrus: Et tu mihi hoc unũ indulge, quia nõ poſſum facere aliter quàm me propheta ueritatis edocuit. Tum Simon: Certũ eſt, inquit, non poſſe te adſerere quod immortalis ſit anima, & ob hoc cauillaris, ſciens quia ſi mortalis probeẽ, radicitus cõuellatur religionis iſtius, quam conaris adſerere, tota profeſſio: & ideo laudo quidem prudentiã tuam, non tamen probo perſuaſionẽ: multis enim perſuades ſuſcipere religionem, & libidinis ſubire continentiam, ſub ſpe futurorũ bonorum, quibus euenit, ut neq; præſentibus perfruãtur, & decipiantur futuris. Simul enim ut mortui fuerint, etiam anima pariter extinguetur. Petrus uero hæc audiens, dentibus frendens, frontemq; adterens manu, & profundo dolore ſuſpirans, ait: Aſtutia ſerpentis antiqui, ad hominum deciendas animas, armatus adſiſtis, & ideo ut ſerpens ſapientior cæteris beſtijs, ab initio doctorem te eſſe profeſſus es. Et rurſus, ut ſerpens multos introducere deos uolebas, ſuper quo confutatus, nullũ omnino nunc eſſe adſeris deum. Nam per occaſionem, neſcio cuius ignoti dei, conditorem mundi deum negaſti, ſed eum uel malum eſſe, uel multos habere ſibi æquales, uel omnino, ut diximus, non eſſe deum cõfirmabas. Poſt hæc cum etiam in hoc ſuperatus fuiſſes, animam nunc adſeueras eſſe mortalem, uti ne futurorum ſpe recte iuſteq; uiuatur. Nam utiq; ſi deſperantur futura, quid niſi abſcidatur miſericordia, luxuriæ indulgeat, & uoluptatibus? ex quibus omnem conſurgere iniuſtitiam conſtat. Et cum tantæ impietatis doctrinam, miſereq; huic introducas mortaliũ uitæ, teipſum pium, me impium uocas, quaſi qui homines non ſinam ſub ſpe futurorũ bonorum arma corripere, & impugnare ſe inuicem, diripere ac ſubuertere uniuerſa, & moliri omnia quæ libido dictauerit.

Quia boni aliquãdo male pereunt, argumento eſt eſſe aliam uitam poſt hãc.

Matth. 6

Et

Et quis erit iſte uitæ ſtatus, qui à te introducitur, ut pugnẽt homines, & impugnentur, ut iraſcantur, & perturbentur, & ſemper in metu uiuant? Neceſſe eſt enim eos qui alijs inferunt mala, etiam ipſos ſperare ſimilia. Vidés ne te ducem perturbationis, & non pacis, iniquitatis & non æquitatis exiſtere? Verum ego, non quaſi qui oſtendere non poſſim immortalem eſſe animam, ſimulaui iracundiam, ſed miſereor animabus hominum, quas tu decipere conaris. Dicam ergo, ſed non quaſi te cogente: ſcio enim quomodo dicam, & ſolus eris qui de hoc non tam perſuaſione indigeas, quàm commonitione: eos, hoc qui uere ignorant, docebo ut conuenit. Tum Simon: Si iraſceris, inquit, nõ interrogabo, nec audire uolo. Et Petrus: Tu, ſiquidem nunc occaſionem quæris ſubterfugiendi, habes licentiam, & ſine occaſionem cuiuſquam. Omnes enim audierunt te nihil recte dicentem, nec potuiſſe aliquid confirmare, ſed ob hoc tantum interrogaſſe, ut contradiceres, quod quiuis facere poteſt. Quid enim difficile eſt poſt euidentes adſertiones reſpondere, nihil dixiſti? Vt autem ſcias quia poſſum tibi uno ſermone oſtendere, quod immortalis eſt anima, interrogo te uerbum, quod omnes norunt: reſponde mihi, & uno ſermone immortalem eſſe cõprobabo. Tum Simon, qui iam occaſionem ſibi uiſus fuerat inueniſſe ex iracundia Petri ut diſcederet, reſtitit, pro eo quod mirum ei aliquid promittebatur, & ait: Interroga me, ut tibi reſpondeam quod omnes norunt, & audiam uno ut pollicitus es ſermone, quomodo anima immortalis ſit. Et Petrus: Dicam ita ut præ cæteris omnibus tibi magis probetur. Reſponde ergo mihi, quid eſt quod incredulum magis ſuadere poteſt, uiſus, an auditus? Et Simon: Viſus. Tum Petrus: Quomodo ergo à me uis diſcere uerbo, quod tibi re ipſa probatur & uiſu? Et Simon: Neſcio, inquit, quomodo dicas. Et Petrus: Si neſcis, perge nunc in domum tuam, & ingreſſus interius cubiculum, uidebis imaginem poſitam, continentem pueri uiolenter necati effigiem, purpura coopertam, ipſum interroga & docebit te, uel reſponſione, uel uiſu. Quid enim opus eſt audire ab eo ſi immortalis ſit anima, cum adſtare eam uideas præſentem? Si enim non eſſet, nec uideri utiq; poterat. Quod ſi neſcis quam dico imaginem, hinc è ueſtigio cum alijs decem uiris, ex his qui præſentes ſunt, eamus ad domum tuam. At Simon hæc audiens, & cõſcientia percuſſus, colore mutato, exanguis effectus eſt: extimuit enim ne fortè ſi negaret perſcrutaretur domus eius: aut ne indignans Petrus manifeſtius eum proderet, & omnibus quis eſſet, innoteſceret: ita reſpondit: Obſecro te Petre per illum bonum deum qui in te eſt, ut uincas malicia quæ in me eſt, ſuſcipe me ad pœnitentiam, & habebis me adiutorem prædicationis tuæ. Nunc enim uere rebus ipſis didici, quia dei ueri propheta es, & ideo ſecreta hominum ſolus atque arcana cognoſcis. Et Petrus ait: Videtis fratres Simonem pœnitentiam quærentem, paulò poſt uidebitis eum rurſus ad infidelitatem ſuam reuerti. Putans enim me prophetam eſſe, pro eo quod publicaui mala eius, quæ in ſecretis habebat & in occultis, pœnitentiam ſe acturum promiſit: Me enim mentiri fas non eſt: neq; ut infidelis hic ſaluetur, aut non ſaluetur, ego fallere debeo. Teſtor enim cœlum & terram, quia non prophetice dixi, quæ dixi, uel quæ, quãtum poſſibile erat, turbis audientibus indicaui, ſed à quibuſdam, qui tunc ei ſocij fuerant in operibus ſuis, nunc autem conuerſi ſunt ad fidem noſtram, quid ei in ſecreto geſtum ſit, didici: cognita ergo, non præcognita loquutus ſum. Simon uero ut hæc audiuit maledictis his, & conuicijs adgreditur Petrum, dicens: O nefandiſſime omnium, & doloſiſſime, cui uictoriam fortuna, non ueritas dedit. Verum ego non pro penuria ſcientiæ pœnitentiam petij, ſed ut tu, putans me per pœnitentiam diſcipulum tuum fore, omnia ſecreta profeſſionis tuæ concrederes mihi, ut ita demum te, cunctis agnitis, confutarem. Sed ut callidus intellexiſti quam ob cauſam pœnitudinem ſimulaſſem, & adquieuiſti, tanquam meum non intelligens dolum, ut prius me apud po-

Viſus maxime fidem facit.

Mentiendũ non eſt in gratiam proximi.

Simulata pœnitentia Simonis magi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulum exponeres, quasi imperitum: tum deinde præuidens, quod ego ita populo expositus, necesse habeo indignari & confiteri me nō uere pœnitudinem gerere, præueniſti ut diceres me ad infidelitatem meam post pœnitentiam regressurum, ut omni ex parte uicisse uidereris, & si permanerem in pœnitentia quam professus fueram, & si non permanerem, ut tu sapiens credereris, qui ista præuideris: ego autem deceptus uiderer, quia tuum non prouidi dolum: tu uero meum præuidens, calliditate usus circunscripsisti me. Sed, ut dixi, fortunæ est, non ueritatis ista uictoria: scio tamen quur ego ista non præuiderim, qui adstans loquutus sum tibi per bonitatem meam, & patienter egi tecum. Nunc autem tibi ostendam diuinitatis meæ potentiam, ut repente procidas, & adores me. Ego sum prima uirtus, qui semper & sine initio sum. Ingressus autem uterum Rachel, natus sum ut homo ex ea, quo ab hominibus uideri possem: ego per aërem uolaui, igni commixtus unum corpus effectus sum, statuas moueri feci, animaui exanima, lapides panes feci, de monte in montem uolaui, transmeaui, manibus angelorum sustentatus ad terras descendi. Hæc non solū feci, sed & nunc facere possum, ut rebus ipsis probem omnibus, quia ego sum filius dei, stans in æternum, & credentes mihi, similiter stare in perpetuum faciam. Tua autem uerba uana sunt omnia, nec ullum potes opus ostendere ueritatis, sicut & ille qui misit te magus, qui nec seipsum potuit liberare de crucis pœna. His dictis à Simone, Petrus respondit: Ne agas aliena, tu enim quod sis magus, ex ipsis quæ gessisti, cōfessus es, & manifestatus. Noster autē magister, qui est filius dei & hominis, manifeste bonus est. Quod autem uerè sit filius dei, quibus oportuit, dictum est, & dicetur. Tu autem si non uis confiteri, quod magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, & tunc apparebit quis sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemijs & maledictis agere cœpit, ut seditione facta, perturbatis omnibus, argui non posset: & Petrus, quasi blasphemiæ causa secedens, uictus uideretur. Sed perstitit, & arguere eum uehementius cœpit. Tūc populus indignatus, Simonē atrio eiectum, extra ianuam domus pepulit, eumq; depulsum, unus sequutus est solus. Facto autem silentio, Petrus adloqui populum hoc modo cœpit: Patienter, fratres, malos ferre debetis, scientes, quia deus cum possit eos excidere, patitur tamen durare usq; ad præstitutā diem, in qua de omnibus iudicium fiet: quomodo ergo nos non patiemur, quos patitur deus? Quur autē non forti animo inlatas ab eis toleramus iniurias, cum suas ille, qui potest omnia, non ulciscatur? ut & ipsius bonitas, & malorum noscatur impietas. Verum si non inuenisset Simonem malignus ministrū sibi, inuenisset alium sine dubio. Necesse est enim seculo huic uenire scandala, uæ tamen illi per quem ueniūt. Et ideo magis deflendus est Simon, quod uas electionis factus est maligno: quod utiq; non fuisset, nisi potestatē in eū pro peccatis priorib⁹ accepisset. Nam inde quid dicam, quod et Iesu nostro crediderat, & quod immortales esse animas, sibi ipse persuasit? quāuis in eo ludatur à dæmonibus, tamen persuasit sibi, quod pueri uiolenter necati habeat animam ministrantē sibi ad quæcunq; uoluerit: in quo uere, ut dixi, à dæmonibus inluditur, & ideo ego secūdum ea quę ipsi uidebantur, loquutus sum ad eum: nam & à Iudæis didicit, quia sit iudicium, & ultio proferenda aduersum eos, qui contra uerā fidem ueniunt, nec pœnitudinem gerunt: sed isti sunt quibus malignus, tanquam perfectis in sceleribus, apparet, ut decipiat eos, ne aliquando ad pœnitentiā cōuertantur. Vos ergo, quia ad dominum conuertimini per pœnitentiam, curuate ei genua. Hæc cum dixisset, omnis multitudo genua flexit deo. Et Petrus respiciens ad cœlum, cum lachrymis orabat super eos, ut deus pro sua bonitate susciperet eos dignaretur confugientes ad se. Et postquam orauit, & præcepit ut postera die maturius conuenirent, multitudinem missam fecit. Cum deinde, secundum consuetudinem, cibo sumpto,

Simon desertus ab omnibus eijcitur ex atrio.

Matth. 11

Credidisse aliquando Christo Simonem, ex actis constat apostolorum capite octauo.

quieuimus. Igitur Petrus solita noctis hora consurgens, inuenit nos uigilantes, & cum ex more salutans consedisset, primus Niceta ait: Si permittis, mi domine Petre, habeo quod rogem. Et Petrus: Permitto, inquit, non solum tibi, sed & omnibus: & non solum modo, sed & semper, ut unusquisque quod eum mouet, & partem quam dolet in animo, fateatur, ut possit consequi medicinam. Quæ enim silentio conteguntur, nec innotescunt nobis, uelut multi temporis uitia difficile curantur: & ideo quoniam tacentibus non facile potest medela opportuni & necessarij sermonis adhiberi, proferre debet unusquisque, in quo animus per ignorantiam languet: tacenti uero dare remedium, solius est dei: possumus autem & nos, sed circuitu multi temporis. Necesse est enim ut sermo doctrinæ ab initio per ordinem currens, & singulis quibusq; quæstionibus obuians, cuncta aperiat, & cuncta dissoluat, & perueniat etiam ad hoc quod unusquisque in animo suo requirit: sed hoc, ut dixi, per multum tempus fieri potest. Nunc autem quod desideras roga. Et Niceta ait: Vberes tibi gratias ago ô clementissime Petre, uerum hoc est quod dicere cupio: Quur Simon, qui aduersatur, facere tanta hæc, & talia potuit? Non enim mentitus est aliquid ex his, quæ se fecisse professus est. Ad hæc beatus Petrus ita respondit: Deus, qui unus & uerus est, primo germini suo amicos bonos & fideles instituit præparare: sciens autem, quia boni esse non possunt, nisi habeant in potestate sensum, quo fiant boni, ut ex suo proposito hoc sint quod uolunt: alioqui non possunt esse uere boni, si non proposito, sed necessitate tenerētur in bono: potestatem dedit unicuiq; arbitrij sui, ut hoc esse possit, quod uult. Et rursum præuidens quia ista potestas arbitrij, alios quidem faceret eligere bona, alios uero mala: & per hoc in duos ordines necessariō propagandum esset hominum genus, uni cuiq; ordini concessit & locum, & regem, quem uellet, eligere: bonus enim rex, bonis gaudet: & malignus, malis. Et quamuis hæc tibi ô Clemens in hoc tractatu, quem de præfinitione & fine differueram, plenius exposuerim: tamen & nunc requirenti Nicetæ manifestare me conuenit, quæ sit ratio, quod Simon, qui contra deum sentit, tanta facere mirabilia potuit. Igitur primo omnium, malus esse iudicatur apud deum is, qui requirere non uult, quod sibi expedit. Quomodo enim talis iste aliū diliget, qui semetipsum non diligit? Aut cui non iste inimicus erit, qui sibijpsi amicus esse non potuit? Vt ergo distinguerentur, qui bona, & qui eligunt mala, deus quod utile est occultauit hominibus, id est possessionem regni cœlorum, eamq; uelut thesaurum secretum reposuit & abscondit, ut ad eam non facile quis possit uirtute, & scientia peruenire propria: famam tamen eius, diuersis nominibus & opinionibus, per generationes singulas ad omnium perduxit auditum, ut si qui fortè essent amatores boni, audientes quod sibi esset utile & salutare, requirerent & inuenirent. Requirerent autem non à semetipsis, sed ab eo qui occultauit, dariq; sibi accedendi aditum, & uiam scientiæ precarentur, quæ illis solis panditur, qui eam super omnia mundi huius diligerent bona. Nec alio quis pacto uel intelligere eam possit, etiamsi prudentissimus uideretur. Hi uero qui neglexissent, quod sibi utile & salutare esset, inquirere, tanquam seipsos odio habentes, & sibimetipsis inimici, fraudarentur eius bonis, uelut qui diligerent mala. Oportet ergo bonos diligere eam super omnia, id est super diuitias, gloriam, requiem, parentes, propinquos, amicos, & omne quod in hoc mundo est. Qui uero perfecte diligit possessionem hanc regni cœlorum, abijciet sine dubio omnem malæ consuetudinis usum, negligentiam, desidiam, malitiam, iram, cunctaq; his similia. Nam si quid horum prætuleris ei, tanquam qui plus dilexeris propriæ libidinis uitia quàm deum, ad possessionem regni cœlestis peruenire non poteris: quia & uere stultum est, aliquid plus amare quàm deum. Siue enim parentes sunt, moriuntur: siue propinqui, non permanent: siue amici, mutantur. Solus est autem

Petri facilitas.

Duo ordines hominum.

Rex bonorum Christus, malorum diabolus.

Vnde requirenda ueritas.

deus æternus, & indemutabilis parens. Qui ergo nõ uult inquirere quod sibi utile
est, malus est, in tantũ ut malitia sua ipsum impietatis principem superet. Ille enim
bonitate dei abutitur ad propositũ malitiæ suæ, & sibi placet. Hic autem salutis suæ
bona negligit, ut perditione sui malo placeat. Propter hos ergo, qui salutis suæ ne-
glectu placẽt malo, & eos qui studio utilitatis suæ placere cupiũt bono, paria quæ-
X. paria ad nu merum X. pla- garum consti- tuta. dam ad tentationem præsenti huic seculo statuta sunt decem, secũdum numerum
decem plagarum, quæ inlatæ sunt Aegypto. Cum enim Moyses secundum præce-
ptum dei peteret à Pharaone, ut emitteret populum, & ad testimonium cœlestis
imperij signa ostenderet, proiectam in terram uirgam, conuersa est in serpentem.
Cumq; ob hæc Pharao non uellet adquiescere, utpote habens arbitrij libertatem, 19
rursum magi similia signa facere uisi sunt, permittente deo, ut propositum regis
probaretur ex arbitrij libertate, si magis crederet signis Moysi, qui à deo missus est,
quàm his quæ magi uidebantur potius facere, quàm faciebant: quos ipso utique
nomine intelligere debuerat, non esse operarios ueritatis, quod non à deo missi,
sed magi appellabantur, sicut & ratio indicat. Denique usque ad aliquem locum,
uisi sunt habere certamen, et post hæc confessi de se, cessere meliori. Inducitur ergo
Exod. 29. plaga ultima, interitus primitiuorum, & tunc Moyses iubetur populum conspersione sanguinis consecrare, atq; ita magna cum prece, oblatis etiam muneribus,
cum populo rogatur abscedere. Simili ergo modo etiam nunc per me uideo geri. 20
Sicut enim tunc Moyse hortante regem, ut crederet deo, obsistebant magi quasi o-
stentatione similium signorum, & à salute incredulos prohibebant: ita et nunc cum
ego exierim docere omnes gentes, ut credãt uero deo, Simon magus resistit, eadem
agens aduersum me, quæ & illi tunc egerunt aduersum Moysen, ut si qui sunt ex
gentibus, qui non recto iudicio utũtur, appareant: saluentur autem qui signorum
rectum discrimen habuerint. Hæc dicente Petro, Niceta respondit: Obsecro te, ut
si quid ad memoriam uenit, permittas mihi proferre. Tum Petrus delectatus super
studio discipulorũ: Dic, inquit, quod uis. Et Niceta ait: Quid peccauere Aegyptij,
si non crediderũt Moysi, cum & magi similia signa fecerint, etiamsi uiderentur po-
tius fieri, quàm ueritate fierent? Nam & si ego fuissem tunc, ex eo quod magi simi-
lia faciebãt, nónne aut Moysen magum credidissem, aut magos quæ ostendebant, 30
diuinitus facere putassem? quia non mihi ueri simile uidereẽ, licet per phantasiam,
eadem tamen effici à magis posse, quę ille qui à deo missus est, perpetrabat. Et nunc
ergo quid peccant hi qui Simoni credunt, cum uideant eum tanta facere mirabilia?
Aut non est mirabile per aërẽ uolare? igni admixtũ, unum corpus efficiẽ facere sta-
tuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his similia, quæ utiq; discretionem nescien
tibus, satis mira sunt. Sed & de lapidibus uisus est panes facere. Quod si peccat qui
signa facientibus credit, quomodo non peccasse uidebitur & is, qui domino nostro
pro signis et uirtutibus credidit? Et Petrus ait: Libenter accipio quod de ueritate ad
amussim requiris, & impedimenta fidei in anima tua latẽre non pateris. Vnde &
medelam consequi facile potes. Meministi, quod peius omnium esse dixi, cum quis 40
negligit quod sibi expedit discere? Et Niceta respondit: Memini. Petrus: Et rursum
quod deus occultauit ueritatem suam, ut eam his qui se fideliter sectantur, aperiat?
Et Niceta: Ne hoc quidem oblitus sum. Tum Petrus: Quid ergo putas, quia in
terram defossam absconderit deus ueritatem, & montes ei superposuerit, ut ab his
qui in profundum fodere ualent, tantummodo inueniri possit? Non ita est, sed si-
cut montes & terram cœli ambitu circundedit, ita & ueritatem charitatis suæ ue-
lamine contexit, ut ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam dilectio-
Paria quædam mundi. nis diuinę pulsauerit. Etenim quod prius dicere cœperam, paria quędam huic mun
do destinasse deum: ille qui primus ex paribus uenit, à malo est: qui secundus, à
bono. In quo unicuique hominum iusti occasio iudicij datur, siue simplex ille sit,

siue

siue prudens. Nam si simplex est, & crediderit illi qui primus uenit: signis enim &
prodigijs motus, necesse est eadem ratione, ut etiam illi qui secũdo uenerit, credat:
signis enim & prodigijs suadebitur & nunc sicut prius. Cum uero crediderit huic
secũdo, discet ab eo quod primo illi qui à malo uenit, credere nõ debeat, & ita prio-
ris error secundi emendatione corrigitur. Si uero quia primo credidit, secundũ re-
cipere noluerit, meritò ut iniustus condemnabitur: iniustũ enim est, ut cum primo
propter signa crediderit, secundo eadem aut etiã potiora ferenti signa, non credat.
Si uero non credidit primo, consequens est, ut uel in secundo moueatur ad creden
dum. Neq; enim in tantũ animo stertit, ut ingeminatis mirabilibus non ualeat susci
10 tari. Si uero prudens est, discretionem potest capere signorum. Et si quidem primo
credidit, augmentis uirtutũ mouebiẽ ad secundũ, & ex cõparatione quæ sint potio
ra deprehendet, quamuis manifesta habeantur indicia apud eruditos quoq;, sicut
per ordinis consequentiã demonstrauimus. Si uero tanquã sanus quis, & qui medi
co non indigeat, non est cõmotus ad primum, rei ipsius perseuerantia suscitabitur
ad secundum: distinctionemq; signorũ & mirabilium faciet, in hunc modum. Ille *Amußis ad quã prodigia exige re conuenit, an ex deo sint.*
qui à malo est, signa quæ facit, nulli prosunt: illa uero quæ facit bonus, hominibus
prosunt. Nam dic quæso, quæ utilitas est ostendere statuas ambulantes? latrare æ-
reos aut lapideos canes? salire montes? uolare per aërem? & alia his similia, quæ di-
citis fecisse Simonem. Quæ autem à bono sunt, ad hominũ salutem deferuntur, ut
20 sunt illa quæ fecit dominus noster, qui fecit cæcos uidere, fecit surdos audire, debi-
les, claudos erexit, lãguores & dæmones effugauit, mortuos fecit resurgere, & alia
his similia, quæ etiam per me fieri uidetis. Ista ergo signa quæ ad salutem hominum
prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest, nisi in
fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris si- *Signa diaboli qualia.*
gnis, id est, ut uel dæmones fuget, uel ægritudines sanet, & propter hoc, tanquam
qui excesserit terminos suos, & in semetipsum diuisus sit, ac semetipsum impugna
uerit, destruetur. Et propterea dominus prædixit, in nouissimis temporibus tenta-
tionem futurã, talem in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi, confusis scilicet *Matth. 24.*
indicijs signorum, perturbari necesse est, etiam eos qui in discernendis spiritibus,
30 ac distinguendis uirtutibus uidentur eruditi. Decem ergo, quę diximus paria, huic *Decẽ paria to- tius mundi col- lata inter se.*
mundo destinata sunt ab initio seculi: Cain & Abel unum fuit par. Secundum ue-
ro Gigantum, & Noë. Tertium Pharaonis & Abraham. Quartum Philistinorum
& Isaac. Quintum Esau & Iacob. Sextum magorum & legislatoris Moysi. Septi-
mum tentatoris & filij hominis. Octauum Simonis & meum Petri. Nonum om-
nium gentium, & illius qui mittetur seminare uerbum inter gentes. Decimũ An-
tichristi & Christi: de quibus paribus aliàs uobis per singula latius exponemus.
Et cum hæc diceret Petrus, Aquila ait: Vere adsidua doctrina opus est, ut de sin-
gulis possit quis scire rationem. At Petrus: Quis est, qui assiduus sit erga doctri-
nam, & studiose singula quęq; perquirat? nisi qui animam suam diligit ad salutem,
40 & omnibus renunciat huius mundi negocijs, ut soli uerbo dei uacat, quem solum
prudentem iudicat uerus propheta, uendentem omnia quę sua sunt, et ementem *Matth. 13*
unam ueram margaritam, & intelligentem quæ sit differentia à temporalibus ad
æterna, paruis ad magna, hominibus ad deum. Intelligit enim quæ sit æterna spes
apud uerum & bonũ deum. Quis autem est qui diligit deum, nisi qui sapientiam *Nemo diligit deum nisi qui sapientiã eius cognouerit.*
eius cognouit? quomodo autem quis agnoscere poterit sapientiã dei, nisi assiduus
sit ad audiendum uerbum eius? ex quo accidit, ut amorem eius concipiat, & digno
eum honore ueneretur, hymnis & orationibus ad eum fusis, & in his libentissime
requiescens, summumq; deputans detrimentũ, si quando aliquid aliud uel ad mo-
mentum temporis loquatur, aut agat: quia reuera nec potest anima, quæ dei amo-
re repleta est, aliud aliquid intueri, nisi quod ad deũ pertinet, nec satiari potest præ

Universidad de Deusto
Biblioteca

amore eius, ea quæ ipsi scit esse placita, meditando. Hi uero qui affectum eius minime concepere, nec inluminatam charitatem eius gerunt mente, uelut in tenebris positi, lucem uidere non possunt. Et ideo etiam prius quàm incipiant requirere de deo, quasi labore oppressi, statim deficiunt: ac tædio repleti, continuò à propria consuetudine rapiuntur ad ea uerba quibus delectantur. Nam de deo audire aliquid talibus tædiosum est & molestum, pro eo, ut dixi, quia mens eorum nullam dulcedinem diuinæ charitatis accepit. Hæc Petro dicente, dies exortus est, & ecce ueniens quidam ex discipulis Simonis clamabat, dicens: Obsecro te Petre, suscipe me miserum, à mago Simone deceptum, cui ego uelut cœlesti deo intendebam, pro his quæ ab eo fieri mirabilibus uidebam. Auditis tamen sermonibus tuis, cœpit iam mihi homo uideri, & quidem malus. Veruntamen cum hinc exiret, ego eum subsequutus sum solus: nondum enim ad liquidum impietates eius agnoueram. Cum autem uidisset me subsequentem, beatum me dicens, perduxit ad domum suam: circa medium uero noctis ait ad me: Omnium te hominum faciam meliorem, si uolueris usque ad finem perseuerare mecum: cui cum promisissem, exigit à me iuramentum perseuerantiæ, eoq; accepto, imposuit superhumeros meos polluta quædam & execrabilia secreta sua, ut portarem, & sequi me iussit. Vbi uero uentum est ad mare, nauigium quod fortè aderat, ingressus, id à cerSimon artis suæ mysteria in mare proiecit. uicibus meis quod portare me iusserat, sumpsit. Et paulò post egressus, nihil extulit, certum quod in mare id iecerat: rogabat autem me, ut cum ipso proficiscerer, dicens se Romam petere, ibi enim in tantum placiturum, ut deus putetur, & diuinis publice donetur honoribus. Tunc, inquit, te omnibus diuitijs repletum, si huc redire placuerit, & pluribus fultum ministerijs, mittam. Hæc ego audiens, & nihil in eo, secundum hanc professionem uidens, sed magum & deceptorem esse intelligens, respondi: Quæso te ignosce mihi, quia pedes doleo, & propterea exire à Cæsarea non ualeo: præterea est mihi uxor, sunt paruuli liberi, quos relinquere omnino non possum. At ille hæc audiens, & ignauiæ me incusans, profectus est contra Doram, dicens: Cum audieris quanta mihi gloria erit in urbe RoSimon Romam proficiscitur. ma, pœnitebit te. Et post hæc ipse quidem, ut aiebat, Romam petit, ego autem confestim redij huc, orans, ut me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cum hæc dixisset is, qui à Simone regressus est, iussit eum Petrus in atrio residere. Procedens autem ipse, & turbas plurimas uidens, multo plures quàm superioribus diebus, stetit in loco solito, & ostendens eum qui à Simone uenerat, sermonem facere hoc modo cœpit: Iste, fratres, quem ostendo uobis, paulò ante uenit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuncians, quo modo ipsam sceleris sui officinam proiecerit in profundum: non quasi pœnitentia ductus, sed metuens, ne deprehensus publicis legibus subiaceret. Rogabat autem hunc, ut dicit, munera immensa pollicens, secum manere. Quem cum suadere minime potuisset, tanquam ignauum increpans, dereliquit, ipse uero Romam petens. Cumq; hæc Petrus indicasset turbis, ipse qui regressus à Simone fuerat, publice stans singula quæq; cœpit populo exponere, de sceleribus Simonis. Et cum grauiter ferrēt, de his quæ audieMala præterita boni cōsulenda. bāt per artes magicas gesta à Simone, ait Petrus: Nolite fratres grauiter ferre de his quæ transacta sunt, sed obseruate de futuris: quæ enim transierunt, iam finita sunt, quæ uero imminent, periculosa sunt his qui incurrerint: scandala enim nunquam deerunt huic mundo, donec permittitur inimico agere pro uoluntate sua, ut prudentes quique, & intellegentes astutias eius, suscitatos sibi ab eo superent agones. Hi uero qui negligunt discere quæ ad salutem pertinent animæ suæ, iustis ab eo deceptionibus capiantur. Quia ergo, ut ipsi audistis, Simon egressus est, aures gentilium qui ad salutem uocati sunt, præuenire, necesse est & me uestigia eius insequi,

insequi, ut si quid fortè ab illo dissipatum fuerit, corrigatur à nobis. Sed quoniam iustum est de uobis maiorem solicitudinem geri, qui iam intra muros uitæ continemini, quia quod adquisitum est, si pereat, damnum infert: quod autem nondum, si quidem inueniri potuerit, lucrū est: si minus, hoc solum damni est, quod lucrum factum non est. Vt ergo & uos magis ac magis in ueritate firmemini, & gentes quę ad salutem uocātur, non usquequaq; possint nequitia Simonis præueniri, cogitaui Zachæum uobis ordinare pastorem: ego uero ipse tres uobiscum permanere mensesZachæus ordinatus episcopus apud Cæsaream à Petro. & ita proficisci ad gentes, ne amplius morantibus nobis, & sceleribus Simonis usquequaq; grassantibus, insanabiles fiant. Hæc illo dicente, uniuersus populus fleuit, audiens quod profecturus esset. At Petrus compassus eis, etiam ipse lachrymas fudit, & in cœlum respiciens, ait: Tibi deus qui cœlum terramq; fecisti, & omnia quæ in eis sunt, precem supplicem fundimus, ut confugientes ad te in tribulatione sua soleris: propter affectum enim quem habent erga te, diligunt me, qui ueritatem tuam adnunciaui eis: propter quod miserationis tuæ dextera custodi eos: non enim Zachæus, nec alius quisquam hominum custos esse eis idoneus potest. Hæc autem & his similia cum dixisset Petrus, manibus superpositis Zachæo, oraManuum impositio. uit ut inculpabiliter episcopatus sui seruaret officium. Post hæc duodecim presbyteros ordinauit, & diacones quatuor, & ait: Zachæum hunc uobis ordinaui episcopum, sciens eum timorem dei habere, & eruditū esse in scripturis: quem quasi Quales debeāt esse episcopi. Christi locum seruantem, honorare debetis, obedientes ei ad salutem uestram, & scientes, quod siue honor, siue iniuria, quæ ei defertur, ad Christum redundat, & à Christo ad deum. Audite ergo eum adtentius, et ab ipso suscipite doctrinam fidei: monita autem uitæ à presbyteris, à diaconibus uero ordinē disciplinæ. Viduarum Compendium præceptorum Petri ad discipulos suos. religiosam curam gerite, pupillos enixius iuuate, pauperibus misericordiam facite, iuuenes pudicitiam docete. Et ut breuiter totum dicam, alterutrum uos in quibus res poposcerit, sustentate. Deum colite qui creauit cœlum & terram, Christo credite, inuicem diligite, misericordes estote ad omnes, non uerbo solo, sed & opere & rebus implete charitatem. Et cum hæc atq; his similia præcepisset, pronunciauit ad populum, dicens: Quoniam tres menses statui facere uobiscum, si quis uestrum desiderat baptizetur, ut exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum cœlestiū, ex gestis propriis fiat. Accedat ergo qui uult ad Zachæum, & ipsi det nomen suum, atq; ab eo mysteria audiat regni cœlorum. Ieiunijs frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, ut tribus his mensibus consummatis, in die festo possit baptizari. Baptizabitur autem unusquisq; uestrūm in aquis perennibus, nomine trinę beatitudinis inuocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hæc consecra- Oleo in baptismo usi sunt in primitiua ecclesia. tus, possit percipere de sanctis. Et cum multa dixisset de ratione baptismi, dimissis turbis, ad solitam se recepit mansionem: ibiq; adstantibus sibi duodecim, id est, Zachæo & Sophonia, Iosepho & Michæa, Eleazaro & Phinees, Lazaro & Helisæo, me Clemente & Nichodemo, Niceta & Aquila, hoc modo proloquutus est: Consideremus fratres quod iustum est: debemus enim auxiliū aliquod ferre gentibus, quæ ad salutem uocatæ sunt. Ipsi audistis quod Simon præcedere uolens iter nostrum profectus est, quem oportuerat & è uestigio insequi, ut sic ubi aliquos subuertere tentaret, continuò confutaretur à nobis. Sed quoniam iniustum mihi uidetur, ut derelictis his qui iam conuersi sunt ad deum, eorū qui adhuc longe sunt curam præferamus, rectum puto, tribus mensibus permanere me cum his, qui in hac ciuitate conuersi sunt ad fidem, & firmiores eos efficere: nec tamen illos, qui adhuc longe sunt, penitus negligere, ne fortè si diu uenenis pessimæ doctrinæ inficiantur, difficilius reuocentur. Et ideo uolo, si tamen etiam uobis iustum uidetur, ut pro Zachæo, quem hic ordinauimus episcopum, subijciatur in

numero Beniamin filius Saba, & pro Clemente, quem decreui mecum semper esse, quia ex gentibus ueniens, audiendi uerbi dei grande desiderium gerit. Ananias filius Safra. Pro Niceta uero, & Aquila, qui nuper conuersi sunt ad fidem Christi, Rubelus Zachæi frater, & Zacharias structor. Istis ergo quatuor pro his quatuor substitutis, expleri uolo duodecim numerum, ut me in ipsis semper secũ esse sentiat Simon. Sequestratis igitur me Clemente, & Niceta & Aquila, ad illos duodecim ait: Volo uos post diem crastinum proficisci ad gentes, & uestigia Simonis insequi, ut omnia quæ agit, manifesta mihi faciatis: sed & propositum singulorum diligenter requirite, & me ad futurum sine mora eis adnunciate, & ne multa uobis dicam, per omnia instruite gentiles expectare aduentum meum. Cumq; hæc atq; his similia dixisset, etiam uos, inquit, fratres, si quid uobis ad hæc uidetur, dicite: ne fortè non sit rectũ quod mihi soli placet. Tum omnes una uoce cõlaudantes eum, Rogamus magis, aiebant, ut pro arbitrio tuo cuncta disponas, & quod tibijpsi uidetur iubeas: hoc enim putamus esse opus integrum pietatis, si quæ tu iusseris, impleamus. Igitur statuto die cum stetissent ante Petrum, ne arbitreris, aiunt, Petre, paruum nobis indici mœrorem, quod fraudamur, non audientes te per menses tres, sed quoniam hoc expedit agere quod tu iubes, obediemus prõptissime: semper ergo uultũ tuum in nostro corde retinentes, sicut iussisti, alacres proficiscimur.

XII. *discipuli Petri mittuntur ad prædicandũ.*

At ille oratione pro eis ad dominũ fusa, emisit eos. Et cum profecti fuissent illi duodecim, qui præmissi sunt, Petrus ingressus, ex more in loco disputationis stetit. Cõuenerat autẽ populi multitudo, copiosior numerus quàm solebat, & omnes cum lachrymis intuebantur eum, pro eo, quod pridie ab eo audissent, profecturum se Simonis gratia. Sed & ipse lachrymantes eos uidens similia patiebatur, licet conaretur occultare, & inhibere lachrymas: prodebatur tamen ex tremore uocis, & interruptione sermonis, quod simili angeretur affectu. Veruntamen manu confricans frõtem, æquo animo, inquit, estote fratres, & misericordes animas uestras consilij ratione solamini, referentes omnia ad deum, cuius solius implenda, & omnibus præferenda uoluntas est. Nam si uerbi gratia ponamus, quod pro affectu quem erga uos gerimus, contra uoluntatem eius agentes, resideamus uobiscum, nunquid non potest missa in me morte, profectionem mihi à uobis inducere longiorem? Et ideo melius est, ut hanc breuiorem cum uoluntate ipsius impleamus, utpote quibus definitum est, in omnibus obedire deo: unde & uos debetis simili obedientia parêre ei, quippe qui etiam me, non alia ex causa, nisi pro ipsius amore diligatis. Vt ergo amici dei, uoluntati eius obtemperate, sed & uos ipsi probate quod iustum est. Nunquid non impiũ uidebatur, si cum uos Simon deciperet, ego non uenissem ad uos, detentus à fratribus qui erant in Hierusalem, et quidem cum haberetis apud uos Zachæum, uirum bonum, & in sermone expeditum? Ita ergo & nunc impium iudicate, si cum exierit Simon ad gentes impugnandas, quibus nullus omnino defensor est, ego non subsequar, detentus à uobis. Propter quod obseruemus, ne fortè affectu iniusto, uolũtatem maligni faciamus. Interim tribus, ut dixi, mensibus permanebo apud uos: estote assidui ad audiendum uerbum: & consummatis his, si qui possunt, & uolunt sequi nos, permittitur eis, salua pietate.

Non facile relinquendi sunt parentes aut uxores Euangelij prætextu.

Quod autem dico salua pietate, hoc est, ne quem discessu suo contristet qui contristari non debet, uel parentes relinquens, quos non oportet, uel uxorem fidelem, uel si quæ sunt huiusmodi personę, quibus propter deum deferri solatiũ conuenit. Interea per dies singulos disputans & docens, propositum tempus in doctrinæ labore compleuit. Et cum aduenisset dies festus, super decem millia baptizati sunt. In illis autem diebus epistola mittitur à fratribus qui præcesserant, in qua Simonis scelera continebantur, quomodo per ciuitates deciperet turbas, & Petrum per singula laceraret, ut cum fortè aduenisset, nullus ei adcommodaret auditum.

Adserebat

Adserebat enim eum magum esse, & sine deo, iniurioſum, callidum, imperitum, & impossibilia profitentem. Mortuos enim resurrecturos adserit, quod est, inquit, impossibile. Si qui uero eum confutare uelit, occultis ab eo insidijs perimitur per satellites eius: propter quod, inquit, & ego cum eum superassem, & triumphassem, insidias eius ueritus, fugi, ne fortè maleficijs me perimeret, aut mortem meam per insidias elocaret: indicabant autem maxime eum apud Tripolim demorari. Igitur Petrus epistolam recitari populo iubet, & post lectionem adloquutus eos, de omnibus plenissime instruxit: præcipue tamen ut obedirent Zachæo, quem eis ordinauit episcopum. Sed & presbyteros & diaconos populo, & ipsis nihilominus populum commendauit: simulq; denuncians, quod apud Tripolim hyematurus esset. Commendo uos, inquit, gratiæ dei, crastino cum uoluntate domini profecturus. Per totos autem tres menses quos apud Cæsaream doctrinæ causa exegimus, quæcunq; apud populum differebat per diem, hæc nobis secretò lucubrantibus secum, plenius & perfectius explanabat, tanquam fidelioribus, ac sibi liquidò probatis. Simul & imperat mihi, quia intellexit me studiosius quæ audirem memoria commendare, libris singula quæque quæ memoratu digna uidebantur comprehendere, & mittere ad te mi domine Iacobe, sicut & feci, parens eius præceptis. Primus ergo liber ex his quos prius misi ad te, continet de uerbo Prophetæ, & de proprietate intelligentiæ legis, secundum id quod Moysi traditio docet. Secundus de principio continet, utrum unum sit principium, an multa: & quod non ignoret Hebræotum lex, quid sit immensitas. Tertius de deo, & his quæ ab eo instituta sunt. Quartus quod cum multi dicantur dij, unus sit uerus deus secundum testimonia scripturarum. Quintus quod duo sint cœli, quorum unum sit istud uisibile firmamentum, quod & transibit: aliud uero æternum & inuisibile. Sextus de bono & malo, & quod bono cuncta subijciantur à patre: malum autem quare, & quomodo, & unde sit, & quod cooperetur quidem bono, sed non proposito bono, & quæ sint signa boni, quæ uero mali, & quæ sit differentia dualitatis & coniugationis. Septimus, quæ sint quæ prosequuti sunt duodecim apostoli apud populum in templo. Octauus de uerbis domini quę sibi uidentur esse contraria, sed non sunt, & quæ sit horum absolutio. Nonus, quia lex à deo posita est, iusta sit, & perfecta, & quæ sola possit facere pacem. Decimus de natiuitate hominum carnalium, & de generatione quæ est per baptismum, & quæ sit in homine carnalis seminis successio, & quæ animæ eius ratio, & quomodo in ipsa est libertas arbitrij: quæ quoniam non est ingenita, sed facta est, immobilis à bono esse non poterat. De his ergo singulis quæ apud Cæsaream dissertа sunt à Petro, iubente, ut dixi, ipso, decem conscripta ad te transmisi uolumina. Nos autem die postera, ut statutum fuerat, cum aliquantis qui Petrum sequi decreuerant fidelibus uiris, à Cæsarea proficiscimur.

Negocium scribẽdi à Petro iunctũ Clemẽti.

Libri Recognitionum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER QVARTVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.

PROFECTI à Cæsarea, ut Tripolim pergeremus, apud Dorã breue oppidum, primam fecimus mansionem, quia nec longe aberat. Et omnes penè, qui per sermonem Petri crediderãt, diuelli ab eo satis ægrè habebant, sed pariter incedentes, dum iterum uidere, iterum cõplecti iuuat, iterum cõferre sermonem, ad diuersorium peruenimus. Sequenti uero die uenimus Ptolomaidam, ubi decem dies demorati, cum aliquanti uerbũ dei recepissent, nonnulli eorũ qui adtentiores uidebantur, & diutius detinere nos doctrinæ gratia cupiebant, Tripolim, si hoc uelint, ut sequerentur indicauimus. Similiter & apud Tyrum ac Sydonam & Berythum fecimus, & his qui plenius desiderabant audire sermonem, apud Tripolim nobis hyemandũ denunciauimus. Igitur cum ex singulis ciuitatibus studiosè quiq; comitarentur Petrum, electorum multitudo plurima ingredimur Tripolim. Continuò autem ante portas ciuitatis fratres, qui præmissi fuerant, occurrũt, & susципientes nos abducunt per hospitia quæ præparauerant. Commotio autem & concursus plurimus fiebat in ciuitate, desiderantium uidere Petrum. Et cum uenissemus ad domum Maronis, in qua Petro fuerat præparatum, conuersus ad turbas, post diem crastinũ sermonem se ad eos promisit facturum. Igitur qui præmissi fuerant fratres, omnibus qui nobiscũ uenerant hospitia diuidunt. Petrus uero Maronis domum ingressus, cum rogaretur cibum sumere, nequaquam se facturũ respondit, nisi prius scisset, si omnes qui eum fuerant comitati, hospitijs requiescerent. Comperit autem à fratribus qui præmissi sunt, quia à ciuibus, pro desiderio quod erga Petrum conceperant, non solum hospitijs, sed & omni humanitate susципti sint, in tantũ, ut & cõtristarentur aliquanti, quibus defuere quos susciperent. Ita enim omnes paratos fuisse, ut si multo plures uenissent, adhuc tamen susципiendos magis quàm susципientes fuisse defuturos. Super his Petrus ualde delectatus, conlaudauit, & benedixit eos, ac secum manere iussit. Ipse uero cum lauisset in mari, cibo sumpto, quieuit in uespera. Et ex more, pullorum cantibus surgens, uespertino adhuc lumine perdurante, cunctos inuenit uigilantes: eramus aũt omnes cum eo sedecim, Petrus et ego Clemens, Niceta & Aquila, & illi qui præcesserãt duodecim. Salutans itaq; ut solebat, Petrus ait: Hodie quia alijs occupati non fumus, nobis simus. Et ego quidem uobis, quę apud Cæsaream, post digressum uestrum gesta sunt, enarrabo. Vos autem mihi quæ hic à Simone perpetrata sunt, indicate. Et cum de his ab alterutro sermo cederetur, inlucescente die, ingressi quidam de familiaribus, nunciant Petro, quod Simon ubi eum didicisset ingressum, per noctẽ profectus esset, Syriam tendens. Turbę autem diem hãc, inquiunt, quam interposuisti eis, desiderio tui longissimum sibi esse tempus opinantur: denicq; non ferentes stant ante ianuam, inter se inuicem de his quæ audire cupiunt, conferentes, et te ante præfinitum tempus omnimodis se uisuros sperant, quantoq; magis dies claresci t, multitudines colligũtur, & audituros se sermonem tuum, nescio unde præsumentes, certissime confidunt. Nunc ergo quod tibi uidetur, iube ut dicamus eis: absurdum nanq; est tantam multitudinem conuenisse, & discedere cum mœstitia, quippe si responsa eis nulla reddantur. Non enim cogitabunt, quod ipsi statutum non expectauerint diem, sed quod à te magis uideantur esse contempti. Tum Petrus admirans ait: Videtis fratres, quomodo unusquisque sermo domini prophetice dictus, implet. Memini enim dixisse eum: Messis quidẽ multa

Simon reformidans Petri conspectum dilabitur in Syriam.

Matth. 9

multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut eijciat operarios in messem suam. Ecce ergo nunc quæ in mysterio prædicta sunt, adimplẽtur. Sed & quod dixit, multi uenient ab oriente, & occidente, à septentrione, & meridie, & recumbent in sinibus Abraham, & Isaac & Iacob: etiam hoc pariter, ut uidetis, expletur. Propter quod deprecor uos cõseruos, & adiutores meos, ut discatis adtentius prædicandi ordinem, & absolutionum uias, ut possitis saluare animas hominum, quæ occulta dei uirtute, quem debeant diligere, prius etiã quàm doceantur, agnoscunt. Videtis enim eos, quasi bonos seruos, desiderare eum quem sibi sperant aduentum sui domini nunciare, ut possint uoluntatẽ eius, cum didicerint, implere. Desiderium ergo audiendi uerbi dei, & uoluntatẽ eius quærendi, ex deo habent: & hoc est initium doni dei quod gentibus datur, ut possint per hoc doctrinam recipere ueritatis. Sic enim & Hebræorum populo ex initio datum est, ut diligerent Moysen, & crederẽt uerbo eius. Quod ergo fuit proprij muneris à deo erga Hebræorum gentem, hoc nunc uidemus dari etiam his qui ex gentibus cõuocantur ad fidẽ. Operum uero ratio, potestati & arbitrio uniuscuiusq; permittitur: & hoc ipsorum est proprium, hoc à patre cœlesti donatũ est. Sed salus in eo est, ut uoluntatem eius, cuius amorem & desiderium, deo largiente, conceperis, facias: ne dicatur ad te ille sermo eius quem dixit: Quid autẽ dicitis mihi domine domine, & non facitis quæ dico? Est ergo proprij muneris à deo concessi Hebræis, ut Moysi credant: gentibus autem, ut Iesum diligant. Hoc enim indicabat & magister, ubi ait: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia occultasti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. per quod utiq; declaratur, quia Hebræorum populus qui ex lege eruditus est, ignorauit eum. Populus autem gentium agnouit Iesum & ueneratur, propter quod & saluabitur, non solum agnoscens eum, sed & uoluntatem eius faciens. Debet autem is qui ex gentibus est, & ex deo habet, ut diligat Iesum, proprij habere propositi, ut credat & Moysi. Et rursus Hebræus qui ex deo habet, ut credat Moysi: habere debet, & ex proposito suo, ut credat in Iesum, ut unusquisq; eorum habens in se aliud diuini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex utroq; perfectus. De tali enim dicebat dominus noster uiro diuite, qui profert de thesauris noua & uetera. Sed de his satis dictum: urget enim tempus, & populi religiosa deuotio inuitat nos, ad ipsos facere sermonem. Et cum hæc dixisset, requirebat ubi opportunus esset locus ad disputandum. Et Maro ait: Est mihi ædes amplissima, quæ plus quàm quingẽtos recipiat uiros: est & hortus intra domum: aut si in publico aliquo placet loco, hoc magis omnes desiderant, nemo enim est, qui non cupiat uel faciem tuam uidere tantum. Et Petrus: Ostende mihi, inquit, ædem uel hortum. Et cum uidisset ædem ingrediebatur, ut & hortum perspiceret, & subitò omnis multitudo, quasi ab aliquo euocata, cum festinatione ingressa est domũ, atq; inde ad hortum prorupit, ubi iam stabat Petrus, considerans quis esset aptus ad disputandum locus. Vt autem uidit turbas uelut ingentis fluuij inundasse lenem meatum, ascendens supra basim quandam, quæ fortè iuxta horti parietem stabat, primo, religionis more, populum salutauit: quidam autem ex his qui aderant, & multo tempore à dæmonibus fuerant fatigati, in terrã proruunt, obsecrantibus spiritibus immundis, ut uel uno die indulgeretur eis in obsessis corporibus permanere: quos Petrus increpans, iussit abscedere, & sine mora discesserunt. Post hos alij longis afflicti languoribus, rogabant Petrum, ut reciperent sanitatem: pro quibus se supplicaturũ domino pollicetur, cum prius sermo doctrinæ fuisset expletus. Sed statim ut promisit, languoribus resoluti sunt, & iussit eos seorsim residere cum his qui à dæmonibus fuerant curati, quasi post laboris fatigationem. Interea dum hæc aguntur, plurima multitudo conuenit, quos non solum desiderium Petri, sed & sanitatũ, quæ perpetratæ fuerant, fama pertraxerat,

Matth. 8.

Propriũ Hebræorum munus factum est & gentibus cõmune.

Matth. 7.

Matth. 11.

Saluãtur nõ qui agnouerint deũ sed qui uoluntatẽ eius fecerint.

Matth. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oratio Petri.

At Petrus manu quiescere populũ docens, & turbas in tranquillitate componens, hoc modo fecit exordium. Incipienti de uero dei cultu facere sermonem, necessarium mihi uidetur, eos qui nondum de hoc aliquid scientiæ cõsequuti sunt, primo omnium docere, per omnia inculpabilem ponendã esse diuinam prouidentiã, per quam mundus regitur & gubernatur. Hunc autem nobis exordij titulum dedit præsentis operis ratio, & eorũ quos dei uirtus sanauit occasio, ut ostẽdamus quod recta ratione quamplurimi à diuersis dæmonibus obtinẽtur, ut per hoc appareat iustitia dei. Inuenietur enim omnium penè malorum mater esse ignorãtia. Sed iam ueniamus ad causam. Deus cum fecisset hominem ad imaginem & similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam, & odorem suæ diuinitatis inseruit, ut per hoc participes facti mortales unigeniti eius, per ipsum etiã amici dei & filij adoptionis existerent: unde & qua uia id possint adipisci, ipse eos, ut propheta uerus, edocuit, sciens quibus actibus hominũ delectaretur pater. Vnus itaq; apud homines tunc dei cultus erat, mens pura & spiritus incorruptus. Et ob hoc, omnis creatura humano generi fœdus inuiolabile conseruabat. Ob reuerentiã nanq; creatoris, nulla ægritudo in eos, nullum uitium corporis, nulla ciborum dominata corruptio est: ex quo fiebat, ut mille annorum ætas in fragilitatem non incideret senectutis. Sed ubi uita laboris expers, bonorum perseuerantiã non putauit diuina largitione, sed rerum sorte concessam, & sine ullo sudore diuinæ amœnitatis delicijs perfrui, naturæ debitum, & non dei bonitatis munus accepit, in contrarias per hæc homines & impias cogitationes, ocio docente, perueniunt, putantes deorũ sibi uitam, nullis laboribus, nullis q; meritis natam. Hinc proficiunt in deterius, ut neq; prouidentia dei mundum regi crederent, neq; uirtutibus esse aliquẽ locum, quandoquidem semetipsos scirent, nullis prius bonis operibus adsignatis, ocij ac deliciarum summam tenere, & amicos dei absq; ullis laboribus haberi. Iustissimo itaq; dei iudicio, in huiusmodi cogitationum uanitate languentibus, labores & adflictiones pro remedio conferuntur. Vbi ergo adfuit labor ac tribulatio, deliciarum & amœnitatis excluſi sunt loco. Terra autem cœpit nihil eis sine labore producere, & tunc conuersa in hominibus cogitatio, creatoris sui requirere commonetur auxiliũ, & orationibus ac uotis præsidia inuitare diuina. Et ita factũ est, ut cultum dei quem pro bonis neglexerant, recuperarent pro malis, & cogitationes in deum, quas peruerterat indulgentia, emendaret adflictio. Sic ergo diuina prouidentia hoc esse utilius hominibus uidens, uias benignitatis & abundantiæ, tanquam quæ læderent, subtrahit ab hominibus, & uexationis iter ac tribulationis inducit. Sed ut ostenderet, quia hæc pro ingratis agerentur, unum quendam ex illis, qui primitus cœperant esse mortales, quod eum gratiæ suæ non immemorem uidit, & quia sperauit inuocare nomen domini, ad immortales transtulit: cæteris, qui in tantum ingrati extitere, ut nec laboribus & tribulationibus emendari & corrigi possint, grauissima morte damnatis. Inuenit tamen & inter ipsos unum quendam cum domo sua iustum, quem reseruaret, præcepto ei dato, ut fabricaret arcam, & in ea, cum diluuio cuncta necarẽtur, ipse cum his quibus præceptũ fuerat, posset euadere, quo impijs inundatione aquarum peremptis, purificationem mundus acciperet, & is qui ad prosperitatem generis fuerat reseruatus, per aquam mundus effectus, mundum denuò repararet. Sed his omnibus gestis, rursus homines ad impietatẽ uertuntur, & propter hoc à deo ponitur lex quæ uiuẽdi modum doceret: sed processu temporis, dei quidem cultus & iustitia, ab infidelibus & impijs corrumpitur, sicut paulò post apertius ostendemus. Peruersæ autem & erraticæ religiones introducuntur, quibus se plurima pars hominũ per occasionẽ feriarum, & solennitatũ dederunt. Potus instaurantes, & conuiuia, tibias q; ac fistulas, & citharas, ac diuersa genera musicorum sectantes, & semetipsos per omnia temulentiæ, ac luxuriæ propinantes.

Principiũ Christianismi est, credere prouidẽtiã diuinam, eamq; inculpabilem.

Præcipuus cultus dei consistit in mente pura.

Afflictiones dantur aliquando pro remedio.

Enoch.

Noë.

Lex uiuendi à deo data post diluuium.

tes. Hinc omnis error accepit originẽ, hinc lucos, & aras, hinc coronas & uictimas reperere, & post ebrietatem, quasi limphaticis motibus agi: ex hoc iam potestas dæmonijs data, ingrediendi huiusmodi mentes, ut choros ducere insanos, & Baccho furere uiderentur: hinc fremere dentibus, & mugire de profundis uisceribus inuentum: hinc terribilis uultus, & ferus in hominibus aspectus, ut is quem temulentia subuerterat, ac dæmon instigauerat, numine repletus à deceptis & errãtibus crederetur. Vnde cum tam multæ in hunc mundum falsæ & erraticæ religiones essent introductæ, missi sumus nos, deferentes uobis tanquam boni negociatores, à patribus traditum & conseruatum ueri dei cultum, cuius quasi semina quædam uobis hæc uerba respergimus, & in uestro iudicio ponimus quod rectum uidetur eligere. Si enim recipiatis quæ nostra sunt, nõ solum ipsi incursiones dæmonis effugere, sed & ex alijs eas effugare poteritis, simul & æternorũ bonorum præmia consequemini. Qui autẽ cõtempserint recipere quæ dicuntur à nobis, in præsenti quidem uita diuersis dæmonibus & ægritudinũ uitijs subiacebunt: post excessum autem corporis, etiam animæ eorum cruciabuntur in perpetuum. Deus enim non solum bonus, sed & iustus est: nam si semper bonus sit & nunquam iustus, ut reddat unicuiq; pro gestis suis, bonum inuenietur iniustum. Iniustum nanq; est, si ita apud eum habeat impius, sicut & pius. Igitur dæmones, sicut paulò ante diximus, cum occasionibus accceptis, ingerere se potuerunt per malos & turpes actus corporibus hominum, si multo tempore permaneant in eis per negligentiã ipsorum, quia animæ suæ quod est utile, non requirunt, necessariò cogunt eos habitantium in se dæmonum de reliquo facere uoluntates. Quod autem est omnium deterius, in consummatione seculi, cum dæmon ille igni tradetur æterno, necessariò & anima quæ ei paruit, cum ipso æternis ignibus cruciabit̃, unà cum corpore suo quod polluit. Dæmones autẽ habere desiderium immergendi se corporibus hominum hæc causa est. Spiritus sunt habentes propositum conuersum ad malitiam: per cibos ergo & potus immoderatos, ac libidinem perurgent homines ad peccatum: eos tamen qui peccandi propositum gerunt: qui dum uidentur necessaria naturæ uelle complere, non tenentes modum per nimietatem, ingrediendi in semetipsos dæmonibus faciunt locum. Donec autem naturæ mensura seruatur, & modus legitimus custoditur, dei clementia ingrediendi in homines non eis tribuit facultatẽ. Vbi uero aut mens ad impietatẽ declinauerit, aut corpus immoderatis cibis ac potibus adimplebitur, tanquam uoluntate & proposito eorum qui se ita negligunt, inuitati, quasi aduersum eos qui à deo positã legem soluerint, accipiunt facultatẽ. Videtis ergo quantũ ualeat agnitio dei, & diuinæ religionis obseruantia, quæ non solum defendit credentes ab incursionibus dæmonij, uerum & imperare eos facit his qui cæteris dominantur. Et ideo necessariũ uobis est qui estis ex gentibus, confugere ad deum, & obseruare uos ab omni immunditia, ut expulsis dæmonibus, dei habitatio fiat in uobis. Simul & orationibus cõmendate uos deo, & interpellate eum aduersum impudentiã dæmonũ: credentes enim, quæcunq; petieritis, accipietis. Sed & ipsi dæmones quanto uiderint fidẽ crescere in homine, tanto ab eo refugiunt, in ea solũ parte residẽtes, in qua adhuc aliquid infidelitatis resederit: ab his uero qui plena fide credunt, absq; ulla remoratione discedũt. Anima enim cum uenerit ad fidẽ dei, cœlestis aquæ uirtutẽ consequit̃, per quam dæmonẽ tanq̃ scintillam ignis extinguat. Est ergo fidei mensura, quæ si integra sit, ex integro de anima dæmonẽ fugat: si uero minus aliquid habeat, residet adhuc aliquid de portione dæmonis in portione infidelitatis: & est plurimus labor, ut intelligat anima, quando, aut qualiter, si plenè, aut minus plenè ex se fugatus sit dæmon. Si enim in aliqua parte resederit, cum tempus inueniet, cogitationes subijcit cordibus hominũ, & illi nescientes unde hæc ueniant, suggestionibus dæmonũ, quasi animæ suæ sensibus cre

Festi dies Ethnicorũ.

Bacchi numen.

Quamobrẽ dæmones gaudeãt immergi humanis corporibus.

Matth. 21.

Fides dæmones fugat.

dunt: suggerunt ergo alijs, occasione corporeæ neceſſitatis delicias ſequi; aliorum iracundiam excuſant per abundantiã fellis, aliorum inſaniam nigri fellis uehementia colorant, ſed & ſtultitiã quorundam pro multitudine phlegmatis extenuant. Quod & ſi ita eſſet, tamen hæc ſingula moleſta corpori eſſe non poſſent, niſi ex ciborum potuumq; nimietate, qui cum iuſto amplius ſumũtur, abundantia eorum quam decoquere naturalis nõ ſufficit calor, crudeſcit in uenenum quoddam, idq; uiſceribus uenisq; omnibus ſentinæ in modũ redundans, motus corporis inſanos reddit & turpes. Propter quod in omnibus eſt obtinenda parſimonia, ut neq; dæmonibus locus detur, neque anima ab eis obſeſſa, unà cum ipſis tradatur æternis ignibus crucianda. Eſt & alius error dæmonũ, quem ſubijciunt ſenſibus hominũ, ut putent ſe ab his qui dicuntur dij, perpeti quæ patiuntur, quo per hæc, ſacrificia offerentes & munera, quaſi repropitiantes eos, cultum falſæ religionis adfirment, nos uero refugiant qui pro ſalute eorũ ſatagimus, ut ab errore liberentur: ſed hoc, ut dixi, faciunt, ignorantes quod dæmones iſta ſibi ſuggerant ne ſaluentur. Eſt ergo in poteſtate uniuſcuiuſq;, quia liberi arbitrij factus eſt homo, utrum nobis uelit audire ad uitam, an dæmonibus ad interitum. Alijs etiam dæmones in uiſu per diuerſas imagines apparentes, interdũ minas intendunt, interdum ſanitates incommoditatibus pollicentur, ut his quos decipiunt, deorũ nihilominus de ſe inſerant opinionem, & quod ſint dæmones ignoretur. Sed nos non latent, ſcientes myſterium creaturæ, & quam ob cauſam dæmonibus hæc agere in præſenti ſeculo permittatur, ut uel transformari eis liceat in quas uolunt imagines, uel ſuggerere pra-

Dæmonum præſtigiæ.

uas cogitationes, uel inſerere ſe per cibos & potum ſibi conſecratum mentibus uel corporibus eorum, qui ex eo ſumpſerint, uel ad idoli alicuius uenerationẽ ſomnia uana confingere. Et tamen quis ita ſine ſenſu inuenitur, cui perſuaderi debeat, ut idolum colat, ſiue illud ex auro, ſiue ex quolibet metallo factum ſit, cui non palàm eſt id eſſe illud metallũ quod artifex uoluit? Quomodo ergo ineſſe ibi diuinitas putanda eſt, quod ſi noluiſſet artifex, omnino nõ eſſet? aut quomodo inde futura ſibi adnunciari ſperant, ubi nec præſentiũ aliquis intellectus eſt? Quamuis etiamſi aliquid diuinarent, non continuò dij haberi poſſint: quia aliud eſt diuinatio, aliud diuinitas. Nam & Phytones diuinare uidentẽ, & nõ continuò dij ſunt: denicq; à Chriſtianis hominibus effugãtur: & quomodo deus eſt, qui fugatur ab homine? Sed diis fortaſſe: quid quod ſanitates efficiunt, & quomodo quis curetur oſtendũt? Hac ratione colendi ſunt etiam medici ut dij, multos enim ſanant, & quanto quis peritior fuerit, tanto plures ſanabit. Vnde conſtat, iſtos cum ſint dæmonici ſpiritus, & multo citius ſcire aliqua, & multo perfectius: nõ enim ad diſcendũ tarditate corporis degrauãtur. Et ideo quæ medici longo tempore, & labore plurimo adſequunt: hæc illi, tanq; ſpiritus, abſq; mora ulla, & abſq; difficultate cognoſcunt. Non ergo mirum eſt, ſi plus aliquid quàm homines ſciunt: ſed hoc intuendũ eſt, quod ea quæ ſciunt, non ad ſalutẽ, ſed ad deceptionẽ proferunt animarũ, ut per hæc eas cultum falſæ religionis edoceant. Sed deus, ne tantæ deceptionis error laẽtret, & errãtibus ipſe cauſa uideretur exiſtere, qui tantũ eis licere permiſit, ut per diuinationes, & per curationes, per ſomnia decipere homines poſſint, clementiæ ſuæ remedijs prouidit hominibus, & diſtinctionẽ falſi uericq; ſcire cupientibus, in propatulo poſuit. Eſt ergo iſta diſtinctio: Quod à uero deo dicitur, ſiue per prophetas, ſiue per uiſiones diuerſas, ſemper uerũ eſt: quod autem à dæmonibus prædicitur, non ſemper uerum eſt. Eſt ergo euidentis indicij, non à uero deo dici ea in quibus aliquando mendacium eſt, in ueritate enim nunquam mendaciũ eſt: in his autẽ qui mentiuntur, poteſt aliquando & ueritatis aliquid admiſceri, per quod mendacia cõdiantur. Quod ſi dicat aliquis: quid enim opus erat hoc ipſum, ut eis permitteretur, uel aliquando uerum dicere, & per hoc tantũ errorem mortalibus introduci? Audi ad hæc: ſi eis

Phytones diuinatorij ſpiritus.

Verum à falſo quomodo diſcernatur.

nunquam

nunquam fuiſſet indultũ ueri aliquid dicere, omnino nec prædicerẽt aliquid: non prædicentes aũt, nec quod eſſent dæmones, cognoſcerent. Quod ſi ignorarentur eſſe dæmones in hoc mundo, agonis noſtri & certaminis nos cauſa latuiſſet, & pateremur palàm quæ geruntur in occulto: quippe ſi agendi tantũ aduerſum nos, & nihil loquẽdi facultas eis cõceſſa uideretur. Nunc autẽ ubi aliquãdo uera, aliquando falſa dicũtur, debemus agnoſcere, ut ſuperius dixi, dæmonũ, & nõ dei eſſe reſpõſa, apud quem mendaciũ nunquã eſt. Quod ſi curioſius quis progrediens dicat: Quid enim opus erat huiuſmodi mala à deo fieri, quibus ad ſubuertendas mentes humanas tanta eſſet intentio? Hæc proponenti reſpondebimus: requirendũ eſſe primo omnium, ſi eſt aliquid in ſubſtãtia malũ. Et quamuis ſufficeret dicere ad eum, quia non eſt conueniens, ut creatura iudicet creatorẽ, ſed illius eſt iudicare opus alienũ, qui aut ſimilis artificij, aut ſimilis potẽtiæ eſt, tamen circuitionibus utamur: abſolute dicimus in ſubſtãtia nihil eſſe mali. Quod ſi ita eſt, ſubſtantiarũ conditor fruſtra culpatur. Sed occurres mihi & dices: Etiamſi ex arbitrij libertate in hoc uentũ eſt, nunquid ignorabat ille qui creabat eos, quod in malũ declinaturi eſſent quos creabat? oportuit ergo nec creari eos, quos deuiaturos ab itinere iuſtitiæ præuidebat. Audiant ad hæc qui ita proponũt, q̃d huiuſcemodi adſertionibus illud uolũt oſtendere, cur nõ malitia eorũ qui nondũ erant, bonitatẽ uicerit creatoris. Si enim uolẽs implere numerũ & menſurã creationis ſuæ, extimuiſſet eorũ qui futuri erant malitiam, & quaſi qui aliã nullã inuenire uiam remedij ac medicinæ potuiſſet, niſi hoc ſolum ut retraheret ſe à propoſito creãdi, ne ſibi adſcriberẽ malitia eorũ qui futuri erant, quid aliud per hæc doceret, niſi indigna paſſio, & indecora fragilitas conditoris? quia ita pertimuit eorũ actus qui nondũ erant, ut à propoſita cõditione ceſſaret. Sed his procul amotis, illud animo cõtemplemur: quia deus uniuerſitatis cõditor, cõditionis ſuæ futuras differentias præuidens, unicuiq; creaturæ ſecundũ proprios motus, quos ex arbitrij libertate proferebat, proſpexit, & præuidit diuerſos ordines, atq; officia differẽtia, & cum unius eſſent ſubſtãtiæ omnes ſecundũ creaturæ rationẽ, eſſet tamen diuerſitas in ordinibus & officijs ſecundũ proprios animorum motus, ex arbitrij libertate proferendos. Præuidebat ergo futuras in creaturis culpas, & iuſtitiæ eius ratio poſcebat, ut emẽdationis cauſa culpas pœna ſequereꝛ. Oportuit ergo eſſe & pœnarũ miniſtros, quos tantũ libertas arbitrij in hunc ordinem traheret: præter hæc autẽ & debuerunt habere quos uincerent hi, qui agones ſuſceperãt, cœleſtiũ præmiorũ. Sic ergo nec ea quæ putanꝛ mala, uacant ab utilitate, dum uicti his à quibus uincuntur, licet inuiti, præmia æterna cõquirunt. Sed de his iſta ſufficiant, proceſſu enim temporis etiam ſecretiora pandentur. Nunc ergo quoniã nondum intelligitis quanta uos ignorãtiæ caligo circunſtet, interim uobis uolo exponere, unde colendi idola exordiũ mundo huic datum ſit. Idola autẽ dico exanima ſimulacra quæ colitis, ſiue lignea, ſiue fictilia, ſiue lapidea, uel ærea, uel ex quibuſcunq; alijs ſumpta ſunt metallis: horũ ergo initiũ tale eſt. Angeli quidã, relicto proprij ordinis curſu, hominũ fauere uitijs cœpere, & libidini eorũ quodãmodo indignũ præbere miniſteriũ, quo illorũ opera, ſuis magis uoluptatibus morem gererent: quicq; ne ſponte inclinati uiderentꝛ ad indigna miniſteria, docuerũt homines, quod dæmones artibus quibuſdã obedire mortalibus, id eſt, magicis inuocationibus, poſſent, ac uelut ex fornace quadã & officina malitiæ totum mundũ, ſubtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleuerunt. Pro his & alijs nõnullis cauſis diluuium mundo introductũ eſt, ſicut iam in alijs dictũ eſt & dicemus: & omnes qui erant ſuper terras, deleti ſunt, excepta Noë familia, qui cum tribus filijs, eorũq; uxoribus ſuperfuit: ex quibus unus Cham nomine, cuidã ex filijs ſuis, qui Meſraim appellabatur, à quo Aegyptiorum & Babyloniorũ & Perſarum ducitur genus, male compertã magicæ artis tradidit diſciplinã: hunc gentes quæ tunc erant Zoroaſtrẽ

Iniquũ eſt creatorem à creatura iudicari.

Rom. 9.

Dæmones miniſtri pœnarum.

Idola.

Magicæ illuſiones unde natæ.

Nõ multo ſecus Beroſius ſcribit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zoroastris libri de magia.

appellauerũt, admirantes primum magicæ artis autorẽ, cuius nomine etiã libri super hoc plurimi habentur. Hic ergo astris multũ ac frequẽter intẽtus, & uolens apud homines uideri deus, uelut scintillas quasdã ex stellis producere, & hominibus ostentare cœpit, quo rudes atq; ignari, in stuporẽ miraculi traherentur: cupiensq; augere de se huiusmodi opinionẽ, sæpius ista moliebatur, usq; quo ab ipso dæmone, quem importunius frequẽtabat, igni succensus cõcremaretur. Sed stulti homines qui tunc erãt, cum debuissent utiq; opinionẽ, quam de eo cõceperãt abijcere, quippe quam pœnali morte eius uiderant confutatã, in maius eum extollũt. Extructo enim sepulchro ad honorẽ eius, tanq; amicũ dei, ac fulminis ad cœlũ uehiculo subleuatum, adorare ausi sunt, & quasi uiuens astrũ colere. Hinc enim & nomen post mortẽ eius Zoroaster, hoc est, uiuum sidus appellatũ est, ab his qui post unam generationẽ Græcæ linguæ loquela fuerãt repleti. Hoc denicq; exẽplo, etiã nunc multi eos qui fulmine obierint, sepulchris honoratos tanq; amicos dei colũt. Hic ergo cum quartadecima generatione cœpisset, quintadecima defunctus est, in qua turris ædificata est, & linguæ hominũ multipliciter diuisæ sunt. Inter quos primus magica nihilominus arte quasi coruſco ad eum delato, rex appellat quidã Nemroth, quem & ipsum Græci Ninũ uocauerũt: ex cuius nomine Ninive ciuitas uocabulum sumpsit. Sic ergo diuersæ & erraticæ superstitiones ab arte magica initiũ sumpsere. Etenim quoniã difficile erat humanũ genus ab amore dei abstrahi, & absurda atq; exanima simulacra deduci, idcirco excelsioribus usi sunt magi molitionibus, ut astrorũ signis ac motibus, tanq; cœlitus & uolũtate dei delatis, ad suadendos cultus erraticos uerterentur. Et eius quem suprà diximus indignatione dæmonis, cui nimis molestus fuerat cõflagrasse, busti cineres, tanq; fulminei ignis reliquias colligentes hi, qui erant primitus decepti, deferunt ad Persas, ut ab eis tanq; diuinus è cœlo lapsus ignis, perpetuis conseruaret excubijs, atq; ut cœlestis deus coleret. Simili exẽplo etiã per cætera loca reliqui homines his, quos uel in artibus aliquibus, uel in uirtute fuerant admirati, uel certe in amore plurimo habuerãt, templa construere, imagines cõlocare, mysteria & cerimonias, ac sacrificia instituere, & per omnia deorũ de his famam posteris tradere gestierãt, eò præcipue quod, ut suprà diximus, phantasijs aliquibus magicæ artis fulti uidebant, ut inuocatione dæmonũ agi ab his aliquid ad deceptionẽ hominũ, moueriq; uideretur. His adijciũt & solennitates quasdã, ac temulẽta cõuiuia, quibus & homines libẽtius indulgerẽt, & dæmones crapulis tanq; uehiculis inlati, ipsis eorũ uisceribus miscerentur, in quibus conlocati ad omnẽ uoluntatẽ suã actus hominũ, cogitationesq; deflecterent. Huiusmodi igitur ex initio erroribus introductis, eisq; libidine & temulentia, qua carnales homines maxime delectant, adiutis, religio dei, quæ per continentiã sobrietatemq; cõstabat, rarescere inter homines, atq; aboleri propemodũ cœpit. Nam cum ex initio homines, utpote iustum, & omnia contuentẽ deũ colentes, neq; peccare auderent, neq; iniuriam facere proximis suis, certi quod uniuscuiusq; actus & motus aspiceret deus: ubi religionis cultus ad simulacra exanima cõuersus est, tanq; de quibus certi essent, quod neq; uiderent, neq; audirent, neq; mouerentur in aliquo, licẽter peccare, & in omne facinus progredi cœpere: quippe qui nihil pati uererentur ab his, quos colebãt ut deos. Hinc bellorũ rabies exarsit, hinc prædæ, rapinæ, captiuitates, & libertas in seruitutẽ redacta, prout quisq; potuit, libidini & cupiditati suæ satisfecit, quãuis satisfacere cupiditati nulla uis possit. Sicut enim ignis quanto magis ligna acceperit, tanto amplius accendit, & inualescit: ita & cupiditatis rabies, per ea quæ adipiscit auctior & uehemẽtior efficit. Propter quod incipite iam meliore intellectu uobismetipsis resistere, in his quæ non recte cupitis, si quo fortè modo reparare in uobis ac restituere possitis illam, quæ ex initio mortalibus à deo tradita est, religionis puritatẽ, & innocentiã uitæ, ut per eam uobis etiã spes

Zoroastres fulmine ictus interijt.

Fulmine icti habiti pro dijs.

Nemroth in historijs Ninus uocatur.

Ninive.

Vnde Persis ignis, quẽ tanto pere coluerunt.

bonorum

bonorum immortaliũ repareẽ: & agatis gratias largitori omniũ patri, per eũ quem posuit regẽ pacis, & thesaurũ ineffabiliũ bonorũ, ut in præsenti quidẽ tempore diluantur peccata uestra per aquã fontis, aut fluminis, aut etiã maris, inuocato super uos trino beatitudinis nomine: ut per hoc non solũ fugent, si intra uos habitãt spiritus maligni, uerũetiã cum destiteritis à peccatis, & tota fide, totaq; mentis puritate deo crediderit is, etiã ex alijs uos malignos spiritus & dæmones effugetis, atq; à passionibus & languoribus alios liberare possitis. Ipsi enim dæmones sciunt & agnoscunt eos qui se tradiderint deo, & interdũ sola eorum præsentia propellunt, sicut paulò ante uidistis, quomodo cum uocẽ tantũ salutationis fecissemus ad uos, continuò dæmones propter honorẽ religionis nostræ, exclamare cœperũt, & ne parũ quidẽ temporis potuerunt ferre præsentiã nostrã. Nunquid nos alterius sumus naturæ superioris alicuius, & propterea nos dæmones timẽt? Vnius eiusdẽ uobiscũ naturæ sumus, sed religione differimus. Quod & si uos esse uultis, nõ inuidemus: quin potius & hortamur, certosq; esse uos uolumus, quod cum fuerit in uobis eadem quæ in nobis est fides & religio, ac uitæ innocẽtia, remunerãte deo fidẽ uestrã, erit par uobis atq; eadem etiã contra dæmones potestas & uirtus. Sicut enim is qui acceperit sub se milites, etiãsi ipse inferior, & illi superiores sint uiribus, tamen dicit huic uade, & uadit: & alij ueni, & uenit: & alij fac hoc, & facit. Hoc aũt potest non propria uirtute, sed Cæsaris metu. Ita & fidelis quisq; dæmonibus imperat, etiamsi uideant illi multo esse hominibus fortiores, non propter suam uirtutẽ, sed propter dei qui eos subiecit potestati. Nam & quod diximus, ut Cęsar apud omnes milites, & in omnibus castris, atq; in omni regno timeat, cum sit unus & fortassis exiguus uiribus, nõ nisi potestate dei agitur, qui timorẽ dat omnibus ut uni obtemperent. Hoc sanè scire uos uolumus, quod dæmon, nisi quis uoluntatibus eius se sponte subdiderit, potestatẽ aduersum hominẽ non habet. Vnde & ipse qui est princeps malitiæ, ad hunc quem diximus à deo destinatũ regẽ pacis accessit, tentans, & polliceri ei cœpit omnẽ gloriã mũdi: quod cum alijs obtulisset decipiẽdi causa, adoratũ se nouerat. Impius & immemor sui, quod est propriũ & speciale malitię, adorandũ se ab eo præsumebat, à quo se nouerat destruẽdũ. Dominus ergo noster unius dei cultum cõfirmans, respõdit ei: Scriptũ est, dominũ deum tuũ adorabis, & illi soli seruies: qua respõsione deterritus, & metuens ne unius & ueri dei repararet uera religio, festinat cõtinuò emittere in hunc mundũ pseudoprophetas, & pseudapostolos, falsosq; doctores, qui sub nomine quidẽ Christi loquerentur, dæmonis autẽ facerent uoluntatẽ. Propter quod obseruate cautius, ut nulli doctorum credatis, nisi qui Iacobi fratris domini ex Hierusalẽ detulerit testimoniũ, uel eius quicunq; post ipsum fuerit. Nisi enim quis illuc ascenderit, & ibi fuerit probatus quod sit doctor idoneus, & fidelis ad prædicandũ Christi uerbũ: nisi, inquã, inde detulerit testimonium, recipiẽdus omnino nõ est: sed neq; propheta, neq; apostolus in hoc tempore speretur à uobis aliquis alius præter nos. Vnus enim est uerus propheta, cuius nos duodecim apostoli uerba prædicamus: Ipse enim est annus dei acceptus, nos apostolos habẽs duodecim mẽses. Qua aũt causa uel mũdus ipse factus sit, uel diuersitates quæ sunt in eo acciderint, & quur ad reparationẽ eius ueniẽs dominus noster, elegerit nos duodecim apostolos, & miserit, aliàs latius explanabitur. Interim nos iussit exire ad prædicandũ, & inuitare uos ad cœnã regis cœlestis, quam præparauit pater in nuptijs filij sui, & ut demus uobis indumẽta nuptialia, quod est, gratia baptismi, quam qui fuerit cõsequutus, tanquam uestimentũ mundum, cum quo ei ingrediendũ est ad cœnã regis: obseruare debet, ne peccato aliqua ex parte maculetur, & ob hoc tanquã indignus & reprobus abijciatur. Causæ autem quibus maculetur istud indumentum hæ sunt, si quis recedat à patre, & cõditore omniũ deo, alium recipiens doctorẽ præter Christum, qui est solus fidelis ac uerus propheta,

Dæmones exhorrescunt uere credentes.

Pseudoprophetæ à diabolo.

Christus annus est, cuius XII. menses sunt apostoli,

Vestis nuptialis in Euãgelio gratiam baptismi significat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quiq̃ nos duodecim apostolos misit ad prædicandũ uerbum. Et si quis de substantia diuinitatis, quæ cuncta præcellit, aliter quàm dignum est sentiat, hæc sunt quæ usq̃ ad mortem baptismi polluunt indumentũ. Quæ uero in actibus polluunt, ista sunt, homicidia, adulteria, odia, auaritia, cupiditas mala. Quæ autẽ animã simul & corpus polluunt, ista sunt, participare dæmonum mensæ, hoc est, immolata degustare, uel sanguinem, uel morticinũ, quod est suffocatum, & si quid illud est quod dæmonibus oblatum est. Hic ergo uobis sit primus gradus ex tribus, qui gradus triginta ex se gignit mandata. Secundus uero qui sexaginta. Tertius qui centũ, sicut aliàs uobis de his plenius exponemus. Et hæc cum dixisset, ac præcepisset ut die posterà ad eundem locum maturius cõuenirent, turbas dimisit, quibus recedere nolentibus, ait Petrus: Donate mihi hanc gratiam, propter hesterni itineris labores, & nunc discedentes, die crastina maturius conuenite: & ita cum lætitia discessere. At Petrus paululum me secedere præcipiens orationis causa, iubet post hæc in loco horti, quem umbra contegebat, accubitum sterni, & unusquisq̃ ex more recognoscens proprij ordinis locum, cibum sumpsimus. Tum deinde quia supererat adhuc aliquantulum diei, de mirabilibus domini conloquutus nobis, cum uespere facto ingressus in cubiculum quieuit.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER QVINTVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.

EQVENTI autem die, paulò citius quàm solebat consurgens Petrus, inuenit nos dormientes: quod ubi sensit, quasi ipse adhuc dormire uolẽs, silentiũ sibi fieri iussit, ut nobis quiescendi facultatẽ daret. Vbi autẽ refecti somno exurreximus, inuenimus eum oratione facta, intra cubiculum operientem nos. Et cum iam esset crepusculũ, salutans ex more, breuiter adloquutus est, & continuò ad cõsuetum locum docendi gratia procedit: ubi cum uidisset ad audiendũ plurimos conuenisse, primo religionis ritu pace eis inuocata, dicere hoc modo cœpit: Deus creator omnium, ex initio ad imaginem suam hominem fecit, eiq̃ dominationem terræ, marisq̃, & aëris ipsius dedit, sicut & uerus nobis propheta narrauit, & ipsa rerum ratio docet: solus enim est rationabilis, & consequens est, ut ratio inrationabilibus dominetur. Hic ergo ab initio cum adhuc iustus esset, cunctis uitijs, & omni fragilitate superior erat: ubi autem peccauit, sicut hesterno die docuimus, & factus est seruus peccati, simul & fragilitati efficitur obnoxius. Quod idcirco scriptũ est, ut sciant homines, quia sicut ex impietate passibiles facti sunt, ita per pietatẽ possunt esse impassibiles: uerum & parua in deum fide, aliorũ passiones curantes. Ita enim uerus propheta nobis promisit, dicens: Amen dico uobis, quia si habueritis fidem sicut granũ sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Huius uocis etiam uos ipsi documenta accepistis: hesterno enim die uidistis quomodo adstantibus nobis, dæmones cum passionibus quas hominibus inuexerant, transierunt & fugati sunt. Quia ergo alij quidem homines patiuntur, alij patientes sanant, causa sine dubio uel patiendi, uel curandi noscenda est, quæ nõ alia esse, quàm patientibus quidem infidelitatis, curantibus uero fidei demõstratur. Infidelitas enim dum nõ credit futurum iudiciũ dei, peccandi licentiam præbet, peccatũ uero hominẽ passionibus obnoxium facit. Fides autem futurum esse dei iudiciũ credens, continet homines à peccato; non peccantes

Matth. 7.

cantes uero non solum liberi sunt à dæmonibus & passionibus, uerum & aliorum dæmones & passiones fugare possunt. Ex his ergo omnibus colligitur, quod origo totius mali ab ignorãtia descendat, & ipsa sit malorum omniũ mater, quæ incuria quidem & ignauia gignitur, negligentia uero alitur & augetur, atq̃ in sensibus hominum radicatur: quam si quis fortè doceat effugandã, uelut antiquis & hæreditarijs sedibus, molestè & indignanter auellitur. Et ideo paululũ laborandũ nobis est, ut indagantes ignorantiæ præsumptiones scientiæ ratione resecemus, in his præcipue qui in aliquibus minus rectis opinionibus præuenti sunt, per quas, quasi sub specie alicuius scientiæ, ignorantia in eis uehementius radicata est: nihil enim grauius quàm sibi quod ignorat quis scire se credat, & defendat uerum esse quod falsum est: quod tale est, quale si quis ebrius sobrium se putet, & agat quidem cuncta ut ebrius, sobrium se tamen & ipse putet, & dici à cæteris uelit. Ita sunt ergo & hi qui ignorãtes quod uerum est, speciem tamen alicuius scientiæ tenent, & mala quasi bona gerunt, atq̃ ad perniciem, quasi ad salutem festinant. Propter quod ante omnia properandum est ad agnitionem ueritatis, ut possimus quasi lumine nobis inde succenso, errorum tenebras depellere: grande enim malum est, ut diximus, ignorantia: sed quia substantiã non habet, facile ab his qui studiosi sunt, effugatur. Non enim aliud est quidem ignorantia, nisi non agnouisse, quod expedit: ubi autem agnoueris, perit ignorantia. Quæri ergo magnopere debet agnitio, quam nemo alius potest adsignare, nisi uerus propheta. Hæc enim porta est uitæ, uolẽtibus ingredi: & iter operum bonorum, pergentibus ad ciuitatem salutis. Si quis sanè audiens sermonẽ ueri prophetæ, uelit recipere aut nolit, & amplexiones eius, id est, mandata uitæ, habet in sua potestate: liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset, ut audientes eum iam nõ haberẽt in potestate aliud facere quàm audierãt, uis erat quædam naturæ, per quam liberum nõ esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ uis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum est animo in quam uelit partem declinare iudiciũ suum, & quam probauerit eligere uiam, cõstat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatẽ. Igitur priusquam audiat quis quod ei expedit: certum est quia ignoret, & ignorans uult & desiderat quod non expedit agere, propter quod pro hoc nõ iudicatur. Cum uero audierit causas erroris sui, & rationẽ ueritatis acceperit, tunc si permanserit in his erroribus, quibus dudum præuentus, recte iam uocabitur ad iudicium pœnas daturus, cur uitæ eius spatium, quod ad bene uiuendum accepit, in ludibrijs consumpsit errorum. Qui uero audiens hæc libenter accipit, & gratulatur bonorũ sibi doctrinam fuisse delatã, requirit intentius, & discere non desinit usq̃quo cognoscat, si est uere aliud seculum, in quo bonis præmia præparata sunt: & cum certus de hoc fuerit, gratias agens deo, quod sibi ueritatis lumen ostenderit, de cætero dirigit actus suos in omnibus operibus bonis, quorũ sibi in futuro mercedem certus est præparatã per omnia, demirans & stupens cæterorũ hominum errores, & quod ante oculos posi tam ueritatem nemo uideat. Ipse tamen gaudens super diuitijs sapientiæ, quas inuenit, insatiabiliter eis perfrui cupit, & exercitio bonorũ operum delectatur, festinans ad seculum futurum mundo corde, & pura conscientia peruenire, ubi etiam uidere deum regem omnium possit. His autẽ omnibus carere nos & fraudari, sola facit ignorantia. Dum enim ignorant homines quantũ boni habeat scientia, ignorantiæ malũ de se non patiuntur excludi, nesciunt enim quanta sit in horũ permutatione diuersitas. Propter quod consiliũ do unicuiq̃ discentiũ, libẽter præbere aurem uerbo dei, & cũ amore ueritatis audire quæ dicimus, ut mens optimo semine susceptо, per bonos actus lætos adferat fructus. Nam si me docẽte ea quæ ad salutẽ pertinent, recipere quis abnuit, & animo prauis opinionibus occupato obsistere

Ignorantia mater omniũ malorum.

Ignorãtiæ præsumptio, scientia resecanda est.

Agnitio ueritatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nititur, nõ ex nobis, sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim iusto iudicio examinare quæ dicimus, & intelligere quia uerba loquimur ueritatis: ut cognitis his quæ sunt, ut sunt, & in bonis actibus dirigens uitam suam, regni cœlorum possit particeps inueniri, subijciens sibi carnis desideria, & dominus eorum factus, ut ita demum etiam ipse fiat dominatoris omniũ iucunda possessio. Nam qui permanet in malo, & seruus est mali, non potest effici portio boni, donec permanet in malo: quia ab initio, ut antè diximus, duo regna statuit deus, & potestatem dedit unicuiq; hominum, ut illius regni fiat portio, cui se ad obediendũ ipse subiecerit. Et quia definitum est apud deum, nõ posse unum hominẽ utriusq; regni esse seruum, omni studio date operam, in boni regis fœdus ac iura concurrere. Propter hoc denicq; uerus propheta cum esset præsens nobiscum, & quosdam ex diuitibus negligentes erga dei cultum uideret, huius rei ita aperuit ueritatem: Nemo potest, inquit, duobus dominis seruire: nõ potestis deo seruire, & mammonæ: mammona patria eorum uoce diuitias uocans. Hic ergo est uerus propheta, qui in Iudæa nobis apparuit, ut audistis: qui stans publice sola iussione faciebat cæcos uidere, surdos audire, fugabat dæmones, ægris sanitatẽ reddebat, & mortuis uitam. Cumq; nihil ei esset impossibile, etiam cogitationes hominum peruidebat, quod nulli est possibile nisi soli deo: hic adnunciauit regnũ dei, cui nos de omnibus quæ dicebat, tanquam uero prophetæ credidimus, firmitatem fidei nostræ, nõ solum ex uerbis eius, sed & ex operibus adsumentes, quia & dicta legis, quæ ante multas generationes de præsentia eius exposuerant, in ipso cõsignabantur, & imagines gestorũ Moysei, & ante ipsum patriarchæ Iacob, ipsius per omnia typũ ferebant. Tempus quoq; aduentus eius, hoc est, ipsum in quo uenerat, prædictum ab eis constat: & super omnia quod esset à gentibus expectandus, sacris literis comprehensum est, quæ in eo pariter uniuersa completa sunt. Quod autẽ Iudæorũ propheta prædixit eum à gentibus expectandum, supra modum in eo fidem ueri confirmat. Si enim dixisset à Iudæis expectandum, nõ aliquid eximium prophetasse uideretur, quod à contribuli populo, & à propria gente speraretur is cuius aduentus ad salutẽ mundi fuerat repromissus: uideretur enim magis consequentiæ ratio esse, ut hoc fieret, quàm magnificentia prophetalis. Nunc autẽ cum prophetæ dicunt omnem illam spem quæ de salute mundi repromittitur, & nouitatẽ regni, quæ instituenda per Christũ est, atq; omnia quæ de eo indicantur, ad gentes esse transferenda, iam non secundũ consequentiã rerum, sed incredibili quodã uaticinationis euentu magnificentia prophetica cõfirmatur. Iudæi nanq; ex initio adfore aliquãdo hunc uirum, per quem cuncta repararentur, uerissima traditione susceperant, & quotidie meditantes ac prospicientes, quando eius fieret aduentus: ubi adesse eum uiderunt, & signa ac prodigia, sicut de eo scriptũ fuerat, adimplentẽ, inuidia excæcati agnoscere nequiuerunt præsentẽ, in cuius spe lætabantur absentis: intellexim⁹ tamen pauci nos qui ab eo electi sumus. Hoc autem prouidentia dei factum est, ut agnitio boni huius etiã gentibus traderetur, & hi qui nunquam de eo audierãt, nec à prophetis didicerant, agnoscerent eum: illi uero qui quotidianis meditationibus agnouerãt, ignorarent. Ecce enim per uos nunc qui præsentes estis, & desideratis audire doctrinã fidei eius, & agnoscere quis, & quomodo, & qualis sit eius aduẽtus, prophetica ueritas adimpletur. Hoc est enim quod prædixerunt prophetæ, qui à uobis quærendus esset, qui de eo nunquã audistis. Et ideo uidentes in uobis ipsis prophetica dicta cõpleri, huic uni recte creditis, hunc recte expectatis, de hoc recte inquiritis, ut non solum expectetis eum, sed & hæreditatem regni eius credentes consequamini, secundũ quod ipse dixit, quia unusquisq; illius sit seruus, cui se ipse subiecerit. Propterea ergo euigilate, & dominum, deumq; nostrum uobis adscribite: dominum qui & cœli ac terræ dominus est, & ad ipsius uos imaginem ac similitudinem

Matth. 6. *Mãmona quid significet.*

Moyses & Iacob typũ Christi tulerunt.

Inuidia Iudæorũ erga Christum.

Ioannis 8.

dinem reformate, sicut ipse uerus propheta docet, dicẽs: Estote misericordes, sicut & pater uester cœlestis misericors est, qui oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hunc ergo imitamini, & hũc timete, sicut mandatum datur hominibus: Dominũ deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Expedit enim uobis huic uni domino seruire, ut per ipsum cognoscentes unum deum, à multis quos inutiliter timebatis, liberemini. Qui enim creatorem omnium nõ timet deum, sed eos timet quos ipse manibus suis fecit, quid nisi uano & inutili semetipsum obnoxium facit timori? uilioremq; se & abiectiorem reddit, quàm sunt illa ipsa, quorum timorem mente cõcepit. Quin potius per bonitatẽ eius, qui uos inuitat, redite ad priorem nobilitatẽ uestram, & ex bonis actibus, quod ipsius creatoris uestri imaginem portetis, ostendite, ut ex contemplatione similitudinis ipsius etiam filij eius esse credamini. Incipite ergo à sensibus uestris abijcere uanas idolorum species, atq; inutiles & inanes timores, ut simul etiam conditionem possitis inire quæ seruitutis effugere. Domini etenim uestri effecti sunt illi, qui ne serui quidem utiles uobis esse potuissent. Quomodo enim simulacra exanima, uel ad seruitutem uobis uiderentur idonea, cum neq; audiant, neq; uideant, neq; aliquid sentiant? ni si quod ipsa saltem materia ex qua facti sunt, siue auri, siue argenti, uel etiam æris aut ligni, cum possit uobis ad usus necessarios prodesse, uos ex ea formando deos, ociosam per omnia eam atq; inutilẽ reddidistis. Nos ergo adnunciamus uobis uerum dei cultum, simulq; monemus & hortamur cultores, ut per bonos actus imitentur eum quem colunt, & ad imaginem ac similitudinem eius, ut superius diximus, redire festinent. Velim autem dicerent mihi hi qui idola colunt, si optant similes fieri his quos colunt, uult ne aliquis uestrũm sic uidere, quomodo illi uident? & sic audire quomodo illi audiunt? sic habere sensum quomodo illi habẽt? Absit hoc ab unoquoq; audientium: hoc enim maledictum potius & cõuicium credendum est homini, qui imaginem dei in se gerit, etiamsi similitudinem perdidit. Quales ergo dij habendi sunt isti, quos imitari execrabile sit cultoribus suis, quorum similitudinem habere contumelia est? Quid ergo? soluite simulacra inutilia, & facite uasa utilia: soluite ociosam pigramq; materiam, & facite humano usui apta ministeria. Sed non sinunt, inquit, leges humanæ. Bene, quia humanæ leges, & non ipsorum uirtus. Quomodo ergo dij sunt qui humanis legibus & non suis uiribus defenduntur? sicq; & à furibus, canum uigilijs, & claustrorum munitionibus cõseruantur, & hoc si fuerint argentea, uel aurea, uel etiam ærea: nam lapidea & fictilia, ipsa sui utilitate muniuntur, nemo enim lapideum aut fictilem deum furatur. Vnde miserabiliores uidentur hi, quibus preciosius metallum pericula uiciniora cõquirit. Qui ergo furari possunt, qui ab hominibus custodiri, qui cõflari & appendi, & malleis cædi, isti hominibus sensum habentibus dij debent uideri? O in quantam miseriam mortalium decidit intelligentia. Nam si mortuos timere summæ stultitiæ ducitur, quid iudicemus de his qui deterius aliquid quàm sunt mortui timent? Ista enim simulacra nec in mortuorum numero habenda sunt, quia nunquam uixerunt: præferenda sunt eis etiam sepulchra mortuorum, quoniam licet nunc mortui sunt, habuerunt autem aliquando uitam. Isti autem quos colitis, nec eam quidem, quæ est omnibus teterrima, ranarum ac bubonum uitam aliquando gesserunt. Sed quid opus est de his plura memorare, cum sufficiat dicere ei qui adorat ea: Non uides quia quem adoras non uidet? audi, quia quem adoras, non audit? & intellige, quia non intelligit? opus enim mortalis manus est, & necessariò sensu caret. Tu ergo adoras insensibilem, cum unusquisq; habens sensum, nec ea quidem credat adoranda quæ à deo facta sunt, & habent sensum, id est, solem, & lunam, uel stellas, omniaq; quæ in cœlo sunt, & super terram. Iustum enim putant, non ea quæ pro mundi ministerio facta sunt, sed ipsorum, & mundi totius

Luc. 6.

Matth. 4.

Colentes simulacra exanima sunt ipsis statuis stupidiores.

Dij gentiũ ociosi.

Ranæ præferendæ dijs gentiliũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

creatorem debere uenerari: gaudent enim etiam hæc, cum ille adoratur & colitur,
Honor creatoris non debet creaturæ deferri. nec libenter accipiũt, ut honor creatoris creaturæ deferatur. Exceptus enim est dei
solius cultus, qui solus increatus est, omnia autem cætera factura eius sunt. Sicut
ergo proprium est eius qui solus non est factus deum esse, ita omne quod factum
est, deus uere non est. Ante omnia ergo intelligere debetis deceptionem serpentis
antiqui, & callidas eius suggestiones, qui quasi per prudentiam decipit uos, & ue-
lut ratione quadam serpit per sensus uestros, atq; ab ipso uertice incipiens, per in-
teriores dilabitur medullas, lucrum magnum computans deceptionem uestram.
Interserit ergo sensibus uestris opiniones quorumcunq; deorum, tantũ ut uos ab
unius dei reuocet fide, sciens peccatum uestrum, suum esse solatium. Ille enim pro
Quare serpens condemnatus sit terrã comedere nequitia sua, ab initio terram edere condemnatus est, propter eum quem de terra
adsumptum, iterum resolui fecit in terram, usq; ad tempus quo animæ uestræ per
ignem traductæ reparentur, sicut aliàs de hoc plenius edocebimus. Ex ipso ergo
sunt omnes errores & ambiguitates, quibus ab unius dei fide & credulitate cõtur
bamini. Et primo omnium subiscit cogitationibus hominum, ut ne audiant uerba
ueritatis, per quæ malorum ignorantiã fugent. Et hoc facit quasi occasione alterius
scientiæ, adseuerans eis illam opinionem qua utuntur plurimi, ut putent se reos fu
turos non esse, si in ignorantia fuerint, nec reddituros esse rationem pro his quæ
non audierint, & ideo à uerbo declinare eos suadet auditũ. Sed accipite cõtra hæc,
ipsa per semetipsam ignorantia, ualidissimũ uenenum est, quod sufficiat animam,
Ignorãtia nõ excusabit in die iudicij. nulla extrinsecus quæsita adiectione, perimere. Et ideo nemo est qui ignorans, per
hoc quod ignorat euadat, sed certum est quod intereat. Naturaliter enim peccato-
rum uis interimit peccatorem. Sed quoniã iudicium rationabile erit, tam ignoran
tiæ, quàm uniuscuiusq; peccati causa & origo requiretur. Is ergo qui scire noluit,
quomodo possit uenire ad uitam, sed maluit ignorare, ne per hoc reus fieri uidere-
tur, ex hoc ipso iam quasi qui scierit & habuerit scientiã, iudicatur. Agnouit enim
quid esset quod nolebat audire, & nihil ei conferet ad excusationẽ serpentis artifi-
cio quæsita callidꝭtas, cum eo enim erit ei ratio quem non latet cor. Vt autem scias
quia ignorantia per semetipsam generat interitum, anima cum discesserit à corpo-
re, si talis exeat quæ ignoret eum à quo creata est, à quo in hoc mundo omnia quæ
usibus suis erant necessaria, cõsequuta est, tanquam ingrata & infidelis à regni eius
luce proiicitur. Subiicit iterum nequissimus serpens aliam hominibus opinionẽ,
quam plures uestrũm proferre solent. Vnum esse & nos dicimus deum, qui est
omnium dominus: sed & isti, inquiunt, dii sunt. Sicut enim unus est Cæsar, & ha-
bet sub se multos iudices, uerbi gratia, præfectos, consules, tribunos, & cæteras po
testates: simili arbitramur modo, cum unus sit maior omnium deus, etiam istos ad
similitudinem earum, quas diximus, potestatũ ordinatos esse in hoc mundo deos,
illi quidem maiori subiectos, nos tamen, & quæ in hoc mundo sunt, dispensantes.
Audite ergo ad hæc, quomodo in his ipsis quæ ad deceptionẽ proponitis, ueritatis
Loqui de deo per compara tiones humanas nefas est. rationibus cõstitemini. Dicitis quia locum Cæsaris teneat deus, iudicium uero eius
& potestatũ speciem seruent hi qui dicũtur dii: seruate ergo, ut proposuistis, exem
plum Cæsaris, & scitote quia sicut nulli ex iudicibus, uel administratoribus Cæsa-
ris, id est, præfectis, uel procõsulibus, uel ducibus, uel tribunis, fas est Cæsaris no-
men imponi, alioquin & ille qui susceperit, & illi qui detulerint, pariter interibũt:
Ita & de hoc debetis aduertere: quod si quis nomen dei alicui quàm præter ipsum
imposuerit, & ille receperit, unũ eundemq; sortientẽ interitũ, multo deteriore sorte
quàm ministri Cæsaris. Hic enim qui deliquit in Cæsarem, interitũ suscipiet tempo
ralem: qui uero in unum, qui solus & uerus est deus delinquit, in seculum luet pœ
nas, & meritò, ut qui nomen quod est unicum, iniuriosa conditione uiolauerit.
Quamuis hoc ipsum deus, non nomen sit dei, sed hominibus interim uocabulum
istud

istud quasi pro nomine eius cõcessum est: quod tamen, ut dixi, cum contumelioſe
tractatur, ad ueri eius nominis refertur iniuriã. Denicq; ueteres Aegyptiorũ qui de
cœlesti cursu, & astrorum natura rationem sibi uisi sunt reperisse, obsidente sensus
eorum dæmone, omnibus nihilominus contumelijs nomen incõmunicabile sub-
iecerunt. Nam alij eorum bouem, qui Apis dicitur colendũ tradidere, alij Hircum,
alij Gattas, nonnulli Ibin, quidam Serpentem. Piscem quoq;, & Cæpas, & Cloa-
cas, Crepitus uentris, pro numinibus habendos esse docuerunt, & alia innumera-
bilia, quæ pudet etiam nominare. Hæc dicente Petro, riserunt omnes qui audieba-
mus. Et Petrus: Ridetis, inquit, uos aliorũ dedecora, quia longa consuetudine pro
pria non uidetis. Nam Aegyptiorũ quidem stultitiam meritò ridetis, qui muta ani-
malia, ipsi cũ sint rationabiles, colunt. Audite tamen quomodo & illi uos irrideant:
aiunt enim: Nos uiuentia colimus animalia, licet moritura: uos uero quę nũquam
omnino uixere, hæc colitis, & adoratis. Addunt præterea etiam illud, figuras esse,
& allegorias uirtutum quarundam, quibus adiutricibus regatur hominum genus.
sed pudoris perfugio hæc & nonnulla his similia connectentes, errorem suum ue-
lare nituntur. Sed nõ est nũc tempus Aegyptijs respondere, & derelicta cura præ-
sentium, absentium medicari languores. Certum nanque indicium est, uos ab hu-
iusmodi ægritudine haberi alienos, qui eam non doluistis ut propriam, sed risistis
ut alienam. Sed redeamus ad uos, quibus placet haberi deum ut Cæsarẽ, deos au-
tem ut ministros, & procuratores Cæsaris: sequimini me attentius, & modo uobis
ostendam latebras serpẽtis, in argumenti huius curuis anfractibus collocatas. Cer-
tum apud omnes esse debet, & indubitatum de deo, quia à nullo factus est, sed ipse
fecit uniuersa, nihil ex facturis suis posse coæquari: neq; enim ita quis irrationalis
inueniri potest, qui putet quod cõferri possit factura factori. Si ergo humana mens
non solum ratione, sed & naturali quodam motu, recte hanc opinionem tenet, il-
lud dici deum, cui conferri aut exæquari nihil potest: sed quod cunctis emineat, &
cuncta repellat: quomodo nomen illud quod super omnia esse creditur, recte his
creditur dari, quos ad ministeriũ & procurationẽ humanæ uitæ putatis esse dispo-
sitos? Sed & illud addemus: mundus hic sine dubio factus est, & est corruptibilis, si-
cut etiam postmodum latius ostendemus: interim & factum eum & corruptibilem
constat. Si ergo mundus deus dici non potest, & recte non potest, quia corruptibi-
lis est, quomodo partes mundi dei nomen accipient? quod enim totus non potest
esse mundus, multo magis non erit pars eius. Igitur si redeamus ad exemplum Cæ
saris, uidete quàm longe erretis. Cæsari, eiusdem licet naturæ hominem cuius ipse
est (conferri tamen neminem licet deo, qui hoc ipso quod à nullo factus, sed ipse fe-
cit omnia, cuncta supereminet) conferri debere aliquem creditis? Sed Cæsaris qui-
dem nomen nulli alij audetis imponere, quia reum suum statim punit: dei uero au
detis, quia reum suum punire propter pœnitentiam differt? Per alios item serpens
ille proferre uerba huiusmodi solet: Nos ad honorem inuisibilis dei imagines ui-
sibiles adoramus: quod certissime falsum est. Si enim uere uelitis dei imaginem co-
lere, homini benefacientes, ueram in eo dei imaginem coleretis. In omni enim ho-
mine est imago dei, non in omnibus uero similitudo, sed ubi benigna anima est, &
mens pura. Si ergo uere uultis honorare imaginem dei, nos uobis quod uerum est
aperimus, ut homini qui ad imaginem dei factus est benefaciatis, honorem & reue
rentiam deferatis, esurienti cibum, sitienti poculum, nudo indumentum, ægro mi-
nisterium, peregrino hospitiũ, & in carcere posito necessaria ministretis, & hoc est
quod uere deo delatum reputabitur. Hæc autem in tantum ad honorem dei ima-
ginis cædunt, ut qui ista non fecerit, contumeliam imagini diuinæ intulisse creda-
tur. Quis ergo iste honor dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & ina-
nes atq; exanimes figuras, tanquã numina uenerari, & hominem in quo uere ima-

Animalia quæ sint uirtutũ symbola melius est colere quàm statuas exanimes.

Vere colere imaginẽ dei, est homini benefacere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

go dei est spernere? imò potius certi estote, quod qui homicidium facit, aut adulterium, & quicquid in hominum pœnam, uel iniuriam geritur, in his omnibus dei imago uiolatur. Magna enim impietas in deum est, lædere hominem: omne ergo quod ipse pati non uis, cum facis alij, imaginem dei iniquis mœroribus fœdas. Intelligite ergo, quia latentis intrinsecus serpētis est ista suggestio, quæ persuadet pios uos uideri posse, cum insensibilia colitis: & non uideri impios, cum sensibiles & rationabiles lædatis. Sed ad hæc alio nobis serpens ore respondet, & dicit: Si nolebat hęc esse deus, utiq; non erant. Nondū uobis dico, quomodo ad uniuscuiusq; mentis probationē, in hoc mundo permittuntur esse multa contraria: sed illud est quod nunc interim cōuenit dici, si secundum uos omne quod adorandum erat, esse non debuit, nihil penè futurū erat in hoc mundo. Quid enim est quod reliquistis, quod non adoratis? solem, lunam, stellas, aquam, terram, montes, arbores, lapides, homines, nihil horum est quod non adorastis. Oportuit ergo, iuxta uocem uestram, nihil horum fieri à deo, ne haberetis quod possetis adorare: sed ne homines quidem ipsos esse oportuit, qui adorarent. Vere hoc est quod desiderat ille qui intra uos latet serpens, nulli uestrūm parcit, nullum uult effugere de interitu: sed non ita erit. Audite enim, quia non delinquit illud quod adoratur, sed ille qui adorat. Iustum nanq; est apud deum iudicium, & aliter iniuriam patientem iudicat, aliter inferentem. Sed dicis, oportebat ergo eos qui adorant, quod non licet adorari, statim perimi à deo, ne & alius hoc faceret. Sed nónne es tu prudentior deo ut ei consilia suggeras? scit ille quid faciat. Omnibus etenim in ignorantia positis patientiam præstat, quia misericors & pius est, & præuidet, quia ex impijs multi efficiuntur pij, & ex ipsis qui impura figmenta, & pollutas imagines uenerantur, nonnulli conuersi ad deum, & reuocantes se à peccatis, & agentes bona opera, perueniunt ad salutem. Sed debuimus, inquit, omnino nec ad cogitationē istam uenire, ut hæc faceremus. Ignoratis quid est libertas arbitrij, & latet uos quia ille uere bonus est, qui suo proposito bonus est? Qui autem necessitate retinetur in bono, bonus non potest dici, quia non est suum quod est. Quia ergo in unoquoq; libertas est in electione bonorum uel malorum, ipse sibi uel præmia, uel interitum quærit. Imò, inquit, quicquid cogitamus, deus nobis adducit ad mentem. Quid agitis ô homines? blasphematis: si enim omne quod cogitamus ipse nobis adducit ad mentem, ipse ergo nobis cogitationes adulterij suggerit, & auaritiæ, & blasphemiæ, omnisq; luxuriæ? Desinite quæso ab huiusmodi blasphemijs, & qui sit deo dignus honor intelligite. Nec dicatis, ut solent quidam uestrūm, quia deus mortalium honore non indiget. Ille quidem uere nullius indiget, sed uos debetis agnoscere, quia uobis prodest honor, quē deo defertis. Quid enim tam execrabile, quàm si gratiam referre nesciat homo prio conditori? Sed melius, inquit, facimus nos, qui & ipsi, & omnibus cū ipso gratias agimus. In hoc subuersionem salutis uestræ non intelligitis? Tale est enim hoc, quale si quis æger ad medelam sui, medicū pariter & uenenarios inuitet, cum illi nocere quidem possint, curare non possint: uerus autem medicus, uenenis illorum recusset sua medicamēta miscere, ne aut pernicies bono, aut sanitas nocentibus adscribatur. Dicis ergo: indignatur, aut inuidet deus, si cum ipse benefaciat, alijs gratię referantur? Etiamsi non indignetur, non uult tamen erroris autor existere, ut sui operis beneficio inani idolo fides detur. Quid certe tam impium, tam ingratum, quàm à deo beneficium consequi, & reddere lignis ac lapidibus gratiam? Propter quod expergiscimini, & intelligite salutem uestram, deus enim nullius indiget, neque aliquid requirit, nec; in aliquo lædítur, sed nos sumus qui aut iuuamur, aut lædimur in eo quo grati, aut ingrati sumus. Nam deo quid confertur ex laudibus nostris? aut quid aufertur ex blasphemijs? nisi quod deus animam sibi gratias agentem, proximam sibi & familiarem facit, ingratam uero, malus possidet dęmon. Sed & illud

Euisse ergo Christianis legē hāc præcipuā, testatur Aelius Lamp. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris.

Quis consiliarius eius fuit.

Rom. 11.

Deus malorum non est autor.

& illud scire uos uolo, quod aduersum huiusmodi animas, non ipse deus per se ultionem profert, sed uniuersa creatura eius insurgit, & pœnas de impijs sumit: & quamuis in præsenti seculo dei bonitas æqualiter pijs & impijs, mūdi lucem ac terræ ministeria largiatur, tamen non absq; dolore sui lucem sol impijs præbet, cæteraq; elementa exhibent seruitutem. Denicq; interdum etiam cōtra bonitatem conditoris, fatigata sceleribus impiorū uincuntur elementa: & inde est quod aut terræ fructus corrumpitur, aut ærís temperies temeratur, aut supra modū ardor solis incenditur, uel imbrium, ac frigorū uis immensa diffunditur. Inde lues & fames, & mortis facies diuersa percurrit, festinat enim creatura in impios mouere uindictā. Dei tamen bonitas reprimit ea, & ab indignatione impiorū refrenat, ac suæ misericordię obedire cogit, magis quàm peccatis hominū & sceleribus inflammari: expectat enim patientia dei, dum in hoc corpore sunt, hominū conuersionem. Quod si qui ad exitum uitæ in impietate perstiterint, tum iam discedens anima quæ immortalis est, pro impietatis suæ perseuerantia luet pœnas. Immortales nanq; sunt etiam impiorū animæ, quas ipsi fortasse uelint pariter cum corporibus suis finiri: sed non ita est, perfert enim ignis æterni sine fine supplicia, & ad perniciem sui naturam nō habet moriendi. Sed fortasse dicetis mihi, terres nos Petre. Et quomodo uobis dicemus quæ in re sunt? nunquid tacentes adnunciare possumus ueritatem? quæ sunt, aliter quàm sunt proferre nescimus. Quod si taceamus, causam uobis pernitiosæ ignorantiæ nos dabimus, & satisfaciemus latenti intra uos, & obsidenti sensus uestros serpenti, qui hæc uobis callide suggerit, ut semper uos inimicos faciat deo. Sed nos ad hoc missi sumus, ut prodamus uobis latebras eius, & absoluētes inimicitias, reconciliemus uos deo, ut ad ipsum cōuertamini, & placeatis ei in operibus bonis. Inimicitiæ nanq; sunt homini ad deum, irrationabilis & impius sensus, prauumq; propositum, maxime cum uidetur sibi scire aliquid, & est in ignorantia. Vbi autem abiectis his, eadē uobis placere cœperint, quæ deo placent, & eadem displicere uobis, atq; ea cœperitis uelle, quæ uult deus, tunc uere amici eius dicemini. Sed fortassis aliqui ex uobis dicent: nihil curæ est deo de rebus humanis, & cuius ne ad notitiā quidē possumus peruenire, quomodo ad amicitias perueniemus? Quod deus curam gerat humanarū rerum, ipsius mundi gubernatio testis est, cui sol quotidie deseruit, cui imbres ministrant, cui fontes, flumina, uentiq;, & omnia famulantur elementa, quæ quanto potiora ab hominibus uidentur, tanto curam dei esse erga homines indicant. Nisi enim potestate excelsi, nunquā potiora inferioribus ministrarent: & per hoc non solum curam deus erga homines, sed & grandem quendam habere docetur affectū, quorum ministerio tam præclara mancipauit elementa. Quod autem etiā ad amicitias dei perueniant homines, exemplo nobis sunt hi quorū precibus tantum indulsit, ut clauderet imbribus cœlum cum uellent, & rursum cum peterent, relaxaret: & multa alia uoluntatem suam facientibus, præstitit, quæ nō nisi amicissimis præstarentur. Sed díces, quid enim lædítur deus si & ista colantur à nobis? Si quis uestrūm honorē patri debitū, à quo plurima beneficia consequutus est, alij deferat, & alienū atq; extraneū quasi patrem colat, non tibi uidetur impius existere in patrē, & exhæredatione dignissimus? Alij dicunt, impiū est si non colamus ea quæ nobis tradita sunt à patribus nostris, & religionē præuaricamur à maioribus datam. Hac ratione si cuius pater latro fuit, aut si cuius leno, à patribus sibi traditam consuetudinē mutare non debet, nec ad meliorē uiam à paternis erroribus reuocari: & impiū ducítur, si quis non cū parentibus peccet, aut cum ipsis impius perseueret. Alij dicunt, nō debemus molesti esse deo, & ipsum semper aut miserijs querelis, aut petitionū nostrarū necessitatibus onerare. Quàm stulta & absq; omni sale responsio: molestum deo putas, si ei pro beneficijs suis gratias agas? cui molestū non putas, si pro ipsius muneribus, lignis & lapidibus gratias re-

Creaturæ se ab impijs ulciscuntur.

Episcopis non est tacendum.

Amicitiam cum deo quomodo adipiscamur.

Dictum est hoc de Helia, de quo 3. Regum.

Maiorū institua ta sunt imitanda, si Christo nō repugnent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

feras? Et quomodo, cum fortè imber longa serenitate suspenditur, omnes ad cœlũ oculos tendimus, & ab omnipotente deo pluuiarũ munera flagitamus, omnesq; cum paruulis ad deũ fusis precibus, miserationes ipsius exoramus? Sed reuera ingratæ animæ cum impetrauerint, citò obliuiscunt: collectis enim messibus aut uindemijs, cõtinuò ad surda & muta simulacra primitias frugũ deferũt, & pro his quæ deus concessit, in templis aut lucis uota persoluunt, & ibi sacrificia dæmonijs offerunt, atq; accepta gratia, permutant gratiæ largitorem. Sed quidã dicunt, hæc lætitiæ gratia, & ad releuandos animos instituta, & ad hoc inuenta, ut humana mens aliquantulũ curis & mœroribus relaxetur. Videte quomodo ipsi accusatores estis eorum quę geritis. Si hæc leuandi mœroris & lætitiæ capiendæ causa reperta sunt, quomodo in lucis & syluis inuocationes dæmonũ fiunt? quomodo insani rotatus hominũ, sectionesq; membrorũ, & abscisiones uerendorũ? quomodo in his furor rabidus concipitur? quomodo inuitatur insania? quomodo mulieres sparsis crinibus furibundæ iactantur? unde stridor & fremitus dentium? unde mugitus cordis & uiscerũ, & omnia illa quæ uel simulata, uel etiam ministerio dæmonũ compagi nata, ad terrorem stultorũ, & ignorantium hominũ proferuntur? hæc leuandi animi gratia fiunt, an potius opprimendi? Nõdum sentitis neq; intelligitis, latentis intra uos serpentis hæc esse consilia? qui uos per inrationabiles errorũ suggestiones, à ratione ueritatis abducit, ut uos libidinis & concupiscentiæ, ac totius dedecoris seruos teneat ac ministros. Sed ego clara uos omnes prædicationis uoce contestor, quod è contrario religio dei ad sobrietatẽ uos reuocat & pudicitiam, à luxuria ac furore iubet esse continentes, & per patientiã ac mansuetudinẽ, resecare lapsus iracundiæ, propriis esse contentos, & uirtute parsimonię, ne egestate quidem compulsos aliena diripere, sed in omnibus seruare iustitiam: ab idolorum uos immolatione penitus remouere: per hæc enim inuitatis dæmones ad uosmetipsos, & introeundi eis aditum sponte præbetis, & ex hoc iam uel furoris causas, uel inliciti amoris accipitis. Hinc omnis impietatis origo descendit, hinc homicidia, adulteria, furta, & seminariũ malorum omniũ flagitiorumq; concipitur, dum profanis libaminibus & odoribus indulgetis, ac locũ dominandi in uos, & ius quodãmodo obtinendi malignis spiritibus datis. Ingressi enim sensus uestros, quid nisi quæ libidinis, quæ iniustitiæ, quæ crudelitatis sunt operentur, & ad omnia uos quibus ipsi delectantur, subigant obedire? permittente reuera hoc deo pati uos ab eis iusto quodã iudicio, ut ex ipso dedecore actuum sensuumq; uestrorũ, intelligatis quàm indignũ sit dæmonibus, & non deo esse subiectos. Hinc & ad indecoros & fœdos actus per amicitias dæmonũ peruenitur. Hinc usq; ad ipsius uitę perniciem, uel per flammã libidinis accenditur, uel per iracundiæ rabiem, aut nimietatem tristitiæ peruenitur, ut sæpe notum est, etiã manus sibi intulisse nõnullos: quod, ut diximus, iusta quadam dei sententia fieri ab his non prohibetur, ut & quibus se subdiderint intelligant, & quem deseruerint recognoscant. Sed dicet aliquis, passiones istæ interdũ accidunt etiam his qui deum colunt. Non est uerũ: etenim nos illum dei dicamus esse cultorem, qui uoluntatẽ dei facit, & legis præcepta custodit. Apud deum enim, non ille qui apud homines Iudęus dicitur, Iudæus est: neq; qui gentilis uocatur, ille gentilis est, sed qui deo credens legem impleuerit, ac uoluntatẽ eius fecerit, etiamsi non sit circuncisus. Verus dei cultor est is, qui non solũ ipse à passionibus liber est, uerum & alios ab eis liberos reddit, etiamsi sint ita graues, ut montibus coæquentur: per fidem qua credit deo, transfert eas: sed & mõtes uerè cũ arboribus suis, si necesse sit, per fidẽ transfert. Qui autem uidetur quidẽ colere deum, sed neq; fide plena, neq; operibus mandatorũ munitur, sed est peccator, pro peccatis locum dedit in semetipso passionibus, quæ ad pœnam peccantium cõstitutæ sunt à deo, ut ab eis per inlata supplicia, exigant debita peccatorũ, & purgatiores eos ad iudiciũ illud omniũ generale

Festi dies gentilium.

Vera religio dei in quibus sita.

Rom. 2.

generale perducant, si tamen castigationem eorum non deserat fides. Nam infidelium castigatio in præsenti uita indicium est, quo alieni existere incipiunt à futuris bonis: deum uero colentium castigatio, cum pro peccatis quæ acciderint eis infertur, cõmissi ab eis exigit debitum: ut præuenientes iudicium, in præsenti seculo peccati debitum soluant, & liberentur uel ex parte media ab æternis, quæ illic præparatæ sunt, pœnis. Sed hæc ita esse non recipit, qui non credit futurũ esse iudicium dei, & ob hoc præsentis seculi uoluptatibus obligatus, ab æternis excluditur bonis. Et ideo nos non negligimus prædicare uobis, quæ saluti uestræ scimus esse necessaria, & qui sit uerus dei cultus ostendere, ut credentes deo, per opera bona possitis unà nobiscum futuri seculi hæredes existere. Quod si nondũ apud uos certum est, uera esse quæ dicimus, interim pro hoc primo non debetis ægre accipere & infesti esse, quia quæ putamus bona, hæc uobis adnunciamus, & quod uobis salutare esse credimus, hoc etiam uobis conferre non inuidemus, omni, ut dixi, studio laborantes, quo cohæredes uos bonorum, quæ ipsi nobis euentura credimus, habeamus. Vtrum autem pro certo uera sint quæ adnunciamus uobis, non aliter scire poteritis, nisi ut obedientes his quæ mandantur, ipso rerum exitu, & beatitudinis certissimo fine doceamini. Et ideo etiamsi latens intrinsecus serpens, sensus uestros mille deprauandi artibus occupet, & impedimenta mille subijciat, quibus à salutari doctrina uestrũ declinet auditũ, eo magis obsistere ei debetis, & spretis eius suggestionibus ad audiendum à nobis uerbum, suscipiendamq; doctrinam frequentius conuenire, quia nemo potest discere aliquid qui non docetur. Cumq; hæc dixisset, iussit sibi eos qui languoribus, uel dæmonibus urgebantur, offerri, & imposuit eis manus cum oratione, atq; ita turbas dimisit, admonens, ut ad audiendum uerbũ, diebus quibus inibidem moraturus esset, frequentarent. Ideo ubi turbæ abscessere, Petrus aquis quæ in horto fluebant corpus diluens, unà cũ cęteris uolentibus, humisterni iussit sub arbore quadã, cuius umbra erat plurima, & recumbere nos secundum ordinem apud Cæsaream statutum præcepit. Atq; ita cibo sumpto, Hebręorum ritu gratias agens deo, quia adhuc aliquantulũ diei supererat, iubet nos de quibus uelimus percõtari. Cumq; essemus omnes cũ eo uiginti, unicuiq; de quo quærere uoluit explanauit, quorũ singula quæq; libellis cõprehensa tibi ante iam misi. Vespere autem iam facto ingressi hospitiũ cum ipso, suis quisq; locis requieuimus.

Infidelitũ damnatio in hoc seculo.

Libelli isti non extant.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER SEXTVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.



BI uero rarescentibus tenebris primum dies cœpit proferre crepusculum, Petrus orationis gratia hortũ ingressus, exinde egrediens atq; ingrediẽs, uelut excusare nobis uidebatur, quod tardius solito euigilans uenisset ad nos. Aiebat ergo: Vbi ueris tẽpus longiorẽ fecerit diem, necesse est ut nox breuior fiat: si quis ergo studiorum causa noctis aliquid occupare desiderat, non in omni tempore easdem horas obseruare debet ad uigilandum, sed eadẽ temporis spatia, siue breuior, siue longior sit nox, dormiendo cõsumere, & curare magnopere, ne præsumens ex his spatijs quæ habere ad studendũ solet, addat somno, & uigilandi tempus imminuat. Obseruandũ nanq; & illud est, ne fortè si nondũ decoctis cibis interrumpant somni, indigestũ corpus adgrauet mentẽ, & crudos adhuc exhalans spiritus, interiorem sensum cõfusum reddat ac turbidum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concio Petri.

Rectũ ergo est, ut cõpetenti etiam pars ista quiete foueatur, quo possit sufficienter his, quæ sibi debentur, corpus expletis, iustum in reliquis menti exhibere ministeriũ. Et cum hæc dixisset, plurimis iam cõsueto in horti loco ad audiendũ congregatis, processit Petrus, & salutatis ex more turbis, dicere hoc modo cœpit. Quoniam quidẽ sicut terra cultore neglecta, spinas & tribulos necessariò producit: ita sensus uester longi temporis incuria, multas & noxias opiniones rerũ, & intelligentias fal

Euangeliũ colonus cordis nostri est.

sæ scientiæ germinauit. Opus est nunc multa diligentia ad excolendũ rus mentis uestræ, ut id sermo ueritatis, qui est uerus & diligens cordis colonus, adsiduis excolat disciplinis. Vestrûm ergo est præbere ei obedientiã, & occupationes ac solicitudines superfluas amputare, ne bonũ uerbi semen enecet noxiũ germen. Potest enim fieri, ut multi temporis negligentiã, breuis & adsidua reparet diligentia: incertum nanq; est uniuscuiusq; uitę tẽpus, & ideo festinandũ est ad salutẽ, ne fortè cunctantem mors repentina præueniat. Et ob hoc acrius intendendũ est, ut dum est temporis spatiũ, collecta malæ cõsuetudinis uitia resecentur. Quod non aliter facere poteritis, nisi ut irascamini quodammodo aduersum uosmetipsos, pro his quæ inutiliter gessistis ac turpiter. Hæc enim est iusta & necessaria iracũdia, qua unusquisq; in his quibus errauit & pererã gessit, indignaf, & semetipsum incusat: ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidã, qui uelut agro sterili immissus, cõsumptis & excoctis radicibus pessimæ uoluptatis, bono semini uerbi dei fœcundiorem cordis præparat glebam. Puto autẽ quod satis dignas habeatis causas iracundię, ex quibus iustissimus ignis iste coalescat, si cõsideretis in quantos uos errores deduxit ignorantiæ malũ, quãtosq; lapsus, & quanta præcipitia ad peccandũ dedit, à quantis uos bonis abstraxit, & in quæ præcipitauit mala, & quod est super omnia grauius, quod uos in futuro seculo æternis pœnis obnoxios fecit. Nónne pro his omnibus, ubi uobis ueritatis lumen obfulsit, ignis iustissimæ indignationis accenditur, & iracundiæ deo placitæ intra uos cõsurgit incendiũ? quo consumatur, & radicitus intereat omne germen, si quod fortè intra uos malę cõcupiscentiæ pullulauit. Vnde & ipse qui misit nos, cum uenisset, & omnẽ mundũ uidisset ad malitiã declinasse, nõ continuò pacẽ ei in erroribus posito dedit, ne eum cõfirmaret in malis, sed ignorantiæ eius ruinis scientiam ueritatis opposuit, ut si fortè resipiscerent, & lumen ueritatis aspicerẽt, deceptos se, & in præcipitia erroris abstractos meritò dolerent, & iracundiæ salutaris ignem aduersum deceptricẽ sui cõciperent ignorantiã. Ob hoc itaq; docebat: Ignem ueni mittere in terram, & quem uolo ut accendatur. Est ergo pugna

Vita militia est.

quędam, quæ gerenda nobis est in hac uita: sermo enim ueritatis & scientię, necessariò separat homines ab errore & ignorãtia, sicut sæpe uidimus putrefactas & emortuas corporis carnes, à cõnexione uiuentiũ membrorũ ferro secante separari. Tale ergo aliquid est quod agit ueritatis agnitio: necesse est enim, ut salutis causa filius, uerbi gratia, qui sermonẽ receperit ueritatis, à parentibus separetur incredulis: aut rursum, pater separetur à filio, aut filia à matre. Et hoc modo inter propinquos & cõsanguineos credentes, atq; incredulos, scientiæ & ignorantiæ, ueritatisq; & erro-

Matth. 10.

ris pugna cõsurgit. Et ob hoc iterum dicebat qui nos misit: Non ueni pacem mittere in terram, sed gladiũ. Quod si dicit aliquis, & quomodo iustum uidetẽ separari à parentibus? Audi quomodo: quia si cum ipsis in errore permaneant, nec; illis proderunt, & ipsi cum illis pariter interibunt. Iustũ igitur & ualde iustum est, separari eum qui saluari uult, ab eo qui non uult. Sed & illud aduerte, quia non ex illis qui rectius intelligunt, uenit ista separatio, illi enim uolunt esse, pariter & prodesse eis, & docere meliora: sed est istud propriũ ignorantiæ uitiũ, ut confutantem se ueritatis lucem nõ ferat habere de proximo, & ideo ex illis ista nascitẽ separatio. Nam qui scientiã ueritatis accipiunt, quia bonitatis plena est, tanquã à bono deo datam, cupiunt eam, si fieri potest, cũ omnibus habere cõmunem, etiã cum his qui oderũt eos

Gladius euangelij.

& per-

& persequunt: sciunt enim, quia peccati ipsorũ causa ignorantia est. Propterea deniq; ipse magister cum ab his qui ignorabant eum, duceretur ad crucem, orabat patrem pro interfectoribus suis, & dicebat: Pater remitte eis peccatum, nesciunt enim quid faciunt. Imitantes quoq; discipuli magistrũ, etiã ipsi cum paterentur, similiter pro infectoribus suis orabant. Quod si disciplina nobis est, orare etiã pro interfectoribus, & persequutoribus nostris, quomodo nõ etiam parentũ & propinquorum persequutiones ferre, & pro cõuersione eorũ orare debemus? Tum deinde etiam illud diligentius cõsideremus, quæ sit nobis causa parẽtes diligendi. Pro eo, inquit, quod uitæ nostræ uidentur autores. Autores quidẽ uitæ nostræ parentes nõ sunt, sed ministri: non enim uitam præbent, sed ingrediendi nobis ad hanc uitam exhibent ministeriũ: autor autem uitæ, unus & solus est deus. Si ergo autorem uitę diligere uoluerimus, illum nobis sciamus esse diligendũ. Sed illum, inquit, cognoscere nõ potuimus, istos autẽ & nouimus, & in affectu habemus. Esto, non potueris cognoscere quid sit deus, quid tamen non sit deus, perfacile scire potuisti. Nam quomodo latẽre potuit hominẽ quod lignũ, aut lapis, aut æs, uel alia huiusmodi materia, deus nõ sit? Quod si in his quę facile deprehẽdere potuistis, animũ ad discutiendum noluistis intendere, certũ est quia in agnitione dei impediti estis, non impossibilitatis, sed ignauiæ uitio: nam si uoluissetis, ex his ipsis inutilibus simulacris, profecto accepissetis intelligẽtiæ uiam. Certũ est enim quia per ferrũ facta sunt simulacra, ferrum uero per ignẽ confectũ est, qui ignis aqua extinguitur, aqua autem per spiritũ mouetur, spiritus autem à deo initium habet. Sic enim dicit Moyses prophetæ: In principio fecit deus cœlũ & terram, terra autem erat inuisibilis & incõposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus dei erat super aquas, qui spiritus iussu dei, quasi ipsa cõditoris manu, lucem separauit à tenebris, & post illud inuisibile cœlum, istud uisibile produxit, ut superiora quidẽ habitaculũ faceret angelis, inferiora uero hominibus. Propter te ergo dei iussu, aqua quæ erat super faciem terræ secessit, ut terra tibi produceret fructus: cui etiam humorũ uenas latenter inseruit, ut tibi ex ea proflurent fontes, & flumina. Propter te producere iussa est animantia, & omnia quæ tuo usui uoluntatiq; seruirent. Aut non propter te uenti spirant, ut ex ipsis cõcipiens fructus tibi terra parturiat? Non propter te imbres profluunt, & tẽpora uicissitudines mutant? Nõ propter te sol oritur, & occidit, & mutationes luna perpetitur? Propter te mare exhibet famulatũ suum, ut tibi ingrato cuncta subiaceant. Nónne pro his omnibus ista erit ultionis pœna, quia horũ omnium largitorẽ, quem ante omnia & agnoscere & uenerari debuistis, solũ præ cæteris ignorastis? Sed & nunc eisdem uos ad intelligentiã uijs duco: uidetis etenim quod omnia gignuntur ex aquis, aqua uero per unigenitum ex initio facta est, unigeniti uero omnipotens deus caput est, per quem tali ordine, quo suprà diximus, peruenit ad patrẽ: cum autem peruenerit ad patrem, agnosces hanc esse uoluntatẽ eius, ut per aquas quæ primæ creatæ sunt, denuò renascaris. Qui enim regeneratus fuerit per aquã, bonis operibus adimpletis, hæres efficit eius à quo in incorruptione regeneratus est. Propter quod paratis animis accedite, quasi filij ad patrẽ, ut peccata uestra diluant, & causa eorũ sola ignorãtia fuisse probet apud deũ. Nam si post agnitionẽ horum permanetis in incredulitate, uobis iam perditionis uestræ causa, & nõ ignorantiæ reputabit. Nec putes quod etiamsi omnẽ pietatẽ colas, omnemq; iustitiam, baptismũ uero nõ accipias, spem possis habere apud deum: imò potius maiore pœna dignus erit, qui bona opera non bene operatur: confertur enim meritũ homini ex bonis gestis, sed si ita gerantur sicut deus iubet. Deus autem iussit omnem colentem se baptismo consignari: quod si tu reniteris, & tuæ uoluntati magis quàm dei obtemperas, contrarius sine dubio & inimicus es uoluntati eius. Sed dices fortasse, quid confert aquæ baptismus ad dei cultum? Primo quidem, quia quod

Luc. 23.

Hoc est quod opinor impulit Dionysium scribere de Theologia negatiua.

Gen. 1.

Propter hominẽ omnia creata sunt.

Baptismus necessarius.

Opera tum sunt bona si fiunt ita ut deus præcepit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deo placuit impletur: secundo, quia regenerato ex aquis, & deo renato, fragilitas prioris natiuitatis, quæ tibi per hominẽ facta est, amputatur, & ita demũ peruenire poteris ad salutẽ, aliter uero impossibile est. Sic enim nobis cũ sacramẽto uerus pro-
Ioan.3. pheta testatus est, dicens: Amen dico uobis, nisi quis denuò renatus fuerit ex aqua, nõ introibit in regna cœlorũ. Et ideo adcelerate, est enim in aquis istis misericordiæ uis quædã, quæ ex initio ferebat super eas, & agnoscit eos qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramẽti, & eripit eos de supplicijs futuris, quasi donum quoddam offerens deo, animas per baptismũ consecratas. Cõfugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim quæ possint uim futuri ignis extinguere; ad quas qui morã accedere, cõstat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere, & ab ipso prohiberi ad aquas quę salutẽ cõferunt, properare. Siue enim iustus sis, siue iniustus, baptismus tibi per omnia necessarius est. Iusto quidẽ, ut adimpleat in eo perfectio, & regenerat deo: iniusto uero, ut peccatorũ quę gessit in ignorantia remissio concedatur. Omnibus ergo festinandũ est sine mora renasci deo, quia incertus est uniuscuiusq; exitus uitæ. Cum autẽ regeneratus fueris per aquã ex operibus bonis, ostende in te similitudinẽ eius, qui te genuit patris. Agnouisti enim deũ, honora patrẽ: honor autẽ eius est, ut ita uiuas sicut ipse uult. Vult autẽ ita uiuere, ut homicidiũ, adulteriũ nescias, odiũ, auaritiã fugias, iram, superbiã, iactantiã respuas, & execreris inuidiã, cęteraq; his similia penitus à te ducas aliena. Est sanè propria quædã nostræ religionis obseruãtia, quæ nõ tam imponit hominibus, quàm proprie ab unoquoq; deum colente causa puritatis expetitur. Castimoniæ dico causa, cuius species multæ sunt, sed primo ut obseruet unusquisq;, ne menstruatę mulieri misceat, hoc enim execrabile du-
Leuit.18. cit lex dei. Quod etsi lex de his nõ admonuisset, nos ut cantari libenter uolueremur in stercore? Debemus amplius aliquid habere animalibus, utpote rationabiles homines, & cœlestiũ sensuũ capaces, quibus summi studij esse debet, ab omni inquinamẽto cordis conscientiã custodire. Bonũ est autẽ & puritati cõueniens, etiã corpus aqua diluere. Bonũ uero dico, nõ quasi principale illud in quo mens purificat, sed quod sequela sit illius boni hoc in quo caro diluit. Sic enim & magister noster quosdam pharisæorũ & scribarũ, qui uidebant esse cæteris meliores, & à uulgo separati, increpabat, dicẽs eos hypocritas, quia ea solũ quę hominibus uidebant purificabãt, corda uero quę solus deus aspicit, inquinata relinquebant & sordida. Ad quosdam
Matth.23. ergo ex ipsis non ad omnes dicebat: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis calicis & paropsidis quod deforis est, intus autẽ plena sunt sordibus. Pharisæe cæce, emũda prius quod intus est, & quod deforis est, erit mundũ. Vere enim si mens mundetur luce scientiæ, cum ipsa fuerit munda ac splendida, tunc etiã eius qui deforis est hominis, ipsa necessariò curam gerit, id est carnis suæ, ut & ipsa purificetur. Vbi autem ista quæ deforis est purificatio carnis negligitur, certum est ibi neq; de puritate mentis, ac munditia cordis curã geri. Ita ergo fit ut is quidẽ qui intrinsecus mundus est, mundetur sine dubio & extrinsecus. Non semper autẽ is qui mundatur extrinsecus, etiam intrinsecus mundus est, uidelicet cum agit hæc ut hominibus placeat. Sed & illa species castimoniæ obseruanda est, ut ne passim, & libidinis solius causa fœminis coëatur, sed posteritatis reparãdę gratia. Quę obseruantia cum in nõnullis etiã pecudibus inueniatur, pudoris est si nõ ab hominibus rationabilibus, & deũ colentibus obseruetur. In tantũ autẽ castimonia, uerũ dei cultum tenẽtibus, per has quas suprà diximus, aliasq; horũ similes species, cõseruanda est, ut etiã apud eos qui à diabolo adhuc in erroribus detinent, adtentius obseruet: est enim & apud illos nõnulla obseruantia castimoniæ. Quid ergo quod errãtes custodiebatis, hoc non obseruabitis emendati? Sed fortasse dicet aliquis uestrũ: Oportet ergo nos omnia quę fecimus dum coleremus idola custodire? Non omnia, sed quęcunq; bene fiebant, hæc etiam nunc cõuenit obseruari: quia si quid recte fit ab his, qui

Vetus exẽplar cãtari habebat, in alio non erat omnino, suspicor autẽ legendum canterij.

qui in errore sunt, certum est id à ueritate sumptũ. Quia & si quid in uera religione non recte fit, non est dubium quin ab errore mutuatũ sit: bonum nanq; etiamsi ab errantibus gestum fuerit, bonũ est: & malũ, etiamsi ab his qui ueritatem sequuntur gestũ fuerit, malum est. Aut nunquid ita desipiemus, ut si uideamus eum qui idola colit, esse sobriũ, nos qui deum colimus, sobrij esse recusemus, ne eadẽ facere quæ ille qui colit idola uideamur? Non ita est, sed sic nobis studiũ, ut si illi qui errant, homicidium non faciũt, nos ne irascamur quidem: & si illi adulteriũ non admittunt, not ne concupiscamus quidem alienam mulierem: si illi amant proximos suos, nos diligamus etiam inimicos nostros: si illi mutuò dant his qui habent unde reddant, nos etiam his demus à quibus recipere non speramus. Et per omnia nos qui æterni seculi hæreditatẽ speramus, debemus præcellere eos qui præsens tantum seculum norunt, scientes quia si opera illorũ nostris operibus cõlata, in die iudicij similia inueniantur ac paria, cõfusio nobis erit, quod æquales inuenimur in operibus, his qui propter ignorantiam condemnantur, & nullam spem futuri seculi habuerunt. Et uere digna confusio est, ubi nihil amplius gessimus ab his quibus amplius intellexi-mus. Quod si confusio nobis erit, æquales eis inueniri in operibus bonis, quid erit nobis si inferiores nos, ac deteriores examinatio futura reperiat? Audite ergo quomodo de his nos ipse uerus propheta docuerit: ad eos enim qui negligunt audire uerba sapientię, ita ait: Regina austri surget in iudicio cum generatione hac, & con- *Luc.11.*
demnabit eam, quia uenit à finibus terræ, audire sapientiã Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic, & non audiunt. Ad eos uero qui de malis actibus gerere pœnitentiam detrectabant, ita ait: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiã egerunt in prędicatione Ionæ, & ecce plus quàm Iona hic. Vides ergo quomodo eos qui erudiebantur ex lege, adductis ad exemplũ illis qui ex gentili ignorantia uenisebant, & ostendens eos nec illis æquales esse, qui in errore positi uidebantur, ex ipsa tantum cõparatione condemnat. Ex quibus omnibus sermo quẽ proposuimus adprobatur, ut castimonia, quæ aliquatenus etiã ab his, qui in errore sunt positi, custoditur, multo purius & adtentius per singulas quasq;, sicut suprà ostendimus, species à nobis, qui ueritatẽ sequimur, teneatur, eo magis quo apud nos obseruantię eius prędmia ęterna posita sunt. Hæc & his similia cum dixisset, turbas dimisit, & ex more cum familiaribus suis cibo sumpto, quieuit. Hoc autem modo per tres continuos menses, cum uerbum dei doceret, & plurimos conuerteret ad fidem, ad ultimum ieiunare me iussit, & post ieiunium in fontibus, qui contigui habentur mari, perennis aquę mihi baptismum dedit. Cumq; pro regenerationis gratia diuinitus mihi cõlata, feriati cum fratribus & laicis læti egissemus, Petrus eos qui ad præcedendum fuerant ordinati, proficisci Antiochiam iubet, atque ibi tres alios expectare menses: quibus profectis, ipse eos qui fidem domini plene receperant, deducens ad fontes, quos mari contiguos suprà diximus, baptizauit, & eucharistiam frangens cum eis, Maronem qui eum hospitio receperat, perfectum iam in omnibus, constituit eis episcopum, & duodecim cum eo presbyteros, simulq; diaconos ordinat. Instituit etiam ordinem uiduarum, atq; omni ecclesiæ ministeria disponit. Vniuersosq; admonet Maroni episcopo, in omnibus quę præciperet obedire, & ita cunctis competẽter dispositis, cum trium mensium tempus fuisset expletum, ualedicentes his qui erant apud Tripolim, Antiochiam proficiscimur.

Christiani quibus modis ethnicos uincere debeant.

Clemens baptizatur à Petro.

Ministeria ecclesiæ disposita à Petro.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER SEPTIMVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.



GRESSI tandem etiam Tripolim Phœnicis urbem, primam in Hortosiade, haud procul à Tripoli, facimus mansionem: ubi sequenti quoq; die remorati, quia omnes penè qui domino crediderant, dum diuelli à Petro nequeunt, illò usq; sequuti sunt: inde Antharadum uenimus. Sed quod multi nos comitarẽtur, ait Petrus ad Nicetam simul atq; Aquilam: Quoniamquidem plurimæ fratrum turbæ nobiscum sunt, & ingredientes singulas quasq; urbes, non parum inuidiæ contrahimus, uidetur mihi prouidendum, ut neq; ipsis ingratũ sit, si prohibeantur sequi, neq; nobis pompæ alicuius excitet malignus inuidiam. Censeo itaq; te Nicetam atq; Aquilam præcedere nos cum ipsis: ita, ut etiam uos in duas partes diuisam multitudinem ducatis, ut sparsim magis quàm sub una congregatione iter agentes, singulas quasq; introeamus gentiũ ciuitates. Scio autem quia triste uobis uidetur, quod uidemini à me, duorum saltem dierum spatio separari: credite mihi, quia qua mẽsura diligitis me, decuplo amplior mihi quoq; erga uos affectus est: sed si pro affectu, quem adinuicem gerimus, non faciamus quæ conuenientia & honesta sunt, inrationabilis huiusmodi amor uidebitur. Et ideo nequaquam titulo charitatis imminuto, quæ utilia uidentur ac necessaria procuremus, maxime cum nullus dies possit intercedere, quo non disputationibus meis interesse possitis. Per singulas enim quasq; nobiliores prouinciarum ciuitates, proposui, sicut etiam uos scitis, tres nos docendi gratia residere mẽses. Nũc ergo Laodiciam, quæ est urbs proxima, præcedite me, & ego post biduum aut triduum, quantum ad propositum meum spectat, insequar uos. Operimini autem me ad proximum portæ ciuitatis stabulum: & inde iterum similiter, cum dies ibi aliquot transegerimus, præcedetis me ad ulteriores ciuitates: & hoc uos facere per singulas cupio, declinandæ quantum in uobis est, inuidiæ gratia, & ut fratres qui nobiscum sunt, uestri prouidentia, per singulas ciuitates parata inuenientes hospitia, minus uagari uideantur. Hæc dicente Petro, necessariò adquiescunt, dicentes: Non ualde nos contristat hoc agere quæ à te iubemur, quia omnia & bene agere, & bene consulere, per Christi prouidentiam electus es: sed & una die, aut si multum biduo, quamuis grande sit, in hoc omni spatio non uidere dominum nostrum Petrum, tamen tolerabile est. Cõsideramus enim quid patiantur illi duodecim fratres nostri, qui præcedunt nos, & mensem penè integrum ex tribus mensibus, quibus per unamquanq; urbem resides, tanto bono auditus tui, uisionisq; fraudantur. Vt ergo iubes, quia recte omnia iubes, agere nõ morabimur. Et his dictis, præcessere, acceptis mandatis, ut extra urbem adloquerentur fratres qui secũ iter agebant, ne cõstipati & quasi cum tumultu, sed sparsim & in binos diuisi, ingrediantur ciuitates. Verum ubi illi profecti sunt, ego Clemens ualde gauisus sum, quod me secum esse fecit, & aio ad eum: Deo gratias ago, quod me non præmisisti cum alijs, nam tristitia interissem. Tum Petrus: Et quid fiet, inquit, si necessitas exegerit mittere aliquò doctrinæ gratia, separatus à me pro utilitate morieris? nec tibimetipsi imperabis ferre patiẽter quę necessitas imposuerit? Aut ignoras, quia amici semper simul sunt, & licet corporibus separentur, memoria tamẽ iunguntur? sicut è cõtrario nõnulli corporibus unà positi, animis diuidũtur. Et ego respõdi: nõ putes mi domine, hęc me inrationabiliter pati, sed certa & causa & ratio est, huius erga te affectus mei.

Cauet Petrus ne peregrinatio sua speciem ullam tumultus, id quod facile poterat fieri, præberet.

Te enim

Te enim solum pro omnibus meis affectibus habeo, pro patre, pro matre, pro fratribus: super hæc autem omnia est, quod mihi salutis causa, & agnoscendæ ueritatis tu solus existis. Sed & illud non mihi in postremo habetur loco, quod iuuenilis ætas quæ in me est, concupiscentiarũ insidijs subiacet, & uereor esse sine te, cuius solam præsentiam omnis luxuria, quamuis ratione careat, erubescit. Licet cõfidam de misericordia dei, quod etiam sensus meus, ex his quæ per doctrinam tuam concepit, aliud iam aliquid ad cogitationem recipere non possit. Præterea memini te apud Cæsareã dixisse, ut si quis uult me salua pietate comitari, comitetur. Salua autem pietate dicebas, ut neminem contristaret, cui secundum deum deberet adhęre re: uerbi gratia, ne uxorem fidelem relinqueret, uel parentes, uel alias huiuscemodi personas, à quibus ego ualde liber sum, & ideo aptus ad sequendum te, atq; utinam mihi concedas, ut tibi etiam serui ministeriũ exhibeam. Tum Petrus ad hęc ridens, ait: Et quid putas Clemens, quod nõ te ipsa necessitas mihi faciat seruũ? Nam quis mihi poterit alius sternere sindones, & stragula pulchra componere? Quis seruare anulos & indumenta, quæ assidue mutare debeam, præparabit? Quis etiã cocis imperabit, & diuersa atq; electa pulmenta prouidebit, quæ arte scitissima & uaria præparentur? & omnia illa quæ hominibus molliter institutis, imò potius cupiditati eorũ uelut immanissimæ cuidam bestiæ iniustis quęsita sumptibus cõuectantur. Sed fortasse quamuis mecum positus uideris, non agnoueris uitam meam: panis mihi solus cum oliuis, & raro etiam cum oleribus in usu est. Indumentũ autem hoc est mihi quod uides, tunica cum pallio: & hæc habens, aliud nihil requiro, hoc mihi sufficit, quia mens mea non ad hæc præsentia, sed ad illa quę æterna sunt aspicit, & ideo nihil me rerum præsentiũ, uisibiliumq; delectat. Vnde tuum quidẽ erga me bonum animũ amplector & miror, ac te magis laudo, quomodo cum sis uir, ex cõsuetudine multæ abundantiæ ueniens, tam citò transferre & aptare te potueris, ad hanc uitam nostrã, quæ solis necessarijs utitur. Nos enim à puero, id est, ego & frater germanus meus Andręas, nõ solũ orphani, sed & ualde pauperes creuimus, & necessitate operarij esse cõsueuimus. Vnde & nunc facile uexationes itinerũ ferimus: sed potius si mihi adquiesceres & permitteres, ego magis homo operarius, facilius tibi possem serui implere ministerium. At ego hæc audiens, contremui, & lachrymæ mihi continuò proruperunt, quod talem mihi sermonem dixerit uir tantus, quo omnis mundus habetur inferior. Tum ille lachrymantem me uidens, causam percontatur. Cui ego respondi: Quid tantum in te peccaui, ut me tali sermone onerares? Et Petrus: Si malũ est, inquit, quod dixi ut seruiam tibi, tu prior peccasti hoc mihi dicendo. Et ego: Non est, inquam, simile: me enim decet hoc tibi facere: tu autẽ qui dei summi præco ad saluandas animas hominũ missus es, graue est ut hoc mihi dicas. Et Petrus: Adquiescerem tibi, inquit, nisi dominus noster, qui ad salutẽ totius mundi uenit, & qui erat omni creatura nobilior, seruire passus esset, ut nos suaderet, non erubescere fratribus nostris seruorũ exhibere ministeriũ. Tum ego: Si puto quod possim te uincere, ualde stultus sum: ueruntamen ago gratias prouidentiæ dei, quod parentu ũloco habere te merui. Tum Petrus: Nemo enim, inquit, uere ex genere tibi superest? Respondi: sunt quidem multi potentes uiri ex Cęsaris prosapia uenientes: nam patri utpote propinquo suo, & unà educato, nobilis adæque familiæ Cęsar ipse iunxit uxorem, ex qua duos geminos ante me filios suscepit, non ualde, ut aiebat pater, sibi inuicẽ similes, ego enim eos non adeò sciebam. Sed ne matris quidem ualde memor sum, sed quasi per somniũ, ita tenuiter uultus eius specię recolo. Mater ergo mea Mattidia, pater Faustinianus uocitatus est: fratrum autem meorũ alter Faustinus, alter Faustus dicebatur. Interea cum ego quinq; uixdũ essem annorũ, mater sicut à patre didici somniũ uidit, quo moneret, nisi cum duobus filijs suis geminis, confestim urbẽ fuisset egressa, & abfuisset annis decem,

Tenuitas et parsimonia Petri.

Petri & Andreæ paupertas

Matth. 20.

Clementis prosapia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſam pariter cum liberis interitu exitiabili perituram. Tum pater, qui tenere diligeret filios, adiunctis ſeruis & ancillis, ac ſumptibus ſufficienter præbitis, naui impoſitos cum matre filios, Athenas mittit erudiendos, me ſibi ſolum filiũ ad ſolatium retinens, & in hoc quidem gratias agens, quia non etiam me imperauit ſomniũ pariter cum matre diſcedere. Anno autem completo, pater miſit ad eos Athenas homines & ſumptus, ſcire ſimul cupiens quid agant, nec tamẽ redeunt qui miſſi ſunt. Tertio rurſus anno, mœſtiſſimus pater mittit alios cum pecuniis, qui quarto anno regreſſi, nunciant neq; matrem ſe, neq; fratres uidiſſe, ſed neq; Athenas eos omnino peruenisſe, neq; uſquam alicuius ſaltem qui cum ipſis fuerant, ueſtigium repertum. Pater hæc audiens, & multa triſtitia obſtupefactus, neſciens quô tenderet, aut ubi quæreret, unà mecum deſcendit ad portum, & requirere à nautis cœpit ſic, ubi aliquis eorum uidiſſet aliquando ante quatuor annos corpus mulieris, cum duobus paruulis eiectum. Cum multi multa dicerẽt, nec aliquid nobis rati eluceſceret, tam immenſum pelagus perſcrutantibus, pro multo tamẽ affectu pater quem erga ſuos gerebat, paſcebatur uanis ſpebus, donec uiſum eſt ei, ut me ſub procuratoribus ordinatum Romæ relinqueret, annorũ cum eſſem duodecim, & ipſe pergeret ad requirendum; flens itaq; deſcendit ad portum, & nauem conſcendens profectus eſt: ex eo uſq; in hodiernum, neq; literas eius accepi, neq; ſi uiuat, aut defunctus ſit noui. Sed magis ſuſpicor, quia & ipſe obierit, aut triſtitia uictus, aut naufragio: anni etenim uiginti elapſi ſunt, quibus hæc geruntur, & ne nuncius quidẽ de eo ad me aliquis uenit. Petrus hæc audiẽs, ex affectu lachrymas fudit, & ad eos qui aderant familiares ait: Hæc ſi quis in dei cultu poſitus pertuliſſet, quæ huius pertulit pater, ſtatim homines religioni adſcriberent ęrumnarũ cauſam: quæ cum accidunt miſeris gentilibus, malorum cauſam fato adſcribũt. Miſeros autem dico eos, quia & hic uexantur erroribus, & ab ſpe futura fraudantur: dei enim cultores cum hęc patiuntur, ad purgationem peccatorũ cedit eis, quod perferunt patienter. Poſt hæc dicta, unus ex adſtantibus Petrũ rogare cœpit, ut die craſtina maturius ad inſulam proximã, quæ ſex non amplius ſtadijs aberat, Aradum nomine, pergeremus, uidendi in ea gratia mirum aliquod opus, columnas uitreas magnitudinis immenſæ: cui Petrus, ut erat clementiſſimus, adquieſcit, ſed monuit nos, ut cum nauẽ deſcendiſſemus, non unà omnes concurrere ad uidendum: nolo enim, inquit, notari uos à turba. Cum ergo die poſtera naui ſub momento horæ ueniſſemus ad inſulam, continuò ad locum in quo erant columnæ mirabiles properamus. Erant autem in æde quadam poſitę, in qua Phidię opera permagnifica habebantur, quibus intento unuſquiſq; noſtrũm detinebatur aſpectu. Petrus uero ubi ſolas columnas miratus eſt uitreas, nequaquã raptus picturæ gratia, egreſſus uidit pro foribus mulierculam quandam ſtipem ab introëuntibus depoſcentem, quam attentius conſiderans ait: Dic mulier, quod tibi membrũ corporis deeſt, quod huic te iniuriæ ſubieciſti, ut ſtipem petas, & non potius manibus tuis, quas à deo accepiſti, operans, cibum quæras? At illa ſuſpirans ait: Vtinam mihi quidem eſſent manus quæ moueri poſſent: nunc autem ſpecies tantum ſeruata eſt manuum, nam ipſæ ſunt emortuę, & meis morſibus debiles & ſine ſenſu redditæ. Et Petrus: Quę, inquit, fuit cauſa, ut hoc tibi tantum mali ipſa conferres? Ignauia, inquit, nec aliud quicquam: ſi enim fuiſſet in me aliquid uirtutis, potui uel præcipitio uti, uel profundo maris inijcere memetipſam, & finem dare doloribus meis. Tum Petrus: Ecquid putas, ait, mulier quod qui ſemetipſos perimunt, à ſupplicijs liberantur? niſi quia maioribus ſubiaceant pœnis animæ eorum, qui ſibijpſis intulerint manus. At illa: Vtinam, inquit, iſtud mihi certum fieret, quia uiuunt animæ in inferno, libenter amplecterer etiam pœnas ferre mortis inlatæ, tantum ut dulces mihi natos horam ſaltem unam uiderem. Et Petrus: Quid tantum iſtud eſt, quod te tam graui afficit triſtitia, ſcire uelim.

Religioni enim ſicut & hodie ꝓputata ſunt incõmoda, ſi quæ euenerant.

In uetuſtiſſimo codice legitur Aradũ, quæ lectio mihi probatur. Quamuis non ignorẽ, uel ex libro quinto Plinij poſſe & Anataradũ legi

Si enim

Si enim doceres me cauſam, poſſem tibi & ego euidenter oſtendere ô mulier, quod in inferno uiuant animæ: & pro præcipitio uel profundo, poſſem tibi dare medicamentum aliquod, ut ſine cruciatu ualeas uitam finire. Tũc mulier promiſſione hac gratanter accepta, cœpit dicere: Genus quidem mihi & patria quæ ſit, nec credi facile, nec dici neceſſariũ puto: ſed cauſam tantum ſufficit doloris exponere, cur morſibus meis, meas ipſa debiles reddiderim manus. Ego generoſis orta parentibus, & potentis adæque uiri ſortita matrimoniũ, duos ſuſcepi geminos liberos, & poſt hos unum alium. Sed frater uiri mei, inlicito in me amore uehementer exarſit: mihi autem cum ſuper omnia chara eſſet pudicitia, & neq; tanto ſceleri adquieſcere, neq; uiro uellem flagitiũ fratris aperire, cogitaui quatenus & ego impolluta euaderem, & fratrem inimicum & hoſtem non facerem fratri, ne genus omne, quod erat nobilis familiæ, in obprobriũ darem. Patria ergo & urbe, cum duobus meis geminis diſcedere ſtatui, donec inceſtus amor cõquieſceret, quem fortè preſentiæ meæ palparet & inflãmaret aſpectus. alius ſanè filius, quatenus patri maneret ad ſolatium cogitaui. Sed ut hæc ita fieri poſſent, ſomniũ finxi, quaſi adſiſtente mihi per uiſum quodam numine, & dicente, ut confeſtim cum geminis meis urbe diſcederem, & tandiu abeſſem, donec redire me ipſe pręciperet: quod ſi non facerem, cum liberis omnibus me pariter perituram. & ita factum eſt. Statim enim ut ſomniũ uiro enarraui, extimuit, & ſociatis mihi duobus filijs, ſeruis quoq; & ancillis, pecunia etiam abundanti data, nauigare Athenas iubet, ubi ſimul & erudire liberos poſſem, man ſura, inquit, ibi uſquequo uiſum fuerit ei qui præcepit exire, ut redeas ad nos. Interea nauigans unà cum meis natis, uentorum uiolẽtia ad hos infelix nocturno naufragio depulſa ſum locos, & cum omnes interiſſent, adreptam me crudelem, ſupra ſaxum quoddã uehementior fluctus eiecit: ubi cum ſederem ea ſola ſpe, qua meos poſſem fortè natos inuenire, in profundum me non præcipitaui, tunc cum adhuc perturbata anima, & doloribus ebria facere hoc & audebat & poterat. Verum ubi dies exortus eſt, & ego cum clamore & ululatu infelicium natorum circumſpicerem, ſicubi uel iecta poſſim uidere cadauera, miſeratione commoti quidam ex his qui me uiderant, primo per pelagus, tum etiam circa littora requirunt, ſi quem fortè de meis infantibus inuenirent. Sed ubi nuſquam ullus inuentus eſt, miſerantes me mulieres loci, conſolari cœperunt, enarrantes ſingulæ ſuas quæq; miſerias, ut ex ſimilitudine calamitatum ſolatium caperem: quod me magis contriſtabat: non enim tale mihi erat ingenium, ut aliorũ mala, mea eſſe ſolatia ducerem. Et cum me multæ hoſpitio cuperent recipere, una quædam paupercula hic habitans, extorſit mihi tugurio eius ſuccedere, dicens, fuiſſe ſibi uirum nautam, eumq; in mari adoleſcentem defunctum, ſibiq; ex eo die cum multi eam accipere in coniugium cuperent, amore uiri uiduitatẽ fuiſſe chariorem. Erunt ergo, inquit, nobis cõmunia, quę cunq; manibus noſtris operãtes, quęrere poterimus: & ne longa ac minus utili narratione utar, libenter habitaui cum ea, propter affectum fidei quam ſeruauerat uiro. Sed non multo pôſt, mihi infelici laceratæ dudum morſibus, reſolutæ ſunt manus, & illa quæ me ſuſceperat, incurrit paralyſin, & domi in lecto iacet. Illarum autem mulierum quæ prius miſerabantur, refrixit affectus: nos ambæ debiles, ego, ut uides, ſedeo ſtipem petens, & ſi quid fortè quæſiero, ſit unus duarum infelicium cibus. Ecce iam quę mea ſunt, ſufficienter audiſti: tu nũc, quid moraris implere quod promiſeras, & dare medicamentũ, quo poſſit abſq; cruciatu, ut ais, utraq; noſtrũm miſerabilis uitę ſortem finire? Hęc dicente muliere, multa Petrus cogitatione diſtractus, uelut attonitus ſtabat: & ego Clemens ſuperueniens, dudũ inquam, per omnia diſcurrens, quærebam te, & nunc quid facimus? At ille pręcepit mihi ut ad naui culam præcederem, ibi me, inquit, operire: & quia contradici ei non poterat, quod iuſſit impleui. Ipſe uero, ut mihi cuncta poſterius enarrauit, ſuſpicione quadã pul-

Exemplũ pudicitiæ in matre Clementis.

Athenæ.

Naufragiũ mulierculæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

satus, requirebat à muliere genus, & patriam simul, & nomina filiorũ, quæ si mihi inquit, dixeris, dabo continuò medicamentũ. At illa, quasi uim sustinens, quia nec̃ fateri hæc uolebat, & medicamenti cupida erat, finxit alia ex alijs, & ait se quidem esse Ephesiam, uirum autem Siculum: sed & filiorũ nomina, similiter immutauit. Tum Petrus, putans eam uerũ respondisse, ait: Heu mulier, putabam, inquit, grande aliquod gaudium hodierna nobis die oriturũ, suspicabar enim te esse quandam mulierem, de qua similia quædam nuper ad fidem didici. At illa adiurabat eum, dicens: Rogo te, ut indices mihi quæ ista sit, ut sciam, si est ulla inter mulieres me infelicior. Tum Petrus, fallere nescíens, & miseratione cõmotus, cœpit dicere: Est quidam adolescens inter eos, qui me sequuntur, religionis & sectæ gratia, Romanus ciuis, qui mihi enarrauit, quod patrẽ habuerit, & duos geminos fratres, ex quibus nullus ei supersit. Mater, inquit, mea, sicut à patre didici, somnium uidit, ut Romana urbe ad tempus excederet cum duobus geminis natis, ne fortè exitiali interitu deperierent: quę cum discessisset, nusquã terrarũ ultra comparuit. Pater uero suus, post hæc ad inquisitionem uxoris ac filiorũ profectus, nec ipse inuenitur. Hęc cum dixisset Petrus, mulier stupore percussa conruit. Tum Petrus cõtinere eam, & consolari cœpit, ac requirere quid esset causę, aut quid pateretur. At illa uix aliquando spiritum reuocans, ac semetipsam ad gaudij, quod sperabat, magnitudinem reparans, simulq; adfricans uultum, hic, inquit, est quem dicis adolescẽs? At Petrus, ubi rem intellexit: Dic, inquit, mihi tu prior, nã uidere eum non poteris. Tum illa: Ego inquit, sum adolescentis mater. Et Petrus: Quod ei nomẽ est? At illa, Clemens, ait. Petrus: Ipse est, & ipse erat, qui paulò ante mecum loquebatur, & quem iussi ad nauem præcedere. Tum illa, procidens ad pedes Petri, rogare cœpit, ut festinaret ad nauem. Et Petrus: Si mihi, inquit, seruas fidem, ut facias quod dico. At illa: Omnia, inquit, facio, tantum mihi, inquit, ostende unicũ meum natum, puto enim me per ipsum, & geminos meos uidere. Et Petrus: Cũ uideris, inquit, eum, modo interim dissimula paululum, usquequo egrediamur ab insula. Ita, inquit, faciam. Et tenens manũ eius Petrus, adducebat eam ad nauem. Quem ego uidens manum dantem mulieri, ridere cœpi, accedens tamen honoris eius gratia, pro ipso cœpi uelle subijcere manum meam, & sustentare mulierem: simul autem, ut manum eius contigi, ululatu ingenti reddito, in amplexus meos inruit, & maternis me cõsectari osculis cœpit. At ego ignorans omne negotium, quasi insanientem mulierem repellebam, simul &, cum uerecundia licet, indignabar tamen quodãmodo aduersum Petrum. At ille: Desine, inquit, quid agis ô fili Clemens, noli repellere tuam matrem. Ego uero, ubi hæc audiui, continuò lachrymis suffusus, concidi supra iacentem matrem, & osculari eam cœpi. Simul enim ut audiui, paulatim uultũ eius reuocabam ad memoriam, & notior mihi intuenti tanto magis fiebat. Multitudo interim conueniebat plurima, audiens quod mulier quę ad stipem petendam sedebat, recognita esset à filio suo, uiro quodam bono. Et cum uelimus cõfestim enauigare ex insula, mater ait ad me: Fili dulcissime, rectum est, ut ualedicã mulierculæ, quę me suscepit, est enim egens, & paralytica, iacẽs in lectulo. Quibus auditis Petrus, & omnes qui aderant, admirati sunt bonitatem, ac prudentiam fœminæ, & cõtinuò iussit Petrus abire quosdam, & deferre mulierem in lectulo, ubi iacebat. Cumq; fuisset adlata, & in medio turbæ adstantis posita, in conspectu omnium Petrus ait: Si ueritatis ego sum præco, ad confirmandã fidem horum omniũ qui adsistunt, ut sciant, & credant, quia unus est deus, qui cœlum fecit, ac terrã, in nomine Iesu Christi filij eius, surgat hæc mulier. Et statim, ut hæc dixisset, surrexit sana, & procidit ad pedes Petri, atq; amicam suam, ac familiarẽ osculis petẽs, percontabat ab ea, quid istud esset negotij. At illa breuiter omnem ei ordinem agnitionis exposuit, ita, ut etiam turbæ adstantes mirarentur. Tum Petrus: De fide dei ac religionis institutis, quod ad se pertinebat,

Petrus sanat paralyticam.

tinebat, in quantum tempus patiebatur, loquutus ad turbas, addit etiam hoc, ut si quis uellet de his diligentius noscere, Antiochiã ueniret, ubi tribus, inquit, mensibus statuimus residere, ut quæ ad salutem pertinent, discat. Si enim, inquit, negotiandi causa, aut militandi, patriam relinquũt homines, ac parẽtes, & longas peregrinationes subire non metuunt: pro uita æterna tribus saltem mensibus peregrinari, cur onerosum uideatur ac difficile? Cumq; hæc & alia his similia dixisset, ego mulieri quæ susceperat matrem, & sanitatẽ receperat per Petrum, mille drachmas donaui, & præsentibus cunctis, cõmendaui eam cuidam uiro bono, primario illius oppidi, qui & libenter se facturum, quod imperabamus spopondit. Sed & alijs qui busdam aliquantulum pecuniæ distribui, & illis mulieribus, quæ aliquando solatæ dicebantur in miserijs matrem meam, quibus & gratias retuli, & post hęc unà cum matre enauigabamus Antharadum. Cumq; uenissemus ad hospitium, mater requirere cœpit à me, quonam deuenisset pater. Cui ego: Ad te, inquam, requirendam profectus, ultra non rediit. At illa audiens, suspirauit tantũ, grande enim pro me gaudium habens, reliquos solabatur mœrores. Die autem postera sedens unà cum uxore Petri, iter agebat nobiscum, & uenimus Balaneas, ubi triduo remorati, inde adcessimus Patho, & post hoc Gabala, & sic Laodiciam peruenimus, ubi ante portas occurrunt nobis Niceta & Aquila, & osculantes nos abducunt in hospitiũ. Petrus autem uidens amplam ciuitatem & splendidam: Dignum est, inquit, remorari nos in hac diebus decem, aut etiam amplius. Tum Niceta cum Aquila requirebant à me, quæ esset mulier hæc ignota. Et ego respondi: mater mea est, quam mihi redonauit deus per dominũ meum Petrum. Hæc cum ego dixissem, cuncta eis Petrus per ordinem cœpit exponere, & ait: Cum uenissemus Aradum, & ego uos præcedere iussissem, profectis uobis eadem die Clemens, cum incidisset sermonis occasio, genus suum mihi exposuit ac familiam, & quod parentibus esset orbatus, duosq; habuisset priores se geminos fratres: & sicut mihi, inquit, pater enarrauit, somniũ uidit aliquando mater, quo iussa est cum geminis suis, ex urbe Roma proficisci, ne subitò & pariter interirent. Cumq; somnium patri indicasset, ille qui tenero filios diligeret affectu, ne quid fortè mali paterentur, uxorem pariter ac filios, naui cum omnibus necessarijs impositos, emittit Athenas erudiendos. Post hæc misit semel & iterum qui requirerent, nusquam ullius ne uestigium quidem reperit. Ipse ad ultimum pater ad inquirẽdum proficiscitur, & usq; ad præsens, ne ipse quidem usquam est. Hæc cum mihi Clemens enarrasset, accessit ad nos quidam, rogans, ut ad insulam Aradũ, quæ uicina erat, accederemus, uidendi gratia columnas uitreas miræ magnitudinis: adquieui, uentum est ad locum, cæteri omnes interiora ædis ingressi, mihi animus, nescio ob quã causam, ingrediundi ultra non dedit. Sed dum illos foris operior, mulierem hanc considerare cœpi, qua parte membrorum esset debilis, ut non labore manuum uictum quæreret, sed mendicitatis pudorem subiret: requiro ergo ab ea causas. Illa nobili se ortam genere, & nobili nihilominus uiro in matrimonio fuisse iunctam fatetur, cuius frater, inquit, in me inlicito amore inflammatus, fraternum thorum polluere cupiebat. Quod ego abhorrens, & rursum de tanto scelere uiro indicare non audens, & ne bellum fratribus, & obprobrium generi indicerem, magis ex patria discedere iudicaui, cum duobus geminis filijs meis, iuniore puero ad solatium patri relicto. Et ut hæc, inquit, honesta specie fierent, cogitaui somnium fingere, & dicere uiro, adstitisse mihi numen quoddam per uisum, & dixisse ut cum duobus geminis meis cõfestim ex urbe proficiscerer, usquequo ab ipso audirem, quãdo redire deberem. Quibus auditis, credidisse aiebat uirum, & Athenas se geminis cum liberis emisisse inibi erudiendis: sed tempestate graui ad hanc insulam fuisse depulsos, ubi confracta naui, se fluctu excussam supra saxum quoddam, ob hoc solum mortẽ distulisse, donec, inquit, infelicitũ nato

Quæ summa paulo plus cõficit q̃ 33. aureos Rhenenses.

Vxor Petri unà erat in peregrinatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum meorum saltem emortua membra cõplecterer, ac sepulturæ mandarem. Sed cum dies fuisset exortus, & turbæ conuenissent, miseratione moti proiecerunt mihi indumentũ. At ego infelix fletibus multis rogabam, ut requirerent, sicubi infelicium natorum possint inuenire corpuscula. Ego autem omne corpus meũ dentibus lanians, planctibus & ululatibus nihil aliud clamabam, nisi, Vbi mihi infelici Faustus est, ubi Faustinus? Et cum hæc diceret Petrus, Niceta & Aquila subitò adsurgunt, & stupefacti perturbari cœperunt, dicentes: Dominator domine & deus omnium, uerá ne hæc sunt, an somniũ est, quod agitur? Tum Petrus: Nisi, inquit, nos insani sumus, hęc uera sunt. At illi paululum remorati, & confricantes faciem, aiunt: Nos sumus Faustinus & Faustus. Sed & ab initio, cum narrare cœpisti, statim in suspicionem incidimus, ne forte ad nos pertinerent, quæ dicebantur: rursus tamen considerantes, multa similia accidere in uita hominum, reticuimus, licet cor nostrum spe aliqua pulsaretur: aspiciebamus ergo ad finem sermonis, ut si ad integrum de nobis esse constaret, tum fateremur. Et cum hæc dixissent, lachrymantes ingrediebantur ad matrem: cum reperissent quiescentem, & cõplecti uellent, prohibuit Petrus, dicens: Sinite me prius præparare animos matris, & ita uos afferre ei, ne forte multo & subito gaudio mente excidat, & sensus eius turbetur, maxime quia nunc etiam somno occupata stupet. Igitur ubi mater exurrexit è somno, adloqui eam Petrus cœpit, dicens: Scire te uolo mulier religionis nostrę obseruantiam. Nos unum colimus deum, qui fecit mundum, huius & legem seruamus, qua mandat in primis, ipsum colendum, & nomen eius uenerandũ, parentes honorandos, pudicitiam iustitiamq; seruandam. Sed & illud obseruamus, mensam cum gentilibus non habere cõmunem, nisi cum crediderint, & recepta ueritate baptizati fuerint, ac trina quadam beati nominis inuocatione consecrati, & tunc cum eis cibum sumimus. Alioquin etiã si pater aut mater sint, aut uxor, aut filij, aut fratres, nõ possumus cũ eis mensam habere cõmunem. Quia ergo religionis causa præcipua hoc facimus, non tibi iniuriosum uideatur, quod nõ potest filius tuus unà tecum sumere cibũ, usquequo eadem tibi sit, quæ illi sentẽtia fidei. Quibus illa auditis, Et quid, inquit, uetat hodie me baptizari? quæ etiam priusquam te uiderem, illos quos dicunt deos, penitus auersata sum, quod mihi frequenter & penè quotidie sacrificanti sibi, præstare potuerunt nihil. Nam de pudicitia quid dicam? cum me neq; tunc deliciæ deceperint, neq; nunc egestas peccare compulerit. Satis autem puto innotuisse tibi, quantus mihi exinde fuerit amor pudicitię, quę ut euaderem inliciti amoris insidias, somnium finxi, ut cum duobus meis geminis peregrinarer, & hunc solum filium meum Clementem, ad solatium patri reliqui. Si enim mihi duo uix sufficiebant, quanto magis cõtristasset patrem, si nullum penitus habuisset? Erat enim miser, grandi affectu erga filios, ita, ut uix ei somni autoritas extorqueret, Faustinũ & Faustum Clementis huius fratres, mihi concedere, & ipse solus contentus esset Clemente. Hęc illa cum diceret, ultra non ferentes fratres mei, inruunt in complexus matris, cum multis lachrymis, & osculantur eam. At illa, quid uult, inquit, hoc esse? Tum Petrus: Nolo turberis mulier, constans esto, isti sunt Faustinus & Faustus filij tui, quos in profundo periisse dicebas: quomodo autem uiuant, & quomodo in illa horribili nocte de profundo euaserint, & quemadmodũ alius ipsorũ Niceta, & alius Aquila dicatur, ipsi tibi exponere poterũt, & unà tecum etiam nos audiemus. Vbi hæc Petrus dixit, mater nimio gaudio intercepta corruit, & tandẽ aliquando reparata, atq; in semetipsam regressa, ait: Obsecro uos dulcissimi filij, dicite mihi, quæ acciderint uobis post illam feralem, & crudelissimã noctem. Tum Niceta cœpit dicere: In illa nocte ô mater, cum nauis fuisset resoluta, & nos innitentes fragmento cuidam tabularũ, per pelagus iactaremur, uiri quidam, quibus per profundum latrocinari artificium est, repertos imposuerũt nos nauiculæ suæ, & remis

Niceta et Aquila fratres Clemẽtis, antehac dicti sunt Faustinus & Faustus.

Mortuos enim legimus aliquot subito gaudio.

Fidei Christianæ compendiũ.

undarum

undarum uortices superantes, diuersis itineribus Cęsareã Stratonis perduxerunt, ibiq; adfligẽtes nos fame, uerberibus, metu, uti ne quod esset in uero proderemus: immutatis etiam nostris nominibus uendiderunt nos cuidam uiduæ, honestæ admodum fœminæ, lustæ nomine: quæ cum emisset, habuit loco filiorũ, ita, ut etiam græcis nos literis, & liberalibus adtentissime erudiret. Vbi uero adoleuimus, etiam philosophorũ studijs operam dedimus, quo possimus religionis diuinæ dogmata, philosophicis disputationibus adserentes, cõfutare gentiles. Simoni autem cuidam mago, qui nobiscum unà educatus est, pro amicitijs & puerili consuetudine adhęsimus, ita, ut penè ab eo decipi possemus. Fertur enim in religione nostra sermo de propheta quodam, cuius ab omnibus, qui religioni huic deseruiunt, speraretur aduentus, per quem immortalis & beata uita, credentibus danda promittitur. Hunc ergo nos putabamus Simonem. sed hæc tibi mater, opportunius exponẽtur. Nos interim cum penè iam deciperemur à Simone, quidam collega domini mei Petri, Zachæus nomine, monuit ne falleremur à mago, sed obtulit nos aduenienti Petro, ut ab ipso quæ erant sana & perfecta doceremur: quod & tibi optamus euenire, sicut & nobis concessit deus, ut possimus etiam cibũ, & mensam habere cõmunem. hinc ergo fuit mater, quod nos à piratis raptos, tu in mari defunctos esse credidisti. Cũ hæc dixisset Niceta, mater nostra procidit ad pedes Petri, rogans & obsecrans, ut & seipsam & hospitam suam euocaret sine mora, ac baptizaret, uti ne una, inquit, die damnum patiar consortij & societatis natorũ meorum. Similiter autem & nos filij eius rogabamus Petrũ. At ille: Quid putatis, inquit, quia ego immisericors sum solus, & nolo uos matris conuiuio sociari? sed necesse est eam uel una die ieiunare prius, & ita baptizari, & hoc quia sermonem ab ea quendã audiui, per quem mihi fides eius claruit, & qui indiciũ dedit credulitatis eius: alioqui multis eam diebus oportebat antè instrui & doceri. Et ego quæso te, inquam, domine mi Petre, dic quis est iste sermo, quem dicis dedisse tibi indicium fidei eius? Et Petrus: Ille sermo est, quo rogauit, ut & hospita sua, cuius beneficijs uicem reddere desiderat, simul baptizetur cum ipsa. Non autem rogaret, ut illi quam diligit præstaretur hæc gratia, nisi credidisset quod magnum aliquod in baptismate munus esset. Vnde & ego reprehendo plurimos, qui cum ipsi baptizentur & credant, nihil tamen dignũ fide agunt cum his quos diligunt, id est uxoribus, uel filijs, uel amicis, quos non ad hoc hortantur, quod ipsi adsequuti sunt, si quidẽ uere crediderint quod æterna uita per hoc donatur. Denicq; si eos ægrotare uideant, aut periculo alicui carnaliter subiacere, dolent & lugent, quia in hoc certi sunt eis imminere perniciem. Ita ergo, si & de hoc certi essent, quod qui deum non colunt, manet eos pœna ignis æterni, quando cessarent monentes & cohortantes? Aut si obsisterent, quomodo non lugerent eos & plangerent, certi ęterna eis imminere supplicia? Nunc ergo illam quidem mulierem euocabimus, postmodũ & uidebimus, si amat fidem religionis nostræ, & prout consequens fuerit agemus. Hæc autem quoniã fideliter sensit de baptismo, ieiunet uel una die ante baptismum. At illa cum iuramento satisfaciebat, præsente uxore domini mei Petri, quia ex quo recognouerit filium, præ multo gaudio cibum capere omnino nequiuerit, nisi hesterna die calicem aquę solum biberit. Testabatur autem & uxor Petri, dicens ita esse. Et Aquila ait: Quid ergo obstat, cur non baptizetur? Tum Petrus subridens: Sed non est, inquit, hoc ieiunium baptismi, quod nõ propter baptismum ieiunatum est. Et Niceta: Sed fortè, inquit, uolens deus matrem nostram nec una die agnitis nobis separari à consortio mensæ nostræ, prędordinauit hoc ut antè ieiunaret. Sicut enim pudicitiam seruauit in ignorantia, ut proficeret ei ad baptismi gratiam, ita ieiunauit antequam sciret ieiunij rationem, ut proficeret ei ad baptismum, & statim ab initio agnitionis nostrę nobiscũ pariter mensæ cõsortio frueretur. Tum Petrus: Non nos, inquit, uincat malignus,

Philosophiæ studia perdiscẽda sunt ad refutãdos hæreticos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ieiunĳ ante baptiſmum.

occaſione accepta per affectum matris: ſed magis uos & ego uobiſcum, hodie ieiu-
nemus cum ipſa, & craſtino baptizabitur: neq; enim iuſtum eſt ad gratiam perſonę
alicuius & amicitiæ, reſolui & extenuari præcepta ueritatis. Non ergo pigeat nos
magis laborare cum illa, quia omne mandatū præterire peccatum eſt. Doceamus
autē ſenſus noſtros corporales, qui extrinſecus ſunt, ſeruire interioribus ſenſibus:
& non interiores ſenſus, qui quæ dei ſunt ſapiunt, cogamus ſequi exteriores, qui
quæ carnis ſunt ſapiunt. Propter hoc enim & dominus mandatum dedit, dicens:
Matth. 5. Quicunq; uiderit mulierem ad concupiſcendā eam, iam mœchatus eſt eam in cor-
de ſuo. Et his addidit: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eū, & abĳce abs te:
expedit enim tibi ut unum membrorū tuorum pereat, quàm totum corpus tuum
mittatur in gehēnam ignis. Non dixit, ſcandalizauit te, ut poſteaquam peccaueris
tunc abĳcias cauſam peccati: ſed ſi ſcandalizat te, hoc eſt, ut antequam pecces, cauſam peccati prouocantis te & inritantis, abſcidas. Ne quis autem ueſtrūm putet fratres, quod membrorū amputationem mandauerit dominus: propoſitū in hoc uult reſecari, non membra, & cauſas quæ ad peccandum inliciunt, quo cogitatio noſtra aſpectus uehiculo ſubuecta, ad amorem dei ſenſibus corporeis inuiſa contendat.
Eruere oculum quid ſit. Nec carnalibus oculis, uelut laſciuientibus equis, & extra mandatorum uiam currum declinare cupientibus, relaxet frena, & habenas indulgeat: ſed reuocet aſpectum corporis ad arbitrium mentis, & oculos noſtros, quos deus operis ſui inſpectores eſſe uoluit & teſtes, non patiatur fieri lenones mali deſiderĳ. Et ideo cedant
legi dei, tam corporei ſenſus, quàm interna cogitatio, & illius uoluntati miniſtrent, cuius ſe opera eſſe intelligunt. Igitur ut ordo myſterĳ poſcebat & ratio, die poſtera
Poſt baptiſmū imbuitur Matidia religionis myſterĳs. baptizatur in mari, & regreſſa ad hoſpitium, omnibus conſequenter myſterĳs religionis imbuitur. Aderamus autē & nos filĳ ſui, Niceta & Aquila, & ego Clemēs. Et poſt hæc ſimul cum ea prandimus, & ſimul glorificauimus deū, referentes gratias ſtudĳs, & doctrinæ Petri, qui nobis oſtendit per occaſionem matris, quomodo pudicitię bonum non pereat apud deū: ſicut è contrario impudicitia, inquit, etiam ſi non ſtatim, tamē licet tarde, non effugit pœnam. In tantum autem pudicitia, inquit, deo placita eſt, ut etiam his qui in errore ſunt poſiti, nonnihil gratiæ in præſenti conferat uita. Nam futura beatitudo illis ſolum repoſita eſt, qui per gratiam baptiſmi pudicitiam iuſtitiamq; ſeruauerint. Denicq; exemplo eſt huic rei etiam hoc, quod erga matrem ueſtram geſtum eſt, cuius ſalus hęc omnis pro mercede pudicitiæ reparata eſt, ad quam cuſtodiendam & conſeruandam, non ſufficit ſola continentia, ſed ubi ſenſerit quis inſidias, & deceptionem parari, continuò ſicut ab ignis impetu, aut incurſu canis rabidi refugiat: nec cōfidat quod huiuſmodi inſidias poſſit facile aliquis philoſophando, aut palpando cohibere: ſed, ut dixi, effugiendū eſt, & longe abſcedendum, ſicut fecit & ueſtra mater, uere & integre bonum diligens pudicitiæ. Propter quod & cōſeruata uobis eſt, ac uos illi, inſuper autem & æternę uitę agnitione donata.

Cum hæc & multa alia his ſimilia dixiſſet, ueſpere facto, requieuimus.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER OCTAVVS, RVFINO Torano Aquileienſe interprete.

Lauant in mari priuſquam orarent diſcipuli.

POSTERA autem die Petrus mane adſumptis fratribus meis & me, deſcendit ad portum, ut in mari lauaremus, & poſt hoc ad locum quendam ſecretiorem ſeceſſimus, orationis gratia. Senex autem quidam pauper, & ut apparebat ex habitu, operarius, curioſe ex occulto obſeruare nos cœpit, ut uideret quid ageremus in ſecreto poſiti. Cumq; nos orantes uidiſſet, expectauit donec exiremus, & ſalutans nos, ait: Si non ægrè accipitis, & quaſi curioſum me, aut importunum notatis, uelim uobiſcum conferre ſermonem: quia habēs miſerationem ueſtri, ſub ſpecie ueritatis errare uos nollem, & habere metum de his, quę non ſunt: aut ſi putatis eſſe aliquid ueri, tradite etiam mihi. Si ergo patienter accipitis, poſſum uos paucis edocere, quæ recta ſunt: ſi uero moleſtum eſt, pergam, & meos actus agam. Cui Petrus reſpondit: Dic age, quod tibi uidetur bonum, & libenter accipimus, ſiue id uerum, ſiue etiam falſum ſit: amplectendus enim es, quia quod tibi bonum uidetur, tanquam pater pro filĳs ſolicitus, commonere uoluiſti. Tum ſenior cœpit dicere: In mari uos lauiſſe uidi, & poſt hoc ad ſecretum ſeceſſiſſe locum: obſeruans ergo de occulto, quid in ſecreto ageretis, orantes inſpexi: miſeratus igitur errorem ueſtrum, operiri cœpi, uſquequo egreſſos adloquerer, & docerem, ne erretis in huiuſmodi obſeruantia, quia neque deus eſt, neq; cultus hic aliquis eſt, neq; prouidentia in mundo, ſed fortuitus caſus,
Geneſis. & Geneſis agunt omnia, ſicut ego ex meipſo manifeſtiſſime comperi, in diſciplina Matheſeos præ cæteris eruditus. Nolite ergo errare, ſiue enim oretis, ſiue non oretis, quod Geneſis ueſtra continet, hoc erit uobis. Et ego Clemens, neſcio quid cor de pulſabar, multa quaſi nora mihi recolens in eo: bene enim ait quidā, quia quod ex aliquo natum eſt, etiam ſi multo tempore abfuerit, nūquam tamen ſcintilla propinquitatis extinguitur. Cœpi ergo interrogare ab eo, quis, & unde eſſet, uel quo modo ortus. At ille ad hæc reſpondere nolens: Quid, ait, hoc pertinet ad ea quę dixi uobis? Sed primo, ſi uidetur, ſermo de his quæ propoſuimus habeatur, & poſt hæc, ſi ita res popoſcerit, nomen, & genus, ac patriam, & cætera quæ hæc ſequuntur, inuicem nobis, ut amici amicis, poterimus aperire. Mirabamur tamen omnes eloquentiam uiri, & grauitatem morum, tranquillitatemq; ſermonis. Petrus autem ſenſim ſermocinando incedens, opportunum ad conloquendum proſpicit locum. Et cum peruidiſſet iuxta portum receſſum quendam ſecretum, reſidere nos
Petrus non deſpexit eos q̄ uel parū idonea ad ferrent. fecit, & ita primus ipſe incipit, nec contemptum ſenis habuit, neq; deſpexit, quod uilis ei amictus eſſet & ſordidus. Ait ergo: Quoniamquidem uideris mihi uir eruditus eſſe, & miſericors, ex eo quod adiſti nos, & quod tibi bonum uidebatur, celatum nobis eſſe noluiſti: uolumus & nos tibi quæ nobis bona & recta creduntur exponere, quæ ſi tibi minus uera uidebūtur, etiam tu noſtrum erga te bonum propoſitum, libenter ſuſcipe, ſicut & nos tuum. Et cum hęc diceret Petrus, plurima multitudo conuenit. Tum Senex: Fortaſſis, inquit, contriſtat uos præſentia multitudinis. Et Petrus: Nequaquam, inquit: niſi hoc ſolum uereor, ne forte diſputantibus nobis, cum palàm facta fuerit ueritas, tu uerecundiam patiaris, pro præſentia multitudinis cedere & adquieſcere his, quæ uera dici intellexeris. Ad hæc Senex ait: Ego non ita ſtultus conſenui, ut intelligens quod uerum eſt, abnuam id ad uulgi gratiam. Cœpit ergo Petrus dicere: Videntur mihi hi qui loquuntur uerbum ueritatis, & qui inluminant animas hominum, ſimiles eſſe radĳs ſolis, qui ut

Hæc opinor fuit cauſa cur uulgū eruditi à diſputationib. abeſſe uoluerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

processerint,&apparuerint mundo, celari ultra aut occultari nullatenus possunt, dum non tam uidentur ab hominibus, quàm uidere omnibus præstant. Vnde & bene à quodam dictum est ad ueritatis præcones: Vos estis lux mundi, & non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernã, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrũ, ut omnibus luceat qui in domo sunt. Et Senex: Bene ualde dixit, quisquis ille est. Sed exponat aliquis uestrũm, quod sibi sequendum uidetur, ut ad certum prospectum emittamus sermones nostros. Non enim sufficit ad inueniendam ueritatem destruere ea, quæ è diuerso dicunt, sed & ipsum proferre in medium, quod possit, qui è diuerso est, impugnare. Vt ergo partium sit æqua congressio, rectũ mihi uidetur, ut prius, quid uterq; nostrũm defendat, enunciet: & si placet, ipse primus incipiam. Ego dico, non secundum dei prouidentiam gubernari mundum, quia multa in eo iniuste & inordinate geri uidemus: sed Genesim dico esse, quæ omnia agit & continet. Ad hæc cum Petrus respondere uellet, Niceta præueniens, ait: Indulgeat mihi dominus meus Petrus ad hæc respondere, & non uideatur proteruum, quod iuuenis cum sene habear, sed ut filius cum patre conloquar. Et Senex: Non solum tu, inquit, fili quod tibi uidetur ut prosequaris uolo, sed & si qui ex sodalibus tuis, si qui etiam de adstãtibus uidẽ scire aliquid, incunctanter proferat, libenter accipimus: conlatio enim plurimorũ facilius ea quę ignorantur inueniet. Tum ergo Niceta respondit: Non me æstimes pater temere fecisse, quod inserui me sermonibus domini mei Petri, sed magis pro honore eius hoc mihi facere uisus sum. Homo enim dei est plenus totius scientiæ, quẽ ne Græca quidem latet eruditio, quia spiritu dei repletus est, quem nihil latet. Sed quia ipsi de cœlestibus loqui conuenit, ego de his quæ ad Græcorũ loquacitatem pertinent respondebo. Postea uero, quàm à nobis Græcorũ more fuerit disputatum, atq; ad id uentum, ubi exitus nullus appareat, tunc ipse quasi scientia repletus, aperte & dilucide rerum nobis omnium patefaciet ueritatem, ut non solum nos, sed & omnes qui præstò sunt auditores, uiam ueritatis agnoscant. Et ideo nunc ipse quasi arbiter sedeat, ut cum unus aliquis ex nobis cesserit, tunc ipse suscipiẽs, indubitatam sententiã ferat. Hæc cum dixisset Niceta, hi qui conuenerant, inter semetipsos conloquebãtur: Hic ne est ille quem audiebamus Petrus, illius qui in Iudæa apparuit, & signa ac uirtutes plurimas fecit, discipulus probatissimus? Et intendẽtes in eum, cum timore ac ueneratione ingenti stabant, tanquam boni serui honorem domino deferentes. Quod ubi Petrus sensit, ait ad eos: Attentius audiamus, rectum tenentes iudicium de his quæ dicentur ab utroq;, & post ipsorũ conflictum, quod necessariũ usum fuerit, addemus & nos. Et cum hæc dixisset Petrus, gauisæ sunt turbæ. Niceta uero dicere hoc modo adgressus est. Definisti pater, quod non per dei prouidentiã mundus regatur, sed omnia Genesi subiaceant, uel quæ ad mores uniuscuiusq;, uel quæ ad gesta pertinent. Ad quę statim quidem potui respondere, sed quia iustum est seruare ordinẽ, definimus & nos quid teneamus, sicut ipse fieri rogasti. Ego dico prouidentia dei gubernari mundũ, his duntaxat quę gubernatione eius indigent. Vnus est enim omnia tenens, qui & mundum fecit, iustus deus, unicuiq; secundũ gesta sua quãdoq; redditurus. Ecce habes & nostram definitionem, nunc quod uis prosequere, uel mea destruens, uel tua adserens, ut & ego his quę à te prosequent, occurrã. Aut si me uis priorẽ dicere, nõ morabor. Et Senex respondit: Siue tibi placet fili prius dicere, siue hoc magis placet ut ego dicam, nihil interest, apud eos præcipue, qui bona uenia disputant. Dic tamen tu prior, libenter accipio, atq; utinam possis etiam quæ à me dicenda sunt prosequi, atq; his quæ contraria sunt, obijcere, & ex utrorunq; conlatione ostendere ueritatem. Niceta respondit: Si uis, inquit, possum etiam tuas partes dicere, & ad hæc respondere. Et Senex: Ostende mihi prius, quomodo potes scire ea quæ nondũ loquutus sum? & ita tibi credam,

Matth. 5.

Epicureorum sunt hæc commenta.

Petri eruditio.

Petrus arbiter inter congredientes.

Adsertiones Nicetæ contra Senem.

credam, quod partes meas prosequi possis. Et Niceta: Secta, inquit, tua & sententia quam definisti, manifesta est his qui eruditi sunt in huiusmodi disciplinis, certaq; est eius consequentia. Et quia ego non sum ignarus quæ sint definitiones philosophorum, ex his quæ proposuisti, quid consequatur agnosco, maxime quia præ cæteris philosophis, Epicuri scholas frequentaui. Frater autẽ meus Aquila, magis Pyrrhonios sequutus est. Alius autem frater noster Platonicos & Aristotelicos: itaq; cum eruditis tibi auditoribus sermo est. Tum Senex: Bene, inquit, & consequenter docuisti, quomodo ex his quæ propositæ sunt definitionibus, etiam ea quę cõsequuntur aduerteres. Sed ego amplius aliquid professus sum, quàm sentit Epicurus, quia introduxi Genesim, eamq; causam omniũ gestorum hominibus posui. Cumq; hæc senex dixisset, ego Clemens aio ad eũ: Audi pater, si te frater meus Niceta obtinuerit, quia non sine dei prouidentia mundus agitur, in ista parte quæ superest de Genesi, ego tibi potero respondere, est enim mihi notitia huius scientiæ. Et cum hæc dixissem, frater meus Aquila: Quid necesse est, inquit, ut eum patrẽ uocemus, cum in mandatis habeamus, neminem super terram patrem uocare? Et post hæc respiciens ad senem: Non iniuriose, inquit, accipias pater, quod fratrem meum culpaui, quia te patrem uocaret: habemus enim tale mandatũ, ne aliquem nomine isto uocitemus. Cumq; hęc dixisset Aquila, risit omnium adstantium cœtus unà cum Sene, & Petro. Aquila autẽ requirente causam, cur omnes riserint, aio ad eum, quod tu in quo alios culpas, id ipse facis, qui senem appellaueris patrem. At ille negabat, dicẽs: Vere nescio si eum patrem uocaui. Interea Petrus mouebatur suspicionibus quibusdam, sicut ipse nobis enarrauit postmodum, & respiciens ad Nicetam, expedi, inquit, quod proposuisti. Tum Niceta hoc modo exorsus est: Omne quod est, aut simplex est, aut compositum. Quod simplex est, caret numero, diuisione, colore, differentia, asperitate, lenitate, pondere, leuitate, qualitate, quantitate, & ob hoc etiam fine. Quod uero compositum est, aut ex duobus, aut ex tribus, aut etiam ex quatuor compositum est, aut certe ex pluribus: & quæ composita sunt, necessariò etiam diuidi possunt. Et Senex audiens hæc: Optime, inquit, & doctissime dicis fili. Et Niceta: Igitur illud quod simplex est, & his omnibus caret, quibus solui quod subsistit, potest, sine dubio incomprehẽsibile & immensum est, neq; initium ullum neq; finem sciens, & ideo unum & solum est, & sine autore subsistẽs. Quod autem compositum est, & numero, ac diuersitati diuisioniq; subiacet, necessariò autore alio compositum est, atq; in unam speciem diuersitas congregata. Quod ergo immensum est, bonitate pater est, uirtute conditor. Neq; ergo condendi uirtus in immenso cessare potuit, neq; bonitas ociari, sed ad substituenda ea quæ sunt, bonitate, ad componenda & firmanda, uirtute prouocatur. Substituuntur ergo & componuntur quædam, ut diximus, ex duobus, uel ex tribus, quædã uero ex quatuor, alia ex pluribus. Sed quoniam nunc nobis de mundi ratione quæritur, & de substantia eius, quam ex quatuor elementis esse compositam constat, cui omnes illæ decem differentiæ, quas suprà comprehendimus accidunt, ab his inferioribus incipientes gradibus, ad superiora ueniemus. Via enim nobis ad intellectualia & inuisibilia, ab his quę uidemus & contrectamus datur, sicut continetur in Arithmeticis disciplinis, ubi cum de diuinis quæritur, ab inferioribus ad superiores numeros ascenditur. Cum uero de præsentibus & uisibilibus ratio exponitur, de superioribus ad inferiores numeros ordo dirigitur. Aut nõ ita est? Et Senex ait: Valde bene prosequeris. Et Niceta: De mundi nunc ergo ratione prosequendum est, cuius prima quæstio in duas partes diuiditur. Quæritur enim utrum factus sit, an non. & si quidem non est factus, ipse erit illud ingenitum ex quo omnia. Si uero factus est, de hoc rursus quæstio in duas partes scinditur: Vtrum nam ex seipso factus est, an ab alio. & si quidem à semetipso est, excluditur sine dubio prouidentia. Si prouidentia

Niceta Epicureus olim.

Pyrrhonius fuit Aquila, id est, Pyrrhonis asscla, qui delectũ rerum sustulit.

Matth. 23.

Simplex.

Compositum.

Immensum.

Per inferiora ad superiora peruenitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non recipitur, frustra animus ad uirtutē prouocaī, frustra iustitia custoditur, quippe si non est qui iusto pro meritis aliquando restituat. Sed ne anima quidē ipsa immortalis uidebitur, si eam post absolutionem corporis, nullius prouidentiæ excipiat dispensatio. Nam si doceatur esse prouidētia, & per ipsam factus esse mundus, alia rursus quę discutiantur occurrunt: requiretur enim quomodo sit prouidentia, utrum generaliter erga omnia, an specialiter erga partes, an & generaliter erga partes, an & generaliter erga omnia, & specialiter erga partes. Generalis autem intelligitur hoc modo, quasi ab initio deus faciens mundum, ordinem dederit rebus, & cursum statuerit, & ultra eorum curam quæ geruntur, habere cessauerit. Specialis uero erga partes, hoc modo est, ut quorūdam quidem uel hominum, uel locorum prouidentiam gerat, quorundam uero non gerat. Generalis autem omniū, & specialis partium simul, hoc modo est, quasi & ab initio omnia fecerit deus, & usq; ad finem per singulos quosq; prouidentiam gerat, & unicuiq; reddat pro actibus suis. Prima ergo illa propositio quæ dicit, quia ab initio deus fecerit omnia, & cursu atq; ordine rebus impositio, de reliquo nihil ad se reuocet, secundum Genesim geri cuncta confirmat. Ad hoc ergo primo respondebimus, & his præcipue qui deos colunt, & Genesim defendunt, qui uticq; cum immolant dijs, & exorant eos, sine dubio cōtra Genesim se impetraturos aliquid sperant, & per hoc Genesim soluunt. Cum uero rident qui ad uirtutē prouocant, & ad continentiā cohortantur & dicunt, quia nemo potest facere aliquid, aut pati, nisi quod ei fato decretum est, omnē profecto cultum diuinitatis abscindunt. Quid enim colas eos, à quibus promereri nihil possis, quod nō patiaī ratio decretiː Hæc interim aduersus illos dicta sint. Ego uero mundū dico à deo factum, & ab ipso quandoq; esse soluendū, ut ille appareat, qui æternus est, & ad hoc factus, ut semper sit, & dignos se, recipiat iudicio dei. Quod autem sit alius inuisibilis mundus, qui hunc uisibilem intra semetipsum contineat, postea quàm de uisibili mundo discusserimus, tunc & ad illū ueniemus. Nūc interim, quia factus sit mundus iste uisibilis, testantur etiam philosophorū plurimi sapientes uiri. Sed ne uideamur quasi egentes adsertionibus, uti uoluisse testibus, de principijs eius si uidetur quæramus. Corporeū esse mundum hunc uisibilem, eo ipso quod est uisibilis, satis constat. Omne autē corpus duas recipit differentias: aut enim cōnexum est & solidū, aut diuisum & separatum. Et si quidem cōnexum fuit & solidū corpus, ex quo mundus factus est, & per diuersas species partesq; secundum differentias sui, corpus illud partitum est & diuisum, necesse est intelligi, fuisse aliquem, qui corpus quod erat cōnexum & solidum dirimeret, atq; in partes multas duceret, formasq; diuersas. Aut si ex diuersis dispersisq; corporū partibus, omnis mundi hæc moles composita est & cōpaginata, necesse est nihilominus intelligi, fuisse aliquem qui in unum dispersas colligeret, & diuersas rebus species induceret. Equidem plures philosophorum hoc magis sensisse scio, quod ex uno corpore quam illi materiā uocant, diuisiones ac discretiones conditor fecerit deus, quod tamen ex quatuor simplicibus, & in unū temperamento quodam diuinæ prouidentiæ admixtis, cōstaret elemētis. Nam illud superfluò à quibusdā dictum puto, quod simplex corpus, id est absq; ulla coniunctione, sit mundi, cum constet nec corpus posse esse quod simplex est, neq; misceri posse, aut propagari, uel solui: quæ omnia uticq; mundi corporibus uidemus accidere. Quomodo enim solueretur si esset simplex, nec haberet intra se aliud à quo resolui ac diuidi posset? Quod si ex duobus aut tribus, uel etiā ex quatuor constare corpora uidenī, cui non etiam exiguū habenti sensum manifestū sit, quod fuerit aliquis, qui in unū plura collegerit, & tēperamenti moderatione seruata, ex diuersis partibus solidū corpus effecerit? Hūc igitur nos conditorem mundi dicimus deum, hunc agnoscimus uniuersitatis autorē. Nam Græcorum philosophi de principijs mundi quærentes, alius alia incessit uia.

Cōtra Genesim ratio.

Philosophi etiā aliquot mūdum esse creatū confitentur.

Atomos intelligit.

Materia.

Denicq;

deniq; Pythagoras elementa principiorum, numeros esse dicit, Callistratus qualitates, Alcmęon contrarietates, Anaximandrus immensitatem, Anaxagoras ęqualitates partium, Epicurus atomos, Diodorus amere, hoc est, ex his in quibus partes non sunt, Asclepiades oncos, quod nos tumores uel elationes possumus dicere, Geometræ fines, Democritus idęas, Thales aquam, Parmenides terram, Zenon, Empedocles, Plato, ignem, aquam, aërem, terram: Aristoteles etiam quintū introducit elementū, quod acatonomaston, id est, incōpellabile nominauit, sine dubio illum indicans, qui in unum quatuor elementa cōiungens, mundū fecerit. Siue igitur duo, siue tria, siue quatuor, aut etiam plura sint, uel innumera, ex quibus mundus constat, omni ex parte, qui plura in unum collegerit, & rursus collecta in diuersas species duxerit, ostenditur deus: & probaī per hæc, non potuisse machinā mundi sine opifice, & prouisore constare. Sed & hoc ipso quod in cōiunctione elementorum deficiente altero, aut abundante, cætera resoluuntur & concidunt, ostenditur ex nihilo accepisse principiū. Nam uerbi gratia, si deficiat in aliquo humor, nec aridum stabit, humore enim pascitur aridū, sicut & frigus calido, in quibus, ut diximus, si alterū deficiat, penitus cuncta soluuntur, & in hoc originis suæ, quę ex nihilo facta sunt, produnī indicia. Quod si materia ipsa probatur esse facta, quomodo partes eius & species, ex quibus mundus constat, uidebunī infectę? Sed de materia & qualitatibus, non est nunc dicendi locus: hoc solū docuisse sufficiat, deum esse omniū conditorem: quia neq; si solidum & cōnexum fuit corpus, ex quo mundus constat, dirimi & discerni sine conditore, neq; si ex diuersis & discretis partibus in unum collectū est, congregari & misceri sine artifice potuit. Igitur si mundi conditor deus esse à me euidenter ostenditur, qui erit Epicuro locus introducendi atomos, & adserendi quod ex corpusculis insensibilibus, non solū sensibilia corpora, sed & mētes intellectuales ac rationales fiant? Sed dices, ut Epicuro uisum est, continuationes atomorū indesinenti cursu uenientiū, per immensa & sine fine tempora miscentiū se, atq; in unum conglobantiū, corpora solida efficiuntur. Non uenio ad hęc ut rem fabulosam, & inepte cōpositam dicam: uideamus magis si qualecunque istud est, potest stare quod dicit. Aiunt enim corpuscula ipsa quę atomos appellant, diuersis esse qualitatibus, & alia quidē humida, & ob hoc grauia, ac deorsum tendētia: alia uero arida & terrena, atq; ob hoc nihilominus grauia: alia autē ignea, & ob hoc rursum semper nitentia: alia uero frigida, & ob hoc pigra & semper media. Quomodo ergo cum alia semper sursum tendant, utpote ignea, & alia semper deorsum, utpote humida & arida, alia uero media, & non æquali cursu incedant, coire simul potuerunt, & unū corpus efficere? Si quis enim de superioribus, uerbi gratia, minutissimas paleas, & ad eandem magnitudinē minutissimi plumbi particulas deorsum iaciat, nunquid poterant, quamuis æquales sint magnitudine, leues paleæ partes plumbi particulas consequi? longe enim uelocius ad imum grauiora perueniunt. Ita ergo & atomi etiā, si magnitudine æquales sint, pondere tamen inæquales, nunquā poterunt, quę leues sunt, cōsequi grauiores: quod si consequi nō possunt, sine dubio nec misceri, nec corpus efficere. Tum deinde si indesinēter feruntur, & semper ueniunt, & rebus quarū iam mensura integra constat adduntur, quomodo stare uniuersitas potest, cū tam immensis ponderibus noua semper pondera cumulenī? Sed & illud requiro: si paulatim coëuntibus corpusculis extrueba tur hic quē uidemus ambitus cœli, quomodo nō in eo ilico cum cōsurgeret cōruit? siquidem hians machinę ipsius summitas nullis suffulta repagulis stringeretur. Sicut enim hi qui ędificiorū tholos in circulum instruunt, nisi conclusionē medij uerticis strinxerint, uniuersum pariter soluitur: Ita & mundi circulus quem tam decora specie collectum uidemus, si non subitò & sub uno diuinę uirtutis rotatu, potentia cōditoris effectus est, sed paulatim concurrentibus atomis & instruentibus, non

Rationes cōtra atomos Epicuri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut ratio patebat, sed ut fortuitus incidisset euentus, quomodo non prius quàm colligi posset & concludi, dilapsus est & dissolutus? Ad hæc etiam illud requiro, quod sit munimen, super quod tam immensæ molis iacta sint fundamẽta? Et rursus illud ipsum quod dixeris munimen, super quid iaceat? Et itẽ illud aliud super qd? & eo usq; interrogando progrediar, donec responsio ad nihil & inane perueniat. Quod si dicat aliquis, quia atomi igneæ qualitatis coniunctæ, sibi corpus unum fecerunt, & quia ignis qualitas nõ deorsum, sed sursum tendit, impositam mundi molem, ad superiora semper nitens ignis natura subuectat. Ad hæc respondebimus: Quomodo potuerunt atomi igneæ qualitatis, quæ semper ad superiora contendunt, in inferiora descendere, & in profundo, ac sub omnia demerso inueniri loco? Cum itaq; grauiores quæq;, id est terrenæ uel humidę qualitates præueniant, ut diximus, leuiores, unde & cœlum, uelut superiorem fabricam igneis atomis, quæ & leuiores sunt, & sursum semper fugiunt, adserunt structã: neq; ergo fundamenta ignis, aut alia ulla habere mundus potest, neq; atomis grauioribus cum leuioribus, id est his quæ deorsum semper præcipitant, & his quæ semper sursum fugiunt, societas aut compaginatio ulla cõueniat. Igitur quod impossibile sit ex atomorũ coniunctione, corpora mundi solidari, sufficienter dictum, & quod non potuerint insensibilia corpora, etiamsi ulla ratione coire & connecti potuissent, formas dare corporibus & mensuras, uel membra fingere, uel qualitates efficere, uel exprimere quantitates, quæ utiq; omnia modulatione sui manũ testantur artificis, & opus rationis ostendunt, quam rationẽ ego uerbũ & deum appello. Sed dicet aliquis hæc à natura fieri: iam in hoc de nomine cõtrouersia est. Cum enim constet mentis esse & rationis opus, hoc quod tu naturam uocas, ego deum conditorẽ uoco, constat nec potuisse nec posse uel corporum species tam necessarijs distinctionibus institutas, uel animorum sensus inrationabili opere, & quod sensu careat effici. Quod si idonei tibi testes uidentur philosophi, Plato de his testatur in Timæo, ubi de mundi factura discutiens requirit, utrum nam semper fuerit, an initium sumpserit: & pronunciat quia factus sit: Visibilis enim, inquit, est & palpabilis atq; corporeus: omnia autem quæ huiusmodi sunt, facta esse constat: Quod autem factum est, aliquem habet sine dubio autorem, à quo factum est: hunc ergo, inquit, factorem parentemq; omnium, & inuenire difficile est, & inuentum uulgo enarrare impossibile. Hæc quidem Plato dicit: sed & si ipse alijq; Græcorum philosophi, de factura mundi silere uoluissent, nónne omnibus intellectum habentibus, palàm esset? Quis enim est exigui saltem sensus homo, qui cum cernat domum, omnia quæ ad usus necessaria sunt habentem, cuius cameram in sphæræ gyrum uideat collectam, eamq; uario splendore, & diuersis imaginibus depictam, luminaribus præcipuis & maximis adornatam: quis, inquam, est, qui huiusmodi fabricam uidens, non statim pronunciet, à sapientissimo & potentissimo artifice esse constructam? Et ita quis inuenietur insipiens, cum cœli opus inspiciat, splendorem solis cernat, ac lunæ, astrorum cursus, & species, & uias certis rationibus & temporibus uideat definitas, non tam à sapiente hæc artifice, & rationabili, quàm ab ipsa sapientia & ratione clamet effecta? Quod & si secundum alios Græcorum philosophos audire uis, & mechanicis imbutus es disciplinis, de excelsis quæ traduntur, non te sine dubio latent. Ponunt enim sphæram æqualiter ex omni parte collectam, & ad omnia similiter respicientem, atq; à centro terræ æquis spatijs distinctam, ipsaq; sui æqualitate ita stabilem, ut eam in nullam partem declinare undiq; æqualitas collecta permittat, & ita à nullo fulcimento subuecta sustentatur sphæra. Quod si uere hanc habeat similitudinem mundi machina, euidens est opus in ea diuinum. Si uero, ut alijs uisum est, super aquas posita sphæra, uel super ipsas fertur, uel in ipsis uoluitur, etiam sic magni in ea artificis opus declaratur. Sed ne de his quæ non omnibus palàm sunt, incerta

Naturã esse parentem rerum, quomodo intelligendum.

Plato in Timæo mundum testatur creatum.

incerta uideatur adsertio, ad ea ueniamus quæ neminem latent. Quis astrorũ cursus tanta ratione disposuit, ortusq; eorum & occasus instituit, certisq; & demensis temporibus unicuiq; tenere cœli ambitũ dedit? Quis ad occasum alijs etiam redire in ortum permisit? Quis imposuit modum cursibus solis, ut horas, & dies, & menses, & temporũ uicissitudines, diuersis motibus signet? & nunc hyemem, inde uer, æstatem, pòst & autumnũ, certa cursus sui dimensione discernat, & semper eisdem uicibus anni orbem inconfusa uarietate constringat? Quis inquã tanti ordinis moderatricem, non ipsam dei pronunciet sapientiam? Et hæc quidem secundum illa nobis dicta sint, quæ de excelsorum disciplinis traduntur à Gręcis. Quid autem & de his quæ uel in terris uel in mari uidemus, nónne euidenter edocemur, dei in his non solum opus esse, sed & prouidentiam? Nam quod in terra montes excelsi, certis quibusq; habentur in locis, ut ex his uelut compressus & coangustatus aër, ordinatione dei cogatur & exprimatur in uentos, ex quibus & fructus germen concipiant, & æstiuus ardor temperiem sumat, cum pliades ignitę solis ardoribus incanduerint. Sed dices: Cur & ardor solis ut temperies requiratur? & quomodo fruges humanis usibus necessariæ matureſcerẽt? Sed & illud aduerte, quod ad axem meridianum, ubi plus est caloris, non multa datur nubium cõstipatio, nec abundans copia imbrium funditur, ne morbus habitãtibus generetur: humidæ enim nubes, si calore rapido coquantur, aërem corruptum & pestiferum reddunt. Sed & terra calidum imbrem suscipiens, non nutrimenta segetibus, sed perniciẽ præbet, in quo quis dubitat opus esse diuinę prouidẽtiæ? Denicq; Aegyptus, quia Aethiopicis è uicino flagrat ardoribus, ne insanabiles corruptelas aëris imbriũ necessitate susciperet, campi eius non pluuiã nubibus ministratam, sed terrenũ quodammodo imbrẽ Nilo inũdante suscipiũt. Quid de fontibus dicemus, & fluuijs? qui perẽni in mare fluunt meatu, & per diuinam prouidentiam, nec illis abundans deficit cursus, nec mare tantas aquarum recipiens copias, ullum sentit augmentũ, sed in eadem mensura, & ea quæ conferunt, & ea quæ ibi conferuntur elementa perdurant. Sed dicis mihi, salsa aqua naturaliter consumit fluentum dulce, quod ei fuerit infusum. Et in hoc ergo manifestum est prouidentiæ opus, ut salsum faceret illud elementum, in quod cursus omnium aquarum, quas ad usum hominibus præstiterat, declinauit, uti ne per tanta seculi spatia, repletus maris alueus, inundationem pernitiosam terris & hominibus redderet. Nec ita quisquam insipiens erit, ut hanc tantam rationem, tantamq; prouidentiam ab inrationabili natura arbitretur esse dispositam. Quid autem de uirgultis? quid de animalibus dicam? non ne per prouidentiam factum est, ut cum senecta temporis resoluerentur, uirgulta quidem uel plantis, uel seminibus quæ ipsa dederint, animalia uero per progeniem reparentur, & mira quadã dispensatione prouidentiæ, nascituro pecori lac præparatur in uberibus, ac statim ut natũ fuerit, nullo docente, scit ubi alimonię suæ horrea requirat? Gignuntur autem non solum mares, sed & fœminæ, ut ex utroq; possit rursus constare posteritas. Sed ne, ut putant homines, uiderentur hæc naturæ quodã ordine, & non dispensatione fieri conditoris, pauca quædam ad indicium & documentum prouidentiæ suæ, mutato ordine genus seruare iussit in terris, uerbi gratia, ut per os conciperet Coruus, & per aurem Mustela generaret, ut aues nonnullæ, sicut Gallinæ, interdum oua uel uento, uel puluere concepta parerent, alia quædã animalia marem uicibus alternis in fœminam uerterent, & sexum per annos singulos commutarẽt, ut Lepores & Hyænę, quas Belluas uocant. Alia etiam ex terra orirenť, atq; inde sumerent carnem, ut Talpæ, alia ex cinere, ut Viperæ, alia ex putrefactis carnibus, ut Vespæ quidem equinis, Apes autem bubulis, alia ex fimo boum, ut Scarabei, alia ex herbis, ut de ocimo Scorpius, & rursus herbę ex animalibus, ut ex cornu cerui uel capræ apij & asparagi. Et quid opus est plura ęnumerare, in quibus

A cursu astrorũ probat prouidentiam.

Raræ pluuiæ ad axem meridianum quare sint.

Calidi imbres pestilẽtes sunt

Aqua marina ineffabili prouidentia salsa est.

Virgulta.

Quædã mutato naturæ ordine gignuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuina prouidẽtia, mutato ordine eo, qui à natura datus putatur, multimodis differentijs natiuitatem animalium constare uoluit, ex quibus non inrationabilis rerum cursus, sed ipsius dispensatus ratione doceret? Aut non & in hoc plenissimũ demonstratur opus diuinæ prouidentiæ, ubi ex terra & aqua, ad uitam hominum semina facta reparantur? Quæ cum terræ fuerint mandata, uoluntate dei humorem quem susceperit gleba, uelut uberibus suis seminibus immulget: aquis enim ineſt quædam uis spiritus à deo dati ex initio, cuius opere, habitus futuri corporis, in ipso statim semine formari incipit, & per culmum spicamq; restitui: turgefacto etenim ex humore seminum grano, per angustos quosdam uenarum meatus uis illa spiritus, quæ ineſſe aquis data est, utpote incorporea trãscurrens, ad incrementum semina suscitat, & crescentium species format. Ministerio igitur humidi elementi, cui uitalis ille spiritus insitus semper & ingenitus est, efficitur ut non solum reparetur, sed ut per omnia similis species & forma his quę iacta fuerint seminibus redeat. Quæ ratio, cui uel breuem sensum habenti, per inrationabilẽ naturam, & non per diuinam sapientiam constare uidebitur? Denicq; etiam hæc ad similitudinem humanæ natiuitatis formata sunt: uidetur enim terra uuluę locum tenere, cui semen iniectũ per aquæ & spiritus uim, sicut suprà diximus, & formatur, & alitur. Sed & in hoc admiranda est diuina prouidentia, quod uidere nos quidẽ & agnoscere fecit, quæ fiunt: quomodo autem & qualiter fiant, in secreto posuit & in occulto, ut non indignis ad agnitionem subiaceant, sed dignis & fidelibus, cum meruerint patefiant. Vt autem rebus ipsis & exemplis probemus, nihil omnino ex terrena substãtia seminibus dari, sed totum ex elemento aquæ & spiritus qui ineſt ei uirtute constare: pone mihi uerbi gratia in cratere aliquo amplissimæ magnitudinis, inijci terræ talenta centum, & seminentur in eo diuersæ species seminum, uel olerum, uel etiam uirgultotum, his præbeatur ad rigandum aqua sufficiens, & per annos plures habeatur ista diligentia: congregentur autem semina quæ collecta fuerint, uerbi gratia frumenti, uel hordei, aliarumq; specierum per singulos annos seorsim, donec uniuscuiusq; seminis aceruus, ad centum talentorum pondus ascendat, tum etiam arbores auulsæ radicitus adpendantur, & his omnibus ex crate sumptis, si adpendatur terra, centum sua nihilominus talenta salua restituet. Vnde ergo dicemus omne illud pondus, omnemq; quantitatem seminum diuersorum atq; arborũ surrexisse? nónne euidenter apparet quia ex aquis? Terra enim quod suum est integrũ tenet, aqua uero quæ per singula iniecta est, nusquam prorsus est, ob potentẽ diuinæ conditionis uirtutem, quæ per unam aquæ speciem tantorum seminum uirgultorumq; & substantias reparat, & species format, & genus fœnore multiplicato custodit. Ex quibus omnibus satis abundeq; patêre puto, artifici sensu, & non inrationabili naturæ opere cuncta effici, & uniuersa constare.

Terra humorẽ tanquam uberibus concipit.

Terra uuluæ habet speciem.

Experimentum aquæ & spiritu omnia cõstare.

Sed ueniamus adhuc, si uidetur, etiam ad nostram, id est ad hominis substantiã, qui est paruus in alio mundus, & cõsideremus quanta sit ratione compositus: & ex hoc præcipue sapientiã conditoris intelliges, qui cum ex diuersis substantijs constet, id est, mortali & immortali, per artificẽ prouidentiã conditoris, societatẽ diuersitas non refugit, & quidem longe à se substantijs. Alia nanq; de terra adsumitur, & à conditore formatur: alia uero ex immortalibus substantijs datur, nec tamen ei per huiuscemodi coniunctionem honor immortalitatis infringitur, nec, ut quibusdam uidetur, affectus quibus ad hæc singula moueri possit. Nam corpus quod ex ossibus & carnibus constat, initium sumit ex semine uiri, quod è medullis calor eliciens, uuluæ quasi terræ consignat: cui inhærens ex fonte sanguinis, paulatim rigatũ in carnem & ossa producitur, atq; in speciem autoris facti seminis reformatur. Et uide in hoc artificis opus, quomodo ossa uelut colũnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inseruit. Tum deinde æqualis ex utraq; parte, id est dextera ac læua, mensura seruetur, ut cõgruat pes pedi, & manus manui, digiti quoq; digitis, ut singuli ad singulos tota æqualitate concordent: sed & oculus oculo, & auris auri, quæ non solũ consona sibi & concordantia, sed & usibus necessarijs apta formantur. Manus quidem ut operi cõmodæ sint, pedes ut gressibus, oculi ut uisibus seruiant, supercilliorum excubijs custoditi: aures ad audiendũ ita formatæ, ut cimbalo similes, suscepti uerbi repercussum sonitũ altius reddant, & usq; ad sensum cordis emittant. Lingua autem ad loquendũ inlisa dentibus, plectri reddat officium: ipsi uero dentes alij ut incîdãt & diuidant cibos, & interioribus tradãt: interiores uero ut in modũ molæ cõficiant & comminuant, quo opportunius stomacho traditi coquãtur, unde & molares appellati sunt. Sed & nares cõmeandi flatus, & reddendi ac recipiendi gratia factę sunt, ut innouatione spiritus, calor naturalis qui ex corde est, uel accẽdi uel refrigerari, cum res poposcerit queat pulmonis officio, qui pectori inhærere datus est, ut mollicie sui palpet & foueat cordis uigorẽ, in quo uidetur uita cõsistere: uita dico, non anima. Nam quid dicam de substantia sanguinis, quam uelut fluuius ex fonte procedens, & uno prius alueo inuectus, tum deinde per innumeras uenas, quasi per areas deriuatus, totam humani corporis terrã, uitalibus rigat fluentis, iecoris opere ministratus, quod ad efficaciã digestionis ciborum, atq; in sanguinẽ mutandorũ in dextro latere iacet. In sinistro uero splenis est locus, qui trahere ad se & purgare quodãmodo sordes sanguinis possit. Intestinorũ quoq; ratio quanta est? quæ idcirco longis nexibus in circulorũ ordinata sunt modũ, ut susceptas digestiones ciborũ paulatim egerãt, quo neq; ad subitũ inanes efficiant locos, & his qui superadditi fuerint non impediantur cibis. Membranæ autem in modũ idcirco facta sunt, ut ex ipsis ea quę intrinsecus sunt, humorẽ sensim suscipiant, quo neq; subitò effusus exinanisset interna, neq; dẽsiore cute prohibitus, arida quæ extrinsecus habẽtur efficeret, & totam hominis fabricã sitis necessitate turbaret. Porrò uero fœminea positio, & uuluę sinus ad recipiendũ germen, & confouendũ uiuificãdumq; cõmodissimus, quem non ratione & prudentia effecta esse, quæ facta sunt, suadeat, quod in ea solũ parte mẽbrorũ, à uirili specie fœmina discrepat, qua posteritas fata suscipitur, & foueturs? & rursus uirilis habitus ea tantũ modo membrorũ parte immutet, qua ei uis serẽdi & generãdi hominis ineſt. Et in hoc magnũ quidem testimoniũ prouidentiæ datur, ex necessaria diuersitate membrorũ, sed ibi maius ubi in habitus similitudine, usus diuersitas, & officij uarietas inuenit. Nam mamillę uiris æque sunt ac fœminis, sed fœminarum solæ sunt, quę lactis munere replentur, ut statim ubi genuerint, apta sibi paruulus inueniat nutrimenta. Quod si tanta ratione uidemus in homine membra dispositа, ut cum in cæteris omnibus similis habitus uideatur, in his tantũmodo discrepent, in quibus usus diuersitatem requirit, & neq; in uiro aliquid superfluũ aut egens, neq; in fœmina quod desit uideamus, uel quod abundet, quis ex his omnibus non euidenter agnoscat rationis opus, & sapientiã conditoris? His adstipulatur etiam cæterorum animaliũ rationabilis diuersitas, & suo quodq; usui ministerioq; cõueniens. Hæc testatur & arborũ uarietas herbarumq; diuersitas, tam specie uariata, quàm succis. Hæc adserit & permutatio temporũ, in quatuor distincta uicissitudines, & certis horis, diebus, mensibus, annum circulus claudens, & ne unam quidem horam statutæ rationis excedens: hinc denicq; etiam mundi ipsius ætas certa & stabili ratione, concepto annorũ numero censet. Sed dices, quando mũdus factus est, & quare tam tarde? Hoc possis obtendere etiamsi ante factus fuisset: diceres eñ, cur non & ante hoc? & ita immensa secula trãscendens, semper possis requirere, cur non & ante hoc? Sed nobis nunc sermo non de eo est, sed si omnino factus est. Si enim factũ cõstat, necessariò potentis & summi artificis opus est: quod si constat, quando eum facere uoluerit, sapientis artificis arbitrio iudicioq; relinquendum est. Nisi uideatur tibi omnis hæc

Semen ex medullis.

Ossa in corpore humano sunt ro columnis.

Proportio corporis humani.

Ideo præciso res dicti.

Molares.

Iecur.

Splen.

Intestina quare humida.

Vulua.

Quæstiones inutiles & curiosæ omittantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sapientia, quæ tam immanẽ mundi machinã struxit, & singulis quibusq; rebus, formas & species dedit, quarum habitum non decori solum conuenientem, sed & futuris usibus aptissimũ & necessariũ poneret, hoc eam solum fugerit, quo tam magnificę cõditionis opportunum tempus adsumeret. Est apud illum profecto certa ratio, sunt euidentes causæ, cur, & quando, & qualiter fecerit mundũ, quas hominibus, quibus hæc quæ ante oculos posita sunt, & de eius prouidentia cõtestantur, inquirere & intelligere pigrũ fuit, aperiri utiq; non oportuit: quæ enim in occulto habentur, & intra sapientiæ sensus, uelut intra regios thesauros recõdita sunt, nemini patent, nisi his qui ab illo didicerint, apud quem signata sunt hæc & reposita. Deus ergo est qui fecit omnia, & ipse à nemine factus est: qui autem naturam pro deo nominant, & per naturã facta esse cuncta testantur, latet eos appellationis suę error. Si enim naturã irrationabilem putant, stultissimũ est, rationabilẽ facturam ab irrationabili factore progredi. Si uero ratio est, id est logos, per quam facta constat uniuersa, superfluò nomen immutant, ubi de conditoris ratione profitenẽ. Ad hæc si quid habes pater, prosequere. Hæc cum Niceta dixisset, Senex ita respondit: Tu quidẽ fili prudenter, & fortiter prosequutus es, in tantũ ut melius dici posse de prouidentia non putem. Sed quoniã hora iam multa est, crastino ad hæc quæ perse quutus es, respõdere aliqua uolo, de quibus si mihi satisfeceris, gratiæ me fateor debitorem. Et his à sene dictis, surrexit Petrus. Quidam uero ex adstantiũ Laodicensiũ primas, rogabat Petrũ & nos, ut Senis indumẽta quæ habebat sordida & scissa mutaret: quem Petrus & nos amplexi, & conlaudantes pro honesta & optima uolũtate sua, dicebamus: Quia nec nos ita insipientes sumus, & impij, ut cui tam preciosa uerba cõcredimus, non multo magis etiã hæc quæ ad usus corporeos sunt necessaria prębeamus, quę eum & libenter suscepturũ credimus, tanquã à filijs patrẽ, sed & tectũ nobis & uitam communem fore credimus. Hæc cum nos diceremus, & ille primarius ciuitatis, summa ui, & blandimentis plurimis auellere à nobis cuperet Senem, nos uero eò uehementius retineremus, omnis populus adclamauit ut illud magis fiat, quod ipsi placet Seni: & cum silentium factum fuisset, Senex iuramento præuenit, dicens: Hodie apud nullum manebo, neq; ab aliquo quicquam suscipiam, uti ne alterius delectio alterius tristitia fiat, hæc enim postmodum si uisum fuerit, fieri possunt. Et cum hæc dixisset Senex, Petrus ait ad primarium ciuitatis: Quoniam nostri præsentia, bonam uoluntatem tuam ostendisti, tristem te non oportet abscedere, sed accipiemus abs te gratiam pro gratia, domum tuam nobis ostende, & præpara eam ut crastino disputatio, quæ futura est habeatur, & si qui uolunt adeliẽ ad audiendum permittantur. Quæ cum audisset primas ciuitatis, ualde gauisus est, sed & omnis populus libenter audiuit. Cumq; discessissent turbæ, domum suam ostendit: discedere autem & Senex cœpit. Ego tamen uni ex pedisequis meis imperaui clàm subsequi uestigium Senis, & discere ubi maneret. Nos autem cum redissemus ad hospitium, enarrauimus omnia fratribus, quæ nobis cum Sene habita sunt, & ita ex more cibo sumpto requieuimus. Die autem posterà Petrus mature surgens, suscitauit nos, & perreximus pariter ad locum secretum, in quo et pridie orationis causa fueramus, atq; inde post orationẽ dum uenire musad constitutam domum, in itinere monebat nos dicens: Audite me conserui dilectissimi, bonum est ut unusquisq; uestrûm secundum quod potest, prosit accedentibus ad fidem religionis nostrę, & ideo non uos pigeat secundum sapientiam, quæ uobis per dei prouidentiã conlata est, differentes instruere ignaros & docere, ita tamen ut his quæ à me audistis & tradita sunt uobis, uestri tantum sermonis eloquentiam societis. Nec aliquid proprium, & quod uobis non est traditum prolo quamini, etiam si uobis uerisimile uideatur: sed ea, ut dixi, quæ ipse à uero propheta suscepta uobis tradidi, prosequamini, etiam si minus plenæ adsertionis esse uidebuntur.

Ignorãtur quædam ab hominibus cum laude.

Pedisequi Clementis.

Petrus sermoni ueritatis nihil uult addi nisi eloquentiam.

uidebuntur. Hinc enim sępe contingit declinare quosdam à ueritate, dum speciem sibi uerioris & ualidioris ueritatis, proprijs cogitationibus reperisse se credunt. His à Petro dictis, libenter annuimus, dicentes ei, nihil nos acturos, nisi quod ipsi uideretur. Tum ille: Vt ergo, inquit, sine periculo exerceamini, me coram disputate singuli, ita ut unus alij succedat, ac suas unusquisq; explicet quæstiones. Nunc ergo, quoniam hesterno die Niceta sufficienter disseruit, hodie sermonẽ faciat Aquila, & post Aquilam, Clemens, inde ego, si tamen etiam me res poposcerit aliquid addere. Interea dum huiuscemodi sermones cedimus, ad domum uentum est, in qua suscipiens nos paterfamiliàs, introducit ad locum quendam, in similitudinem theatri collectum, & pulchre exædificatũ, in quo turbas plurimas ex tempore nostris operientes nos reperimus, inter quos & Senex qui pridie nobiscum disputauerat. Itaq; medium habentes Petrum, ingredimur etiam nos, circunspicientes si cubi cerneremus Senem: quem prior Petrus uidens in medio turbæ latitantem, euocauit ad se, dicens: Clariorem multis animam possidens, cur in occulto lates, & uerecundia contegeris? accede huc magis, & quæ tibi uidentur, exequere. Vbi hæc dixit Petrus, statim turbæ locum dare cœperunt Seni. Cumq; accessisset, ita cœpit: Eorum quæ die hesterno prosequutus est iuuenis, etiamsi uerba non memini, sensum tamen & ordinem teneo, & ideo necessarium puto propter eos qui hesterno non adfuerunt, Anacephalæosin facere eorum quæ dicta sunt, & breuiter cuncta repetere, ut etiamsi me aliquid effugerit, ab eo qui prosequutus est præsente, commonear. Hic ergo fuit hesternæ disputationis sensus, quod omnia quæ uidentur, quoniam certa mensura & arte, formaq; ac specie constant, sine dubio à sapiente uirtute facta esse, ut rationis ipsius prouidentia mundus regatur, etiamsi nobis ea quæ geruntur in mundo, minus recte geri uideantur. Consequitur autem, ut si creator omnium deus est ac mens, sit etiam iustus: quod si iustus est, necessariò iudicat, si iudicat, necesse est ut homines de suis actibus iudicentur: & si de actibus suis unusquisq; iudicatur, erit ergo inter iustos & peccatores iustum quan doq; discrimen. Hæc fuit, ut opinor, totius uerbi cõtinentia. Si ergo ostendi potest, quod mens ac ratio cuncta condiderit, consequens est, & ea quæ sequuntur rationẽ & prouidentia geri. Si uero natura imprudens & cæca gignit uniuersa, perimitur sine dubio iudicij ratio, nec discussio peccatorum, ac benefactorũ remuneratio sperabitur, ubi iudex non est. Quia ergo omnia in hoc pendent, & huic capiti adhærent, non indignemini, si forte paulò latius discuti hæc & pertractari uoluero. In hoc enim mihi ad omnia quæ proponuntur, uelut prima ianua clauditur, & ideo hanc mihi ante omnia aperiri uolo. Nunc ergo audite quæ dico, & respondeat mihi si quis uestrûm uolet: non enim erubescam discere, si audiero quod uerum est, & recte dicẽti adquiescere. Igitur hesterno à te habitus sermo, qui adserebat quod arte, & mensura, & ratione cuncta constarent, non ualde me suadet, mentem rationemq; esse quæ fecerit mundũ: multa enim habeo, quæ ostendã competenti mensura, ac forma, & specie constare, nec tamen per mentem condita ac rationẽ. Tum præterea uideo multa incondite, incõsequenter, iniuste geri in mundo, & sine Genesis cursu nihil fieri posse, quod post omnia etiã ex meipso manifestissime adprobabo. Hæc cum Senex diceret, Aquila respondit: Quoniam ipse proposuisti, ut ad ea quæ diceres haberet copiam respõdendi qui uelit, concedit mihi frater meus Niceta hodie facere sermonẽ. Et Senex: Prosequere, ait, fili, ut uis. Et Aquila respondit: Promisisti quod ostenderes multa esse in mundo quæ formam ac speciem æquali ratione collectam gerãt, quæ tamen cõstet non effici per conditorem deum. Nunc ergo quod promisisti ostende. Et Senex: Ecce arcum uidemus in cœlo circulum tenere omni mensura collectum, & habere speciem ueri, quam fortassis nec mens cõdere, nec describere ratio potuisset, nec tamen hic ab aliqua mente fit.

Prima ianua ad agnitionẽ dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce in breui totum proposui, respondeat hæc. Tum Aquila: Non continuò, inquit, si quid ex typo & forma exprimitur, id intelligitur à ratione esse, ac sine mente non fieri posse, quoniã typus ipse qui exprimit figuras ac formas, non sine mente factus est. Verbi causa, cera si adfigatur sculpto anulo, imaginem quidem & figuram sumit ex anulo, qui sine dubio sensu caret, sed anulus qui exprimit effigiem, manu artificis sculptus est, & mens fuit ac ratio, quæ typum anulo dedit. Ita ergo & arcus exprimitur in aëre, sol enim nubibus rarescẽtibus radios suos imprimens, & humori nubilo uelut ceræ molli adfigens orbis sui typum, arcus speciem reddit, & efficit hoc ipsa, ut dixi, repercussio splendoris solis in nubibus, atq; ex illis fulgorem circuli eius reddens: fit autem hoc non semper, sed cum opportunitatem sui, humectæ nubes rarescendo præstiterint. Vnde & rursus cum densantur nubes & coëunt, arcus forma resoluitur, & exolescit: denicq; nunquam sine sole & nubibus arcus apparet, sicut nec sine typo & cera, & alia huiusmodi materia exprimit imago. Non ergo mirum est, si conditor deus ex initio fecit typos, ex quibus nunc formæ exprimantur ac species. Simile autem hoc & illi, quod ab initio deus elementa insensibilia creauit, quibus ad reliqua omnia formãda, & explicanda uteretur. Sed & qui statuas formant, typum prius luci uel ceræ fingunt, & ex ipso redditur statuæ effigies: tum deinde & umbra redditur ex statua, quæ umbra per omnia formã ac similitudinem statuæ gerit. Quid ergo, dicemus insensibilem statuã formare umbram, tam diligenti, quàm ipsa statua est, ratione collectam: an illi sine dubio adscribetur umbræ collectio, qui & statuam finxit? Si ergo tibi uidetur hoc ita se habere, & sufficit quod de hoc dictum est, ad alia inquirẽda ueniamus, aut si aliquid adhuc deesse putas, repetamus. Et Senex ait: Volo ut repetas de hoc, sunt enim & alia multa quæ similiter fieri uideo: nam & fructus arborum simili modo pulchre formati, & in rotundũ mire collecti nascuntur: & foliorum species ingenti decore formatur, atq; exquisita arte uiridis membrana cõtexitur. Tum præterea pulices, mures, lacertas, & his similia, nunquid & hæc dicemus à deo fieri? Vnde ex his uilioribus, coniectura capitur meliorum, quod nequaquam mentis arte formentur. Bene, inquit Aquila, de foliorum textura, & de paruis animalibus colligis, quod ex his fides etiã melioribus deroganda sit; sed non te ista decipiant, ut putes quasi duabus solis manibus operantem deum, non posse uniuersa complere quæ fiunt, sed memento quomodo hesterno tibi frater meus Niceta respondit, & mysterium ante tempus aperuit, uere quasi cũ patre loquens, & cur & quomodo fiant hæc, quæ inutilia uidentur, exposuit. Et Senex: Cur ista inutilia, uoluntate illius summæ mentis fiant, uelim à te audire. Si, inquit, liquidò apud te constat, quod mentis & rationis opus in ipsis est, tum demum tibi etiam cur facta sunt, dicere non pigebit, & quod iuste facta sint edocere. Ad hæc Senex respondit: Non possum fili, ea quæ uidentur ex arte formata, dicere per mentem fieri, propter cætera quæ iniuste & inordinate fieri uidemus in mundo. Si te, inquit Aquila, ea quæ inordinate fiunt, dicere quod per prouidentiam dei facta sint non sinunt, cur non ea quæ ordinate fiunt, dicere te quod à deo facta sint cogunt? & quia inrationabilis natura, opus rationabile proferre non possit? Certum est enim, nec omnino negamus, quia in hoc mundo quædam ordinate, quædam inordinate fiant: ea ergo quæ rationabiliter fiunt, crede quod per prouidentiam fiant: quæ uero inrationabiliter & inordinate, quia naturaliter eueniant & fortuitò accidant. Miror autem non aduertere homines, quia ubi sensus est, possunt res ordinate fieri & inordinate: ubi autem nullus est sensus, neutrum omnino effici: nam ratio ordinem facit: ordinis autem cursus si contrarium quid acciderit, quod ordinem turbet, necessariò inordinatum aliquid profert. Et Senex: Hoc ipsum mihi à te ostendi uolo. Non, inquit, morabor Aquila. Duo uisibilia signa monstrantur in cœlo, unum solis, aliud lunæ; hæc

Arcus in cœlo ex repercussione solis.

Cõtemptißima quæq; animalia à deo creantur.

næ: hæc sequuntur & aliæ quinque stellæ, diuersos & proprios singulæ explicantes cursus. Hæc ergo deus posuit in cœlo, quibus aëris temperies pro ratione temporum dispensetur, & ordo uicissitudinum permutationumq; seruetur. Horum autem ipsorum ministerio, & si quando pro peccatis hominum plaga & correptio terris iniicitur, perturbatur aër, lues animantibus, corruptio frugibus, pestilens per omnia mortalibus annus inducitur: & ita fit, ut uno eodemq; ministerio, & seruetur ordo & corrumpatur. Etenim palàm est incredulis & imperitis, quod cursus solis utilis & necessarius mundo, per prouidentiam datus semper ordinatus habeatur. Lunæ uero ad comparationem cursus solis, in augmentis & detrimentis suis apud imperitos inordinati cursus uidentur & incompositi. Nam sol certis distinctionibus & ordinatis mouetur: ex ipso enim sunt horæ, ex ipso dies cum ascenderit, ex ipso etiam nox cum occiderit, ex ipso menses & anni numerantur, ex ipso uicissitudines temporum fiunt, dum ad superiora conscendens uer temperat: ubi autem ad summum cœli uenerit, æstiuos accendit calores: decidens rursus autumni temperiem reddit; ubi uero ad inferiorem redierit circulum, ex glaciali compage cœli, rigorem nobis hyberni frigoris derelinquit. Sed de his aliàs latius disseremus. Nunc interim, cum sit iste minister bonus, ad uicissitudines temporum moderandas, tamen ubi secundum uoluntatem dei correptio mortalibus datur, incandescit acrius, & urit mundum uehementioribus flammis. Similiter autem & lunæ cursus, atque hæc quæ imperitis uidentur inordinata permutatio, incrementis frugum, & pecudum, omniumq; animantium cõmoda est: augmentis enim eius detrimentisq; mira quandam prouidentiæ arte, omne quod gignitur, alitur & crescit: de quibus latius prosequi possemus, & aperire de singulis rationem, nisi nos propositæ quæstionis ordo reuocaret. His tamen ipsis eisdemq; ministeriis, quibus gignuntur, aluntur, augentur uniuersa, cum fuerit iusta aliqua ex causa ordinis instituti mutata temperies, corruptio oritur & intemperantia, ut in homines, sicut suprà diximus, castigatio dei uoluntate procedat. Sed fortasse dices: quid, quod in ista communi castigatione similia impij patiuntur & pij? Verum est, etiam nos fatemur: sed pijs castigatio ad profectum cedit, ut in præsenti uita adflicti, purgatiores ueniant ad futuram, in qua perpetua eis requies præparata est. Simul autem ut & impij aliquantulum ex ipsorum castigatione proficiant, aut iusta in eos feratur iudicij futuri sententia, cum in eisdem castigationibus, iusti quidem gratias egerint deo, iniusti autem blasphemauerint. Igitur cum in duas partes rerum diuidatur opinio, quod alia per ordinem, alia contra ordinem fiant: ex his quidem quæ secundum ordinem fiunt, oportuit credi esse prouidentiam: de his uero quæ contra ordinem geruntur, causas require ab his, qui eas per doctrinam propheticam didicere: quibus enim innotescere potuit sermo propheticus, sciunt quando, et ob quam causam erugo, grando, pestilentia, & horum similia per singulas quasq; generationes exorta sint, & ex quibus peccatis hæc ad uindictã data sint, unde humano generi causa tristitiæ, unde gemitus ac dolores acciderint, unde etiã tremoris languor aduenerit, & quod hæc ab initio fuerit uindicta paricidij. Nam ab origine mundi nihil horum fuit, sed ex impietate hominum initium mala ista sumpsere, & inde semper crescentibus iniquitatibus, & malorum numerus creuit. Sed idcirco diuina prouidentia iudicium erga omnes statuit, quia præsens seculum non erat tale, in quo unusquisque posset pro meritis dispensari. Non ergo ex his, quæ pro peccatis hominum mundo acciderũt, malis, illa contemplanda sunt, quæ ab initio cum nullæ malæ causæ existerent, bene & ordinate instituta sunt: denicq; ad indiciũ eorũ quæ ab initio fuere, inueniuntur nõnullæ gentes alienæ ab huiusmodi malis. Nam Seres quia caste uiuunt, expertes habentur horũ omnium, quia necq; post conceptum adiri ultra apud eos fœminam fas est, neque cum

Quamobrẽ pij cum impijs aliquando adfligantur.

Calamitates non bis in uindictam datæ sunt.

Seres innocentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

purgatur, carnibus ibi immundis nemo ueſcitur, ſacrificia nemo nouit, ſecundum iuſtitiã omnes ſibijpſis iudices ſiunt. Idcirco igitur neq; caſtigantur iſtis plagis quas ſuprà diximus, & plurimũ temporis in uita durãtes, abſq; ægritudine finiunt uitã. Nos autem miſeri uelut cum ſerpentibus peſſimis habitantes, cum hominibus dico iniquis, perferimus neceſſariò cum ipſis adflictionum plagas in hoc mundo, ſed ſpem gerimus, ex conſolatione futurorũ bonorum. Si propter iniquitates, inquit Senex, aliorum cruciantur etiam iuſti, oportuit deum tanquam prouiſorem iubere hominibus, ut non facerent ea, ex quibus neceſſe eſſet cum iniuſtis adfligi etiam iuſtos, aut facerent emendationem aliquam, aut purificationem mundo adhiberent. Iuſſit, inquit Aquila, deus hæc, & dedit præcepta per prophetas, quomodo homines uiuere deberent: ſed & hæc contempſerunt, imò uero & eos ſi qui fortè obſeruare cupiebant, diuerſis iniurijs adflixerunt, donec etiam ipſos à propoſita obſeruatione deijcerent, & ad incredulitatis nihilominus uerterent turbam, ſibiq; ſimiles efficerent. Propterea denicp ab initio cum fuiſſet omnis terra maculata peccatis, deus diluuium mũdo induxit, quod uos ſub Deucalione factum dicitis, & tunc unum quendam iuſtum cum filijs ſuis in arca reſeruauit, & cum eo omnium ſeminum, omniumq; animantium genus. Et tamen etiam qui ex ipſis nati ſunt, tempore intercedente, rurſus ſimilia prioribus agunt: obliuioni enim quæ acciderant data ſun , ita, ut poſteri ne hoc ipſum quidem crederent, quod diluuium factum eſt. Vnde & ſtatuit deus in preſenti ſeculo ultra non fieri diluuium, alioqui ſecundum rationem peccatorum, neceſſe erat etiam per ſingulas generationes hoc fieri infidelitatis gratia, ſed magis indulſit per ſingulas gentes, angelos quoſdam agere principatum, qui malis gaudent, quibus tamen ea conditione poteſtas aduerſum unũquenq; mortalium data eſt, ſi prius ſe ipſe quis peccando eis feciſſet obnoxium, do nec aduenire t ille qui bonis gaudet, et compleretur per ipſum numerus iuſtorum, & per omnem mundum creſcente multitudine piorum, aliqua ex parte reprimeretur impietas, & innoteſceret omnibus, quia omne quod bonum eſt, à deo fit. Ex arbitrij autem libertate unuſquiſq; hominũ dum incredulus eſt de futuris, per malos actus incurrit mala. Et hæc ſunt quæ uidentur in mundo contra ordinem geri, quibus cauſas, ut eſſent, infidelitas dedit. Mirãda igitur per omnia eſt diuinæ prouidentiæ diſpenſatio, quæ his qui initio fuerint, bonam quidem uiam uitæ incedentibus, bonis incorruptibilibus dedit perfrui: ubi uero peccauerunt, mali originem peccato pariente ſumpſerunt. Et unicuique bono quaſi quodam coniugij fœdere, ex parte peccati ſociatum eſt malum, quoniamquidem humano ſanguine terra polluta eſt, & aræ dæmonibus ſuccenſæ, aërem quoque ipſum inceſto ſacrificiorum fumo temerarunt, & ita demum corrupta prius elementa, hominibus corruptelæ uitium, uelut radices ramis ac fructibus tradiderunt. Vide ergo in hoc, ut dixi, quàm iuſte uitiatis rebus prouidentia diuina ſuccurrit, ut quoniam bonis dei, mala quæ ex peccato originem ſumpſerant, ſociata ſunt, duabus his partibus, duos principes poneret, & ei qui bonis gaudet, bonorum ordinem, qui ad fidem prouidentiæ ſuæ, credentes adducere ſtatuit: ei uero qui malis gaudet, ea quæ contra ordinem & inutiliter geruntur, ex quibus ſine dubio etiam prouidentiæ fides in dubium ueniat, & habita eſt per hoc à iuſto deo iuſta diuiſio. Hinc ergo eſt quod cum ordinatus aſtrorũ curſus, fidẽ faciat manu artificis conditũ mundum, rurſum conturbatio aëris, aura peſtilens, fulminum uagi ignes, prouidentiæ opus refellant. Habent enim, ut diximus, ſingula quæque bona, contraria & coniuncta ſibi mala, ut fœcundis imbribus, grando inimica eſt, ut rori placido, rubiginis eſt ſociata corruptio, ut uentis lenibus, procellarum turbines iuncti ſunt, fructuoſis arboribus, infructuoſæ, herbis utilibus, noxiæ, animalibus mitibus, fera & pernicioſa connexa ſunt. Hæc autem omnia poſita ſunt à deo, pro eo quod homi-

Peccatũ diluuio ultus eſt deus.

Omne bonum à deo.

Malũ bono tanquam ex fœdere adhæret.

hominibus uoluntas arbitrij à bonorũ propoſito diſceſſit, et declinauit ad mala. Igitur in omnibus mũdi rebus habetur iſta diuiſio: & ſicut ſunt pij, ita & impij: ut ſunt prophetæ, ita & falſi prophetæ. Sed & apud gentiles ſunt philoſophi, ſunt & falſi philoſophi. Iudæorũ quoq; circunciſionẽ Arabicæ gentes, aliæq; plurimæ ad miniſteriũ ſuæ impietatis imitati ſunt. Sic et diuino cultui eſt contrarius dæmonũ cultus, & baptiſmo baptiſmus, & legi leges, & apoſtolis pſeudapoſtoli, & doctoribus falſi doctores. Et inde eſt unde apud philoſophos, alij adſerant prouidentiã, alij negant, alij unũ deũ, alij plures defendunt. Vſq; ad hoc res deniq; acceſſit, ut cum uerbo dei fugentur dæmones, per quod eſſe prouidentia declarat, inuenerit ars magica ad infidelitatẽ confirmandã, quomodo etiam hoc ex contrarijs imitet. Sic ſerpentum uenena mitigare carminibus inuentũ, & uerbo ac poteſtati dei cõtrarias inducere ſanitates. Angelis quoq; dei contraria reperit ars magica miniſteria, animarũ ſuſcitationes contra hæc, & figmenta dæmonũ ponens. Et ne multa enumerando, ſermonem longius trahã, nihil omnino eſt quod fidem prouidentiæ faciat, & non habeat è contrario aliud ad infidelitatẽ paratũ: & ideo qui ignorant iſtam diuiſionẽ rerum, pro his quæ à ſemetipſis diſcordant in mundo, non putant eſſe prouidentiam. Sed tu pater, quaſi uir ſapiens, ex iſta diuiſione elige partem quæ ordinem ſeruat, & fidem prouidentiæ facit, & non ſolum ſequaris illam partem quæ contra ordinem currit, & prouidentiæ derogat fidem. Ad hæc Senex reſpondit: Da mihi uiam filiqua poſſim ex duobus iſtis ordinibus, quorum alter adſerit, alter refutat prouidentiam, unum aliquem in meis ſenſibus confirmare. Rectum, inquit Aquila, habenti iudicium facile diſcrimen eſt: nam & hoc ipſum, quod ais, ordo & inordinatio, ab artifice fieri poteſt: nam uerbi gratia ponamus de excelſa rupe abruptum ſaxum in præceps ferri, idq; inliſum ſolo in multa fragmenta comminui, nunquid euenire ullo modo poteſt, ut in illa multitudine fragmentorũ, inueniatur unum ſaltem fragmentum, in quo perfecta aliqua ſpecies per omnia habeatur ac forma? Et Senex reſpondit: Non poteſt. Quod ſi adfit, inquit Aquila, ſignorum artifex, exciſum de monte ſaxum manu artifici & ſenſu rationabili formare in quam uelit ſpeciem poteſt. Et Senex: Verum, inquit, iſtud eſt. Ergo, ait Aquila, ubi ſenſus non eſt rationabilis, nulla ſpecies ex integro formari poteſt: ubi autem ſenſus eſt artifex, ibi & forma, & informitas eſſe poteſt: uerbi gratia, ſi excidat è mõte ſaxũ artifex cui formam uelit imponere, neceſſe eſt ut id primo informe cędat et barbarũ, tum deinde paulatim excudens, & ad libram ſuæ artis exculpens, exprimat formam quam mente cõceperit. Ita ergo ex informitate uel deformitate, artificis manu peruenitur ad formam, & utrũq; ab artifice procedit: ſimili igitur modo, & ea quæ in mũdo geruntur, per artificis prouidentiam fiunt, etiamſi minus ordinata uideantur. Et ideo, quia tibi duę iſtę innotuerũt uię, earũq; accepiſti diuiſiones, fuge infidelitatis uiam, ne fortè perducat te ad illum principẽ, qui malis gaudet: ſequere fidei uiam, ut peruenire poſſis ad regem illum qui bonis hominibus gaudet. Ad hæc Senex reſpondit: Cur autẽ & princeps ille qui malis gaudet factus eſt, & unde factus eſt, aut non eſt factus? Aquila ait: Alterius temporis eſt iſte tractatus: uerum ne expers abeas etiam huis reſponſionis, pauca tibi de hoc quoque inſinuabo. Præſcius omnium deus ante conſtitutionem mundi, ſciens quia futuri homines alij quidem ad bona, alij uero ad contraria declinabunt, eos qui bona eligerint ſuo principatui, & ſuæ curæ ſociauit, atque hæreditatem ſibi eos propriam nominauit: eos uero qui ad mala declinarent, angelis regendos permiſit, his qui non per ſubſtantiam, ſed per propoſitum cum deo permanere noluerunt, inuidiæ & ſuperbiæ uitio corrupti: dignos ergo dignorum principes fecit. Ita tamen eos tradidit, ut non habeant poteſtatem in eos faciendi quod uolunt, niſi ſtatutum ſibi ab initio terminum tranſeant. Hic eſt autem ſtatutus terminus, ut niſi quis prius fecerit dæ-

Arabes circũcisionem Iudæorũ ſunt imitati.

Abuſus multarum ſunt.

monum uoluntatem, dæmones in eo non habeant potestatem. Et Senex ait: Magnifice prosequutus es fili, supereſt nunc ut dicas unde est substantia mali: si enim à deo facta est, fructus malus radicem culpabilem docet, uidetur enim & ipsa malæ naturæ: si uero coæterna fuit hæc substantia deo, quomodo potest quod æqualiter ingenitum & coæternũ est, alteri esse subiectum? Non semper fuit, inquit Aquila: sed neq; si ex deo facta est, continuò necesse est, etiam conditorem eius talem uideri, quale est illud, quod ab eo factum est: nam substãtias quidem deus fecit omniũ. Sed si rationabilis mens quæ à deo facta est, nequaquam conditoris sui legibus adquiescit, & modum statutæ sibi temperantiæ excedit: quid hoc ad conditorem spectat? uel si aliqua est ratio hac superior, ignoramus: neq; enim de singulis ad perfectum scire possumus, & de his præcipue pro quibus non sumus iudicãdi cur ignoremus. Ea uero pro quibus iudicandi sumus, facillima sunt ad intelligendũ, et penè uno sermone absoluuntur. Omnis enim propemodum actuum nostrorum in eo colligitur obseruãtia, ut quod ipsi pati nolumus, ne hoc alijs inferamus: sicut enim ipse occîdi non uis, caueas oportet, ne aliũ occidas. Et sicut tuũ non uis uiolari matrimonium, nec tu alterius macules thorum: furtum pati non uis, nec ipse facias: & intra hanc regulam humanorum gestorum singula quæq; concurrunt. Tum Senex: Ne ægre, inquit, accipias fili, quod dicturus sum: sermones tui quamuis ualidi sint, non possunt tamen flectere me ut credam, fieri aliquid posse extra Genesim. Scio enim omnia mihi necessitate Geneſis accidisse, & ideo suaderi mihi nõ potest, quia uel bene, uel male agere in nostra potestate sit: & si actus nostros in potestate non habemus, non potest credi futurum esse iudicium, per quod uel malis pœnæ, uel bonis præmia tribuantur. Denicq; quoniam te imbutum uideo in huiuscemodi disciplinis, pauca tibi ex ipsa arte proferam. Si, inquit Aquila, ex ipsa disciplina adstruere aliquid cupis, frater meus Clemens tibi diligentius respõdebit, qui plenius sciẽtiam matheſis adtigit: ego enim alijs uijs adserere possum, quod actus nostri in nostra sint positi potestate: ista autem quæ non didici, præsumere non debeo. Cum hæc Aquila dixisset, ego Clemens, crastino, inquam, dices pater ut uoles, & audiemus libẽter, nam & te puto gratè habiturum, quod cum his tibi erit sermo, qui expertes non sunt eius quam protuleris disciplinæ. Cum ergo placuisset inter me & Senem, ut sequenti die disputatio nobis de ratione Geneſis haberetur, utrum omnia ex ea fierẽt, an esset aliquid in nobis, quod non Geneſis, sed animi iudicium gereret, Petrus surrexit, & sermonem facere hoc modo cœpit: Mirum mihi admodũ est, quod res quæ facile inueniri possunt, homines exquisitis cogitationibus ac uerbis difficiles faciunt, & hi maxime qui uidentur sibi sapientes, quiq; uolentes dei uoluntatem comprehendere, quasi homine utũtur deo, imò & si quid minus: nam hominis consilium uel sensum scire nemo potest, nisi ipse prodat quid cogitauerit: sed neq; artem quis discere potest, nisi multo tempore à magistro fuerit imbutus: quãto magis inuisibilis & incõprehensibilis dei, neq; sensum, neq; opus scire quis potest, nisi ipse mittat prophetam, qui enarret consilium suum, et uiam conditionis exponat, in quantum discere hominibus fas est. Vnde ridiculum puto, cum naturalibus uijs de uirtute dei homines iudicant, & putant hoc quidem ei esse possibile, illud uero impossibile, aut hoc maius, illud minus, ignari omnium, qui cum sint homines iniusti, iudicant deum iustum, artificem imperiti, incorruptibilem corrupti, factura factorem. Et nolo putetis, quia hæc dicens iudicandi de rebus perimo facultatem, sed consilium do ne per diuina quis incedens, sine fine incurrat errores. Et ideo non solum sapientibus, sed & omnibus hominibus, qui desiderium gerunt agnoscendi quod sibi expedit, suadeo, ut requirãt uerum prophetã, quia ipse solus est, qui nouit omnia, & scit quid, & quomodo unusquisq; quærat. Inest enim intra uniuscuiusq; nostrum mentem, sed in illis quidem, qui desiderium dei agnitionis,

Christiani quædam tutius ignorant, quàm inuestigant.

Clemens matheſeos fuit doctus.

tionis, & iustitiæ eius nullum gerunt, ociatur. In his uero qui quod animæ suæ expedit quærunt, operatur & scientiæ lumen accendit. Propter quod primo omniũ hunc requirite, quem si non inueneritis, ab alio uos agnituros aliquid non speretis. Inuenitur autem citò ab his qui ueritatis amore perquirunt, & quorũ anima præoccupata non tenetur in malitia. Adest enim his qui eum in innocentia spiritus sui desiderant, qui per patientiam sustinent, & suspiria de profundo cordis, ueritatis amore producunt: fugit autem maleuolas mentes, quia ut propheta, cognoscit cogitationes uniuscuiusq;. Et ideo nemo putet eum per prudentiam suam inuenire posse, nisi, ut suprà diximus, mentem suam omni nequitia uacuam effecerit, atque agnitionis eius desideriũ purum & fidele conceperit. Vbi enim talem se quis præparauerit, ipse, ut propheta, uidens præparatã mentem, sponte se adhibet ad agnoscendum. Si quis igitur uult omnia discere, non per singula discutiens, neq; enim poterit, cum sit mortalis, dei inuestigare cõsilium, & ipsam immensitatem perscrutari: sed si discere, ut diximus, omnia desiderat, uerum prophetam requirat. Quem cum inuenerit, non quæstionibus & disputationibus, neq; argumentis cum eo agat, sed si quid responderit, si quid pronunciauerit, hoc certum esse, non potest dubitari. Et ideo quæratur uerus propheta ante omnia, & eius uerba teneant: in quibus illud tantummodo discutiendum unicuiq; est, ut satisfaciat sibi, si uere prophetica eius uerba sunt, id est, si indubitatam fidem continent futurorum, si tempora definita consignant, si rerum ordinem seruant, si non quæ prima sunt, nouissima, et quæ in nouissimis gesta sunt, prima narrarunt, si nihil uersutũ, nihil magica arte ad decipiendũ compositũ continent, aut si non quæ alijs reuelata sunt, ad se transtulerit, admixtis mendacijs. Et cum his omnibus recto iudicio discussis, uerba constiterit esse prophetica, ita demum credi eis de omnibus quibus dixerint, & responderint, debet. Etenim cõsideremus diligẽtius opus diuinæ prouidẽtiæ. Nam quod philosophi introduxerunt uerba subtilia quędam & difficilia, ita ut ne ipsa quidem uocabula sermonum, nota esse omnibus possent & intelligibilia, deus eos qui sibi artifices uerborum uidebantur, per omnia imperitos esse erga agnitionem ueritatis ostendit. Simplex enim est, & manifesta, ac breuis rerũ scientia, quæ per uerum prophetam traditur, quam isti per deuia incedentes, & scrupeas uerborũ difficultates, tota ignorauerunt uia. Igitur uerecũdis & simplicibus mentibus, cum uiderint fieri quæ prædicta sunt, satis abundeq; sufficit, ut de certissima præscientia, certissimam scientiam capiant, & de cætero requiescant, euidenti agnitione ueritatis adsumpta: cætera omnia æstimatione tractantur, in quibus firmum nihil esse potest. Quis enim sermo est, qui non recipiat contradictionem? & quæ argumentatio est, quæ non possit alia argumentatione subuerti? & inde est quod ad nullum finem scientiæ & agnitionis per huiusmodi disputationem peruenire homines possunt, priusq; finem uitæ inueniunt, quàm quæstionũ. Et ideo cum in his omnia habeantur incerta, ad uerum prophetam ueniendum est: quem deus pater uolens ab omnibus diligi, hæc quæ homines induxerunt, in quibus nihil potest adprehendi, uoluit penitus extinguere, ut eò magis iste quæreretur, & quam illi obcluserãt, hic hominibus uiam ueritatis aperiret. Propter hunc enim deus etiam mundum fecit, & ab ipso mundus repletur, unde & quærentibus se adest ubiq;, etiãsi in ultimis terræ finibus quærat. Si uero non purè eum quis, nec sancte, neq; fideliter quærat, intra ipsum quidem est, quia ubiq; est, & intra sensus omnium inuenitur: sed, ut suprà diximus, infidelibus dormit, & absens habetur his, à quibus esse non creditur.

Cumq; hæc & alia huiusmodi Petrus de uero propheta prosequutus esset, turbas dimisit. Senem uero cum rogasset plurimum permanere nobiscum, obtinere non potuit, sed & ipse discessit, alia die, sicut placuerat, rediturus. Et post hæc nos unà cum Petro ingressi hospitium cibo & quiete solito utimur.

Christus in nonnullis hominibus ociosus est.

Prudẽtia humana cæcutit in rebus diuinis.

Habes albã, ut ita dixerim, lineam ad quam exigas prophetias.

Logodædalos & architectos uerborũ appellat Cicero.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER NONVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.

SEQVENTI die Petrus unà nobiſcum mature ad locum, in quo pridie habita fuerat diſputatio, properauit, atque ibi cum plurimas iam ad audiendũ conueniſſe turbas, & Senem cum eis uideret, ait ad eum: Heſterno die ô Senex, cum Clemente placuerat ut hodie ſermo fieret, & aut tu oſtenderes nihil extra Geneſim fieri, aut Clemẽs doceret Geneſim non eſſe. Ad hæc Senex reſpondit: Et quid placuerit memini, & tua uerba teneo, quæ poſt pactiones loquutus es, quibus docuiſti impoſſibile eſſe homini ſcire aliquid, niſi à uero propheta didicerit. Et Petrus: Neſcis, inquit, quomodo dixerim, ſed nunc te ego commonebo: de uoluntate dixi, & conſilio dei, quam habuit priuſquam mundus eſſet, et quo conſilio fecerit mundum, tempora ſtatuerit, legem dederit, iuſtis ad bonorum remunerationem futurum ſeculum promiſerit, iniuſtis pœnas ex iudicij ſententia ſtatuerit: hoc ego dixi conſilium, & hanc uoluntatem dei, ab hominibus inueniri non poſſe, quia nemo hominum poteſt ſenſum dei coniecturis & æſtimatione colligere, niſi propheta ab eo miſſus enunciet. Non ergo de quibuſcũq; diſciplinis, aut ſtudijs dixi, quia inueniri ſine propheta, aut ſciri non poſſint: quippe qui ſciam & artificia, & diſciplinas ſciri, & exerceri ab hominibus, quas non à uero propheta, ſed à magiſtris hominibus didicerint. Quoniam ergo te profeſſus es gnarum eſſe poſitionis ſyderũ, & ſtellarum curſus, ex quibus conuinceres Clementẽ, quod Geneſi omnia ſubiaceant, aut ab ipſo diſceres, quod per prouidentiam reguntur uniuerſa, & eſt etiam aliquid in nobis, hoc expedire uos conuenit. Ad hæc Senex reſpondit: Iam quidem neceſſarium non erat huiuſmodi mouere quæſtiones, ſi poſſibile eſſet nobis à uero propheta diſcere, & audire definita ſententia, quia ſit aliquid in nobis, & in arbitrij poſitum libertate: ualde enim me ſermo tuus mouit heſternus, in quo de uirtute prophetica diſputaſti: unde & ego aſſentio, & confirmo ſententiam tuam, quia nihil poteſt ab homine certum indubitatumq; cognoſci, cui & exiguum uitæ tempus eſt, & breue ac tenue ſpiramen, quo retineri uidetur in uita. Veruntamen quoniam priuſquam de prophetica uirtute aliquid audirem, pollicitus uideor Clementi, ut oſtenderem, quia omnia ſubiecta ſunt Geneſi, aut ab ipſo diſcerem, quia eſt aliquid & in nobis, præſtet mihi ipſe in hoc gratiam, ut primus incipiat, et quæ obijci poſſunt, proponat & abſoluat: ego enim, ex quo paucis à te audiui de uirtute prophetiæ, magnitudinẽ præſcientiæ conſiderans, obſtupui fateor, nec omnino recipiendum quicquã cenſeo, quod coniecturis & æſtimatione colligit. Et cum hæc Senex dixiſſet, ego Clemens dicere ita cœpi: Deus per filium ſuum creauit mundum, tanquam duplicem domum, interiectu firmamenti huius, quod cœlum appellatur, diſtinctam, & in ſuperiori quidem angelicas habitare uirtutes, in iſto autem uiſibili mundo, naſci hominum multitudinem dedit, ex quibus eligeret amicos filio ſuo, cum quibus lætaretur, & qui ei tanquam ſponſo, dilecta ſponſa pararentur. Verum uſq; ad nuptiarum tempus, quod eſt præſentia ſeculi uenturi, ſtatuit uirtutem quandam, quæ ex his quæ in hoc mundo naſcuntur, eligat & cuſtodiat meliores, ac ſeruet filio ſuo, ſequeſtratos in loco quodã mundi, qui extra peccatum eſt, in quo iam ſunt aliquãti, qui ibi uelut ſponſa, ut dixi, decora, ad ſponſi præſentiam præparantur. Nam mũdi huius, & præſentis temporis princeps, adultero ſimilis eſt, qui mentes hominum corrumpit, ac uiolat, & à deſiderio ueri ſponſi ſeducens, inlicit ad aliena deſideria.

Cõiecturis non relinquitur locus in rebus diuinis.

Sed

Sed dicit aliquis: Quid ergo neceſſe erat iſtum principem fieri, qui à uero principe mentes hominum declinaret? Quoniam deus qui, ut dixi, filio ſuo amicos uoluit præparare, non eos tales eſſe uoluit, qui neceſſitate naturæ, aliud quid eſſe nõ poſſent, ſed qui arbitrio ſuo, & uolũtate, boni eſſe deſiderarent: quia nec laudabile eſt, quod non eſt deſiderabile: nec bonum iudicatur, quod non propoſito expetitur: nihil enim laudis eſt id eſſe, à quo te mutari naturæ neceſſitas non ſinat. Prouidentia ergo dei, hominũ multitudinem naſci in hoc mundo uoluit, ut ex pluribus eligerentur qui iuſtam diligerent uitam. Et quia præſentem mundum præuidit non aliter poſſe, niſi diuerſitate & inæqualitate conſtare: ſecundum præſentium rerum diuerſitates, unicuiq; menti libertatẽ motuum dedit, & hũc principem poſuit, quo ea quæ contraria uidentur agitante, electio meliorũ uirtutis opere conſtaret. Sed ut planius fiat quod dicimus, per ſingula exponemus. Nunquid omnes, uerbi gratia, oportebat eſſe in hoc mundo reges, aut principes, aut dominos, aut pædagogos, aut legiſperitos, aut geometras, aut aurifices, aut piſtores, aut fabros, aut grammaticos, aut diuites, aut agricolas, aut olitores, aut piſcatores, aut pauperes? hęc certum eſt, quia omnes eſſe non poterant. Omnia tamen hæc officia, & multo plura, præſens uita hominum requirit, & ſine his tranſigi nõ poteſt: eſt ergo neceſſaria in hoc mundo inæqualitas. Non enim poteſt eſſe rex, niſi habeat quos regat, & quibus imperet: necq; poteſt eſſe dominus, niſi habeat cui dominetur: & cætera ſimiliter. Sciens ergo conditor à nullo ſponte ueniri ad agonẽ, dum refugitur labor, hoc eſt, ad exercendas artes iſtas quas ſuprà diximus, per quas uel iuſtitia uniuſcuiuſq;, uel miſericordia manifeſtari poteſt, corpus homini fecit, quod famem, & ſitim, & frigus reciperet, ut reficiẽdi corporis cauſa cõpulſi homines, ad omnes, quas ſuprà expoſuimus, artes, uictus neceſſitate deſcenderent. Cibi enim & potus atq; indumenti gratia, ſingulas quaſq; artes expetere edocemur. Et hic iam uniuſcuiuſque mentis propoſitum declaratur, utrum neceſſitatẽ famis & frigoris, per furta & homicidia, ac periuria ſarciat, perq; alia huiuſmodi ſcelera: an iuſtitiam, miſericordiã, continentiamq; cuſtodiens, artis ſtudio & manuum labore, imminentis neceſſitatis expleat miniſteriũ. Si enim cum iuſtitia & pietate, ac miſericordia, neceſſitatem corporis tranſigat, uelut propoſiti agonis uictor, amicus filij dei, & electus abſcedit. Si uero per fraudes, per iniquitates, & ſcelera, cõcupiſcẽtijs deſeruit corporalibus, principibus mundi, atq; omniũ dæmonũ amicus efficitur: à quibus etiam hoc edocetur, ut ſtellarũ curſibus, malorum ſuorum adſcribat errores, quod non niſi propoſito ac uoluntate delegit. Etenim artes cogente, ut diximus, cibi ac potus uoluptate, diſcuntur & exercentur: quæ uoluptas, cum adceſſerit unicuiq; ueritatis agnitio, infirmior efficitur, ſuccedente parſimonia: quantus enim ſumptus eſt, aqua & pane utentibus, & huncà deo ſperantibus? Eſt ergo, ut diximus, neceſſaria quædam in diſpenſatione mundi inæqualitas, dum omnes quidem homines, non omnia poſſunt ſcire, uel implere artificia, uſu tamen & miniſterio omniũ, penè omnes indigent: & ob hoc neceſſe eſt alium operari, alium operanti præbere mercedem, alium ſeruire, alium dominari, alium regi, alium regere: ſed hanc inæqualitatẽ quę mortalium uitam neceſſariò ſubſequuta eſt, diuina prouidentia in occaſionẽ iuſtitiæ, miſericordię, humanitatiſq; conuertit, ut dum hæc inter homines aguntur, ſit unicuiq; cauſa iuſte agendi cum eo, cui merces operis exoluenda eſt, & faciendi miſericordiam cum eo, qui debilitate fortaſſis, aut penuria intercedente, debitum ſoluere non poteſt. Sed & humane agendi cum his qui cõditione uidentur obnoxij: manſuetudinem quoq; conſeruandi erga ſubiectos, & omnia prorſus gerendi ſecundum legem dei: dedit enim legem, iuuans per hoc humanas mentes, ut facilius erga unumquodq; qualiter agi deberet, aduerterent, qua uia effugerent malum, & qua ad futura tenderent bona, & ut in aqua regenerati per opera bona, ignem

Venter artismę gister eſt.

Parſimonia Chriſtianis magnũ uectigal eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ natiuitates hominum.

uetustæ natiuitatis extinguerent. Prima enim nostra natiuitas, per ignem concupiscentiæ descendit, & ideo dispensatione diuina. Secunda hæc per aquam introducitur, quę restinguat ignis naturam, & cœlesti spiritu anima inluminata, metum primæ natiuitatis abijciat: si tamen ita de reliquo uiuat, ut nullas omnino mũdi huius uoluptates requirat, sed sit tanquam peregrinus & aduena, atq; alterius ciuitatis ciuis. Sed fortasse dicas, quia in his quidẽ, in quibus naturalis necessitas, exigit artium operumq; ministerium, potest unusquisq; habere in potestate, seruare iustitiam, & modum, uel desideriis, uel actibus quẽ uelit imponere: quid de ægritudinibus dicemus, & infirmitatibus, quæ accidunt hominibus, & quod dæmonibus nonnulli urgentur, & febribus, & frigoribus, nõnulli etiam furore agunt, & mente excidunt, & omnia illa, quæ innumeris casibus premunt mortalium genus? Ad hæc dicemus, si consideret quis totius ministerij rationem, hæc illis, quæ suprà exposuimus, iustiora esse pronunciabit: Deus enim hominibus naturam dedit, per quam & doceri possint de bono, & obsistere malo, id est, ut & artes possint discere, & obsistere uoluptatibus, ac preferre in omnibus legẽ dei, & ob hoc uirtutes quasdam contrarias, oberrare mundũ hunc, & obluctari nobiscũ permisit, propter causas quæ iam superius dictæ sunt, ut ex earum certamine, oriatur iustis palma uictoriæ, & meritum premiorum. Ex istis ergo accidit interdum, ut si qui incontinenter egerint, & non tantũ obsistere, quàm cedere atq; in semetipsis dare eis uoluerint locum, noxia earum adspiratione generẽt intemperata, & uitiosa progenies. Dum enim totum libidini indulgetur, & obseruatio nulla coëundi est, illorum sine dubio dæmonũ, quibus hæc perurgentibus fiunt, uitia & fragilitates suscipit importuna generatio. Et ideo pro huiusmodi uitijs natorũ, obnoxij erunt parentes, qui legem seruare cõcubitus noluerũt: licet sint & aliæ causæ secretiores, quibus his malis obnoxiæ efficiunt animæ, quas nũc proferre temporis nõ est. Tamen oportet unumquemq; agnoscere legem dei, ut ex ea generandi obseruantiã sumat, & immunditiæ causas declinet, ut possit mundũ esse quod gignitur. Necq; enim fas est, ut nõ in plantandis quidem uirgultis, uel in seminandis frugibus, opportunũ tempus quęratur, terra purgẽt, atq; omnia quæ conuenit preparentur, ne fortè semen iactum lædatur & pereat, & in solo homine, qui est super hęc omnia, serẽdi obseruatio nulla habeatur, nulla cautela. Sed quid, quod nõnulli, inquit, cum in prima ętate absq; uitio fuerint corporali, processu temporis incurrũt hæc mala, ita ut aliquanti etiam uiolenter precipitentur in mortem? Etiam de his uicina, & penè eadem ratio est: illæ enim, quas diximus contrarias humano generi potestates, ad uniuscuiusq; cor, per multas & diuersas concupiscentias inuitantur quodãmodo, & ingrediendi accipiunt locum: estq; hæc in illis uis & potestas, quæ hortetur & incitet tantum, non quæ cogat, & perficiat. Si ergo quis adquiescat eis, ut etiam agat ea quæ male desiderat, consensus sui & actus, mercedem perditionis & pessimæ mortis inueniet. Si uero futurũ iudiciũ cogitans, metu ipso fuerit repressus, & reuocauerit se, ne actu impleat, quod mala cogitatione concepit, effugiet non solũ perniciem præsentem, sed & futura supplicia. Omnis enim causa peccati, similis uidetur esse stuppæ picedi oblitæ, quæ ubi calorem ignis acceperit, statim inflãmatur: huius uero ignis incendium opera esse dæmonũ intelligantur. Si ergo inueniatur quis peccatis & concupiscentijs tanquã pice oblitus, ignis ei facillime dominat. Si uero non peccati pice, sed aqua purificationis & regenerationis infusa sit stuppa, ignis in ea dæmonũ non non ualebit accendi. Sed dicet aliquis: Et quid faciemus iam nos, quos cõtigit peccatis sicut pice oblitos? respondebo, nihil aliud nisi ut festinetis ablui, quo expurgẽt à uobis ignis materia, per inuocationem sancti nominis, & de reliquo futuri iudicij metu, cõcupiscentias refrenetis, atq; aduersarias potestates, cum fortè ad sensus uestros accesserint, tota obstinatione pellatis. Sed dicis: si in amorẽ quis inciderit, quomodo

Mundus nobis pro hospitio est non domo.

Natura hominũ capax boni.

Hæreditaria sunt liberis multa uitia corporis à parẽtibus.

Causa peccati similis est stuppæ oblitæ pice.

modo se poterit continere, etiamsi ante oculos suos, ipsum ignis fluuium, quem pyriphlegetonta nominant, uideat? Hæc excusatio est eorũ qui conuerti ad pœnitentiam nolunt. Denicq; nunc nolo pyriphlegetonta adducas in medium: hominũ tibi propone pœnas, & uide quantum ualeat metus: potest ne quisquã, cum pro amoris crimine ad supplicium ducitur, & ad stipitem conligatur urendus, in illo tempore eius quam amauit, uel desideriũ capere, uel speciem ante oculos proponere? Ne quaquã, inquies. Vides ergo, quia præsens metus, resecat iniqua desideria. Quod si credentes deo, & futurũ iudicium, pœnamq; ignis æterni confitentes, non se continent à peccato, certum est quod non plena fide credunt: si enim certa sit fides, certus sit & timor: si uero minus aliquid est in fide, relaxatur & metus, & tunc locũ inueniunt introëundi contrariæ potestates, quarum persuasionibus cum adquieuerint, necesse est, ut & potestati earum obnoxij fiant, & ipsis persuadentibus agantur ad præcipitia peccati. Igitur Astrologi ignorantes huiusmodi mysteria, putant stellarum cursibus ista contingere: unde & his qui accedunt ad eos, ut de futuris aliquid consulant, respondentes falluntur in plurimis: nec mirum, nõ enim sunt prophetæ, sed usu multi temporis autores eorum perfugium quoddam, in his quibus decipiebantur, inueniunt, & climateras quasdam introducũt, ut de rebus incertis scientiam fingant. Climateras enim dicunt, quasi periculi tempus, in quo interdum perimatur quis, interdum non perimatur, ignorantes quod non stellarum cursus hæc, sed dæmonum gerit operatio, qui ad astrologiæ errorem confirmandũ, deseruientes, calculis mathesis decipiunt homines ad peccandũ, ut cum uel deo permittente, uel legibus exigentibus, peccati dederint pœnas, uerum dixisse uideat astrologus: & tamen falluntur etiam in hoc: si enim citò conuersi fuerint ad pœnitentiam, & futuræ pœnæ recordationem conceperint ac metum, conuersis ad deum per gratiã baptismi, resoluitur pœna mortis. Sed dicet quis: Multi & homicidium, & adulterium, & alia scelera cõmiserunt, & nihil mali passi sunt. Hoc quidem raro accidit hominibus, tamen nescientibus consilium dei, frequenter uidetur accidere: deus autem qui nouit uniuersa, scit quomodo, & quare peccet, qui peccat, & quæ unumquemq; causa ducat ad peccatum. Hoc tamẽ generaliter agnoscendum est: quod si qui non ita mente, ut actibus mali sunt, proposito incitato ad peccandũ deuoluunt, his uelocior & magis in præsenti uita redditur pœna, ubicq; enim & semper deus prout competere iudicat, unicuiq; pro actibus suis reddit. Eorũ uero, qui proposito exercent malitiam, ita ut interdum etiam in eos sæuiant, à quibus bona consequuti sunt, & nullam recordationem capiunt ad pœnitentiam, differt pœnas in futurum, non enim merentur isti, sicut illi, de quibus suprà diximus, in præsenti uita scelerum suorum finire uindictam, sed permittitur eis præsens tempus implere, ut uolunt, quia emendatio eorum non est iam talis, quæ temporalibus indigeat castigationibus, sed quæ æterni ignis in inferno exigat pœnas, quorum animæ ibi pœnitentiam quærent, ubi inuenire non poterunt. Quod si in hac uita positi, illas quas ibi patient pœnas, ante oculos posuissent, refrenassent uticq; desideria, & nullo pacto decidissent in peccatum. Multum enim potest sensus in anima, ad resecandas omnes eius cupiditates, maxime cum cœlestium scientiam cœperit, per quam lumine ueritatis accepto, ab omni obscuritate malorum actuum declinauit. Sicut enim sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit, & contegit: ita & mens per scientiæ lucem, omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit & ociosas, futuri iudicij memoriam super eas tanquam radios suos emittens, ita ut ne apparere quidem ultra in anima queant. Quod autem timor dei multum ualeat ad deprimendas concupiscentias, cape humani timoris exemplum. Quotusquisq; est, qui non inter homines concupiscat aliena, & tamen metu pœnæ quæ legibus statuta est, refrenatur, & continentius agit? Regi propter metum gentes subiacent, & armatus

Metus fidei cõiunctus.

Climacterici anni Astrologorũ

Deus solus nouit quemadmodum fiant peccata, non ergo in his quicquã temere ab homine definiendum est.

Cognitio ueritatis ut sol, mẽtem illuminat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

paret exercitus. Serui cum sint ualidiores dominis suis, propter metum tamen imperia perferunt dominorū. Bestiæ ipsæ feræ metu mitescunt. Tauri ualidissimi, iugo colla submittunt, & immanes elephanti magistris obtemperant per timorem. Sed cur humanis utamur exemplis, cum etiam diuina non desint? nónne terra ipsa sub præcepti metu permanet, quod etiam motu sui & tremore testatur? Mare statutum terminum seruat, angeli pacem custodiunt, stellæ ordinem tenent, & fluuij meatus, dæmones quoq; certum est timore in fugam uerti. Et ne per singula sermonem longius producamus, intuere quomodo unumquenq; timor dei continens, cuncta in harmonia propria, & ordinis sui cōpage custodiat. Quanto magis ergo certi esse debetis, quia & dęmonū concupiscentiæ, quę in cordibus uestris oriuntur, admonitione timoris dei extingui possunt, & penitus aboleri, cum etiam ipsi incentores concupiscentiæ, metu sibi dominante diffugiant. Hæc ita se habere sciens, si quid tibi respondendū uidetur, incipe. Tum Senex: Sapienter, inquit, filius meus Clemens aptauit prosequutionē suam, ita ut nihil nobis ad hæc dicendum reliquerit: uerū omnis eius sermo, quem de natura hominis disseruit, hanc habet continentiam, quia cum eo quod ineſt libertas arbitrij, est extrinsecus & aliqua causa mali, ex qua per diuersas concupiscentias incitantur quidem homines, non tamen coguntur ad peccatū, pro eo, inquit, quod multo his ualidior est timor qui obsistat, & impetus desideriorū refrenet, ut cum naturales motus deciderint, effugatis his, qui eos incitant & inflammant dæmonibus, peccatum non possit admitti. Sed me hæc non adducunt ad fidem: conscius enim mihi sum quorundā, ex quibus bene noui, quia compaginatione stellarū, homines aut homicidæ, aut adulteri fiunt, cæteraq; perpetrant mala. Similiter autem & honestæ ac pudicæ fœminæ, ut bene agant inde coguntur. Denicq; cum Mars centrum tenēs, in domo sua ex tetragono respexerit Saturnum cum Mercurio ad centrum, Luna ueniente super eum plena, in Genesi diurna, efficit homicidas, & gladio casuros, sanguinarios, ebriosos, libidinosos, dæmoniosos, secretorū perscrutatores, maleficos, sacrilegos, & si qua sunt his similia, præcipue cum bonarū stellarū nulla respexerit. Sed & ipse rursus Mars ad Venerem schema tetragonum habens, ex parte ad centrū non respiciente aliquo bonorum, adulteros efficit, & sorores & filias & matres in coniugiū adducit. Venus cum Luna in finibus & domibus Saturni cum Saturno, si fuerit adtestante Marte, efficit mulieres quidē uiragines, ad agriculturam, ad structuram, & ad omne opus uirile promptas, miscerí quibuscunq; uoluerint, & non arguí à uiris pro adulterio, nulla uti mollitie, nō unguentis, nō uestibus, nō calciamentis muliebribus, sed uirorū forte agentes: uiros autem esse ut fœminas, nec quicquam uirile gerere. Cacodæmon Venus cum Marte si sit in ariete, efficit è contrario mulieres, si sit in caprærcornu aut aquario. Cumq; multa de his Senex prosequutus esset, & unumquodq; schema matheſis, stellarū quoq; positiones enumerasset, uolens per hæc ostendere, quia timor nō sufficiat refrenare cōcupiscentias, ego rursus respondi: Vere pater doctissime & eruditissime prosequutus es, & ipsa me ratio inuitat, aliquid ad ea quæ à te dicta sunt, respondere, quoniamquidē scientia mihi mathesis nota est, & libenter cum erudito uiro habeo sermonem. Accipe ergo ad ea quæ dixisti, ut euidenter agnoscas Genesim ex stellis omnino non esse, & quia possibile sit obsisti aduersum impugnationē dæmonum, ab his qui confugiunt ad deum, ac sicut prædixi, non solū per timorem dei naturales cohiberi cōcupiscentias posse, sed & per timorem hominū, sicut iam nūc edocebimus, leges sunt in unaquaq; regione uel regno ab hominibus positæ, siue scriptura, siue etiam usu durantes, quas nemo facile transgreditur. Denicq; primi Seres, qui initio orbis terræ habitant, necq; homicidium, necq; adulterium, necq; scortum nosse, necq; furtum cōmittere, neque idola uenerari, & in illa omni regione quæ est maxima, necq; templum inuenitur, necq;

Genethliacorū de aspectibus uanitas.

Timēt peccare mali formidine pœnæ.

necq; simulacrum, neque meretrix, necq; adultera, necq; fur ad iudicium deducitur, sed necq; occisus ibi homo fertur aliquando, & tamen nullius libertas arbitrij secundum uos à stella Martis ignita, ut ferro uteretur ad hominis necē, nec Venus cum Marte posita, alienum matrimonium compulit uitiari, cum uticq; apud eos, per singulos dies Mars mediū cœli circulum teneat. Sed est apud Seres legum metus uehementior, quàm Genesis constellatio. Sunt similiter & apud Bactras in regionibus Indorum immensæ multitudines Bragmanorum, qui & ipsi ex traditione maiorum, moribus, legibusq; concordibus, necq; homicidium, necq; adulterium cōmittunt, necq; simulacra colunt, necq; animantia edere in usu habent, nunquā inebriantur, nunquam malitiose aliquid gerunt, sed deum semper timent: & quidem cum cæteri Indorum & homicidia, & adulteria cōmittant, & simulacra colant, & inebrientur, atq; alia huiusmodi flagitia exerceant. Sed & in ipsius Indię nihilominus occiduis partibus, regio quædam est, ubi hospites cum inciderint, capti immolantur & comedūtur, & necq; bonæ stellæ uetuerunt eos ab huiusmodi flagitijs, & ab execrandis cibis, necq; malignæ stellæ cōpulerunt Bragmanas, ut aliquid agerent mali. Et rursus mos apud Persas, matres accipere in coniugium, & sorores & filias, & sub illo omni axe incesta Persę ineunt matrimonia. Ac ne forte liceat his qui mathesim sequūtur, uti illo perfugio quo dicunt, certas quasdam esse plagas cœli, quibus propria quædam habere conceditur, ex ipsa Persarū gente aliquanti ad peregrina profecti sunt, qui Magusæi appellātur, ex quibus usq; in hodiernū sunt alij in Media, alij in Parthia, sed & in Aegypto nōnulli, plures autem in Galatia, & Phrygia, qui omnes incestæ huius traditionis formā indeclinabilem seruant, ac posteris custodiendam transmittunt, etiam cum plagam cœli mutauerint, nec tamen eos Venus cum Luna in finibus & domibus Saturni, cum Saturno adtestante etiam Marte, compulit habere inter cæteros Genesim. Apud Gelos quoq; mos est, ut mulieres agricolētur, ædificent, & omne opus uirile perficiant, sed & miscerí quibus uolunt licet, nec incusantur à uiris, aut adulterę appellantur, passim enim concubitus miscent, & precipuè cum hospitibus, unguenta nesciunt, non induuntur uestę fucata, non calceis: è contra uiri Gelonum ornantur, pectuntur, indumentis mollibus & uarijs induuntur, auro compositi, unguentisq; delibuti, & hæc non pro dissolutione uirīū, sunt enim bellicosissimi, & uenatores acerrimi: nec tamen uniuersæ Gelonum mulieres, in caprærcornu aut aquario cacodæmonē Venerem nascentes habuere, necq; uiri eorū in ariete cum Marte Venerem positam, per quod schema, effœminatos & dissolutos nasci adserit uiros Chaldaica disciplina. Porrò uero in Susis, mulieres unguentis, & quidem optimis utuntur ornamentis, comptæ ex lapidibus preciosis, ministerijs quoq; ancillarū fultę procedunt, multo maiore ambitione quàm uiri, nec tamen pudicitiā colunt, sed indifferens eis cum quibuscunque uoluerint usus est, & seruis & hospitibus, tali licentia à uiris permissa: & nō solum non culpantur pro hoc, sed & dominantur in uiros. Nec tamen omniū Genesis mulierū Susidarum in medietate cœli, cum Ioue & Marte Venerem in Iouis domibus habent. In ulterioribus oriente partibus, si puer muliebri se substernat iniurię, cum agnitum fuerit, à fratribus, aut parentibus, uel quibuslibet proximis interficitur, nec sepultura donatur. Et rursus apud Gallos lex prisca constituit, nuptum tradi publice pueros, nec obprobriū ex hoc aliquod duci: & nunquid possibile est, ut omnes qui tam turpiter succumbūt apud Gallos, Luciferum cum Mercurio in domibus Saturni & finibus Martis habuerint? In Britanniæ partibus, plures uiri unam habent uxorem, in Parthia multæ mulieres unum habent uirum, & utraq; orbis pars, moribus suis atq; institutis obsequitur. Amazones omnes non habent uiros, sed sicut animalia, semel in anno circa uernale æquinoctiū proprios egressæ terminos, finitimæ gentis uiris miscentur, solennitatē quandā per hoc obseruantes,

Seres.

Bactræ.

Bragmani.

Scythotauros eos esse ex libro quinto Plinij ad paret.

Persæ.

Magusæi.

Gelonum gens talis, qualis est apud Soli. Pandea.

Susidæ mulieres.

Britanni multi unam uxorem habent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex quibus cum conceperint, redeunt, & ſi marem pepererint, abijciunt, fœminas nutriunt. Cumq; unius temporis ſit omnium partus, abſurdum eſt, ut in maribus quidem putetur Mars cum Saturno in tempore æquis eſſe portionibus, in fœminarum uero Geneſi nunquã. Sed neq; Mercurium cum Venere habuiſſe in domibus proprijs poſitũ, ut uel pictores ſibi, uel ſculptores, uel trapezitas efficiat: aut in domibus Veneris, ut unguentarios, uel uocales, uel poëtas producat. Apud Sarracenos & ſuperiores Libes & Mauros, & circa ora maris Oceani habitantes, ſed & in extremis Germanię partibus, & apud Sarmatas, & Scythas, atq; omnes quę ſub axe Septentrionis iacent, pontici littoris gentes, & in Chryſea inſula, nunquam inuenitur trapezita, nec ſculptor, aut pictor, aut architectus, aut geometres, aut tragœdus, aut poëta: ergo deficit apud eos Mercurij, Veneriſq; conſtellatio. Ex omni orbe terrarũ Medi tantũmodo ſumma obſeruantia, adhuc ſpirantes homines, canibus deuorandos abijciunt, & non ob hoc Martem cum Luna per diurnam Geneſim in cancro poſitos habent. Indi mortuos ſuos incendunt, cum quibus & uxores defunctorũ, ſponte ſe offerentes exuruntur. Sed non ideo omnes quę uiuæ incenduntur Indorum mulieres, in nocturna Geneſi ſub terra habent ſolem cum Marte in partibus Martis. Germanorum plurimi laqueo uitam finiunt, nec idcirco omnes Lunam cum hora, Saturno & Marte circũcinctas habent: ſed non in omni gente, & in omni die per omnem diuerſitatem Geneſis naſcuntur homines. Ex quibus omnibus apparet, quia metus legum in unaquaq; regione dominatur, & arbitrij libertas, quę eſt hominibus inſita per ſpiritũ, obtemperat legibus, nec cogere poteſt Geneſis aut Seres homicidium cõmittere, aut Bragmanos carnibus ueſci, aut Perſas inceſta uitare, uel Indos non exuri, aut Medos non à canibus deuorari, Parthos non habere plures uxores, aut mulieres Meſopotamię nõ ſeruare pudicitiam, Græcos nõ exerceri paleſtris, Gallorũ pueros non pati muliebria, uel gentes barbaras Græcorum ſtudijs inſtitui, ſed, ut diximus, unaquæq; gens ſuis legibus utitur pro libertatis arbitrio, & decreta Geneſis legũ ſeueritate depellit. Sed dicet aliquis eorũ qui in diſciplina matheſis eruditi ſunt, Geneſim in ſeptem partes dirimi, quæ illi climata appellant, dominari uero unicuiq; climati, unam ex ſeptẽ ſtellis, & iſtas quas expoſuimus diuerſas leges, non ab hominibus poſitas, ſed ab iſtis principibus ſecundum uniuſcuiuſq; uoluntatem, & hoc quod ſtellę uiſum eſt, legem ab hominibus obſeruatam. Ad hæc ergo reſpondebimus, quod primo quidem nõ eſt in ſeptem partes orbis terræ diuiſus: tum deinde, & ſi ita eſſet, in una parte & in una regione inuenimus multas differẽtias legum, & ideo neq; ſeptem ſunt ſecundũ numerum ſtellarum, neq; duodecim ſecundũ numerum ſignorũ, neq; XXX. & VI. ſecundũ numerum decanorũ, ſed ſunt innumeræ. Meminiſſe autem debemus eorum quæ ſuprà enumerata ſunt, quod in una Indiæ regione ſunt, & qui hominum carnibus ueſcantur: † & ſunt qui etiã à pecudibus uel auibus, omnibusq; animantibus abſtineant. Et quia Maguſæi non ſolum in Perſide matres ac filias accipiunt in matrimoniũ, ſed & in omni gente, ubicunq; habitauerint, malorũ ſuorum inceſta inſtituta cuſtodiunt. Tum præterea & innumeras gentes memorauimus, quæ penitus ſtudia neſciunt literarum, ſed & aliquanti ſapientes uiri, ipſas leges in nonnullis cõmutauerunt locis, alię uero etiã ſponte pro ſui uel impoſſibilitate, uel inhoneſtate derelictæ ſunt, certe quod in promptu eſt noſcere, quanti Imperatores gentiũ quas uicerant leges & inſtituta mutarunt, & ſuis eas legibus ſubiecerunt: quod euidenter à Romanis factũ docetur, qui omnem penè orbem, omnesq; nationes proprijs primo & uarijs legibus inſtitutisq; uiuẽtes, in Romanorũ ius & ciuilia ſcita uerterunt. Supereſt ergo ut & ſtellę gentiũ, quæ à Romanis uictę ſunt, climata ſua partesq; perdiderint. Addam adhuc rem, quæ poſſit etiã ualde incredulis ſatisfacere. Iudęi omnes qui ſub lege Moyſi uiuunt, filios ſuos octaua die abſq; ulla dilatione circuncidunt, & infantis teneri ſanguinẽ fundunt: à ſeculo autem nullus ex gentibus hoc die octaua perpeſſus eſt, & è contra Iudæorũ nullus omiſit. Quomodo ergo in hoc ratio Geneſis ſtabit, cum per cunctas orbis terræ partes, omnes Iudæi admixti gentibus uiuant, & octaua ferrum perferant die, unius in mẽbri loco: & nemo gentiliũ, ſed ipſi ſoli, ut dixi, hoc faciunt, non ſtella cogente, nec perfuſione ſanguinis perurgente, ſed lege religionis adducti, & in quocunq; orbis loco fuerint, hoc eſt eis inſigne uernaculũ? Sed & quod unum nomen omnibus ineſt ubicunq; fuerint, nunquid & hoc per Geneſim uenit? & quod nunquã apud eos infans natus exponitur, & quod ſeptimo quoq; die omnes ubicunq; fuerint, ociũ gerunt, nec iter incedũt, nec igni utuntur. Quid eſt ergo, quod nullum Iudæorum in illa die cogit Geneſis, aut iter agere, aut ædificare, aut uendere aliquid, aut emere? Quinimò & maiorem fidem rerum præſentium dabo: ecce enim ex aduentu iuſti & ueri prophetę, uixdum ſeptẽ anni ſunt, in quibus ex omnibus gentibus cõuenientes homines ad Iudæã, & ſignis ac uirtutibus quæ uiderant, ſed & doctrinæ maieſtate permoti, ubi receperunt fidem eius, abeuntes ad regiones ſuas, inlicitos quoſq; gentilium ritus, & inceſta ſpreuere cõiugia. Deniq; apud Parthos, ſicut nobis Thomas, qui apud illos euangeliũ prędicat ſcripſit, non multi iam erga plurima matrimonia diffunduntur, nec multi apud Medos canibus obijciunt mortuos ſuos, neq; Perſæ matrũ coniugijs, aut filiarũ inceſtis matrimonijs delectantur, nec mulieres Suſides licita ducunt adulteria, nec potuit ad crimina Geneſis cõpellere, quos religionis doctrina prohibebat. Ecce ex hoc ipſo conijce, & de his de quibus ſumus locis, cõiecturam cape, quomodo fama tantum perferente ad aures hominũ, quod propheta in Iudęa apparuit, qui ſignis & uirtutibus doceret homines unum colere deum, omnes paratis intentisq; animis expectabant, etiam ante aduentum domini mei Petri, ut ſibi aliquis quæ docuiſſet ille qui apparuit, nunciaret. Sed ne multa enumerare uideamur, dicam quo debeant cuncta cõcludi, cum deus iuſtus ſit, & ipſe fecerit hominũ naturam, quomodo poterat fieri, ut ipſe poneret Geneſim cõtrariam nobis, quæ nos cogeret ad peccatum, & rurſus ulciſceretur ipſe peccantes? Vnde certum eſt, quod nõ aliam ob cauſam deus ſiue in præſenti, ſiue in futuro ſeculo peccatorem punit, niſi quia ſcit eum potuiſſe uincere, ſed neglexiſſe uictoriã: infert enim & in præſenti ſeculo uindictam in homines, ſicut in eos fecit, qui diluuio perierunt, qui utiq; omnes una die, imò una hora extincti ſunt, cum certum ſit nõ eos eſſe ſecundum Geneſis ordinem, una hora natos: abſurdiſſimũ eſt autẽ dicere, quia ex natura nobis accidat pati mala, ſi nõ prius peccata præceſſerint. Et ideo ſi ſalutis curam gerimus, ante omnia ſcientiæ debemus operam dare, certi quod ſi mens noſtra in ignorantia perſeueret, nõ ſolum Geneſis mala, ſed & alia extrinſecus quæcunq; dæmonibus uiſa fuerint, perferemus, niſi metus legum & futuri iudicij, obſiſtat omnibus deſiderijs, & impetum peccandi refrenet. Nam & humanus timor multa bona, multa etiam mala agit, quæ Geneſis neſcit, ſicut ſuprà oſtendimus. Triplici igitur modo mens noſtra erroribus ſubiacet, ex his quæ per malam conſuetudinem ueniunt, uel ex his quæ corpus naturaliter ſuggerit deſiderijs, uel ex his quæ contrariæ poteſtates perurgent: ſed his ſingulis obſiſtere & repugnare habet in natura ſua mens, cum ei obfulſerit ueritatis agnitio, per quam ſcientiã timor futuri iudicij datur, qui ſit idoneus animæ gubernator, & qui eam poſſit à concupiſcentiarũ præcipitijs reuocare. Quia ergo ſint hęc in noſtra poteſtate, ſufficienter dictũ eſt. Nunc & tu Senex, ſi quid habes quod ad hæc reſpondeas, incipe. Pleniſſime, ait, oſtendiſti fili: ſed ego, ſicut dixi ex initio, omni huic incõparabili aſſertioni tuæ, à propria conſcientia prohibeor accõmodare conſenſum. Noui enim & meã Geneſim, & coniugis meæ, & ſcio ea quæ unicuiq; noſtrũm dictabat Geneſis accidiſſe, & ab his quæ rebus & operibus comperta ſunt mihi, nunc uerbis tranſ-

Mauri. Germani. Sarmatæ.

Canes Medis ſunt pro ſepultura.

Indi exurunt mortuos.

Septẽ climata.

Scythotauri.

†*Bragmanes eos eſſe conſtat ex Euſeb. Præuang. lib. 6. in quẽ ex Clemẽte ad uerbum multa tranſtulit.*

Vernaculum in ſigne Iudæis eſt circunciſio.

Sabbatũ Iudæorum.

Thomas apud Parthos euãgelizauit.

Quare deus puniat.

Tres errorum fontes ſunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferri non possum. Denicq; quoniã te adprime imbutum uideo in huiuscemodi disci
plinis, audi coniugis meæ thema, & inuenies schema, cuius exitus accidit: habuit
enim Martem cum Venere super centrum, Lunam uero in occasum in domibus
Martis, & finibus Saturni, quod schema adulteras facit, & seruos proprios amare,
in peregrinatione, & in aquis defungi, quod & ita factum est: incidit nanq; in amo
rem serui, & periculum simul atq; obprobriũ metuens, fugit cum ipso, & peregre
profecta, ubi amori suo satisfecit, perijt in mari. Et ego respondi: Vnde scis quia
peregre seruo suo sociata est, & in eius consortio posita defungitur? Et Senex: Cer
tissime, inquit, scio reuera non quia nupserit seruo, quippe qui neque hoc quidem
quod eum amaret agnoueram, sed postquam profecta est, frater meus mihi enar-
rauit, dicens, quod primo quidem ipsum adamasset, sed ille quia erat honestus ut
pote frater, noluit thorũ fratris incesti macula polluere. Sed illa me uerens, & ob
probrium non ferens infelix (neq; enim imputandũ ei est, quod eam Genesis face
re cõpulit) finxit somniũ, & ait ad me: Adstitit mihi quidã per uisum, qui iussit me
cum duobus geminis meis sine mora ex urbe proficisci. Hæc ergo cũ audissem, pro
salute eius filiorumq; solicitus, confestim ipsam & liberos exire feci: unum qui erat
iunior, mihi retinui: hoc enim qui responsa in somnis dederat, permisisse dicebat.
Senex ille qui Faustinianus dicebatur, inuenitur pater Clementis.
Tum ego Clemens intelligens quod ipse fortassis est & pater meus, lachrymis op
pletus sum: fratres quoq; meos uolentes prosilire & aperire rem, prohibuit Petrus
dicẽs: Quiescite quoadusq; mihi placuerit. Respondẽs ergo Petrus, ait ad Senem:
Quod nomen erat iuniori filio tuo? At ille ait: Clemens. Et Petrus: Si tibi, inquit,
hodie coniugem tuam castissimã cõsignauero, cum tribus filijs tuis, credis quia po
test pudica mens motus inrationabiles superare, & quod omnia quæ à nobis dicta
sunt uera sint, & Genesis nihil sit? Et Senex: Sicut impossibile est, inquit, te exhibe
re quod promisisti, ita impossibile est extra Genesim fieri aliquid. Tum Petrus: Te
stes, inquit, habere uolo omnes hos, qui præsentes sunt, me tibi hodie coniugem
tuam, cum tribus uestris liberis uiuentem pudicissime traditurũ: & iam nunc acci
pe fidem rerum ex eo, quod omnem causam multo diligentius scio, quàm tu, cun
ctaq; tibi per ordinem quæ gesta sunt enarrabo, ut & tu cognoscas, & qui præsen
tes sunt discant. Et cum hæc dixisset, conuersus ad turbas, ita cœpit: Hic quem ui
detis ô uiri in hac ueste pauperrima, Romanæ urbis est ciuis, ex genere ipsius Cę
saris descendens, nomen ei Faustinianus, uxorẽ quoq; nobilissimã Mathidiam no
mine sortitus est, ex qua tres filios suscepit, quorũ duo gemini, unus autem qui erat
iunior, cui nomen Clemens, hic est. Et cum hoc dixisset, digito me ostendit: gemi
ni autem filij eius, sunt isti, Niceta & Aquila, quorũ alius Faustinus uocabatur pri
us, & alius Faustus. Simul autem ut nomina nostra enunciauit Petrus, Senex reso
lutis membris omnibus, quasi interceptus cõcidit. Nos autem filij inruentes super
eum, cõplectebamur & osculabamur, uerentes simul ne spiritũ reuocare nõ possit.
Et cum hæc fierent, populus quidẽ admiratione ipsa obstupefactus est. Petrus autẽ
surgere nos à cõplexibus patris, ne eum necaremus iubet, & ipse adprehensa ma
nu eius, quasi de somno quodã profundo eleuans eum, & paululũ recreans, om
nia quæ gesta fuerant secundum ueritatem cœpit exponere, quomodo frater eius
in amorem inciderit Mathidiæ, & illa cum esset pudicissima, inlicitum fratris amo
rem uiro indicare noluerit, ne uel bellũ fratribus, uel obprobriũ generi indiceret,
sed sapienter somnium finxerit, quo ex urbe iubetur excedere cum geminis filijs,
iuniore apud patrem relicto. Vtq; nauigantes naufragium ui tempestatis incurre
rint, & ad insulam Antharadum nomine expulsi, Mathidia quidem supra saxum
quoddam fluctu iactante proiecta sit, gemini uero liberi rapti à piratis & Cæsare
am perducti, religiosæ cuidam fœminæ uenundati sunt, quæ eos in filiorum loco
habens, liberaliter edocuerit & erudiri fecerit, eorumq; nomina piratę immutaue
rint,

rint, & Nicetam aliũ, alium Aquilam uocitauerint. Vtq; post hæc studiorũ & con
suetudinis causa Simoni adhæserint, atq; ab eo ubi magum & deceptorẽ uiderunt,
auersi accesserint ad Zachæum, & ut post hęc sociati sunt sibi. Sed & Clemens quo
modo ex urbe agnoscendæ ueritatis causa profectus, per Barnabæ notitiam Cæsa
ream uenerit, sibiq; innotuerit & adhæserit, utq; ab eo sit de fide religionis edoctus.
Sed & qualiter apud Antharadum mendicantem repererit & recognouerit ma
trem, utq; omnis insula in eius recognitione gauisa sit, & de pudicissimæ hospitę cõ
tubernio, atq; eius per semetipsum conlata sanitate, & de liberalitate Clementis in
eos qui erga matrem benefici extiterant. Vtq; post hæc Niceta & Aquila requiren
tes quænam esset peregrina mulier, cum audissent à Clemente omne negotium, se
esse geminos eius filios Faustinum exclamauerunt & Faustum, omnemq; histo
riam quæ eos egerit, patefecerint: utq; post hæc matri cautius ne subitò gaudio in
terciperetur, ipso insinuante oblati sint Petro. Sed cum hæc in auditu Senis, narra
tione gratissima turbis exponeret Petrus, ita ut audientes gestorũ miraculis, & hu
manitatis miseratione lachrymarent, nescio unde audiens mater de recognitione
patris, cursu concito inruit in medium nostri cum clamore, dicẽs: Vbi est meus uir,
meus dominus Faustinianus, qui tam multis temporibus adfligitur, ambulans per
urbes singulas, & me quærens? Hęc cum illa quasi amens clamaret, & circumspice
ret, Senex accurrens cum multis lachrymis, amplecti & constringere eam cœpit. Et
cum hæc gererentur, Petrus rogauit turbas ut discederent, dicens inuerecundũ es
se ultra persistere, sed dandum eis locum familiarius inuicẽ se uidendi, crastino au
tem hic, inquit, si qui uestrũ uolunt, conueniant ad audiendũ uerbum. His à Petro
dictis, secesserunt turbæ, & cũ uellemus nos quoq; ire ad hospitiũ, dominus domus
ait ad nos: Turpe est & impiũ tales ac tantos uiros manere in stabulo, cum ego om
nem penè domũ uacantem habeam, lectosq; stratos quamplurimos, & quæ neces
saria sunt parata. Sed Petro contradicente, uxor patrisfamilias unà cum liberis suis
prostrabat se ante eum, & exorabat dicens: Obsecro te, mane apud nos. Sed ne sic
quidẽ adquiescebat Petrus, donec filia eorũ qui rogabant ab immundo spiritu tem
poribus multis uexata, & catenis uincta, quæ fuerat intra conclaue clausa, effuga
to à se dæmone, & ostijs patefactis cum catenis suis ueniens, procidit ad pedes Pe
tri, dicens: Rectum est mi domine, ut agas hodie hic salutaria mea, & non cõtristes
neq; me, neq; parentes meos. Petro autem requirẽte catenarũ sermonumq; eius
causam, parentes præter spem læti effecti de filię sanitate, & uelut stupore quodam
adtoniti, ipsi quidẽ dicere nequeunt: adstantes autem famuli aiunt: Hæc à septimo
ætatis anno dęmone occupata, omnes qui accedere tentassent ad eam, scindere, di
laniare morsibus, etiam disrumpere, & hoc per uiginti annos usq; ad præsens face
re nunquã destitit, nec ab aliquo potuit curari, sed ne accedere ad eam quisquã uale
bat: multos enim inutiles reddidit, alios & peremit, omnibus enim uiris ualidior
erat, sine dubio uiribus dæmonis nisa. Nunc autẽ ut uides, ex præsentia tui dæmon
quidẽ fugit, ostia uero quæ summo cum munimento clausa fuerant, aperta sunt, &
ipsa sana stat ante te rogans, ut diem salutariũ suorum lætum & ipsi, & parentibus
facias, & maneas apud eos. Hæc cum ita unus ex famulis enarrasset, & ipsæ catenæ
de manibus eius ac pedibus fuissent sponte resolutę, Petrus certus quod per ipsum
sanitas hæc reddita sit puellę, adquieuit manere apud eos. Sed & illos qui
remanserant in hospitio, unà cum uxore sua transire iussit, &
unusquisq; acceptis seorsum cubiculis mansimus, atq;
ex more cibo sumpto, redditisq; laudibus
deo, suis singuli requieuimus locis.

Quædam enim in matrimonio licet recte, partũ tamẽ uerecũde, et decore in publico fiunt.

Puella à dæmonio liberatur ex Petri ingressu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI, LIBER DECIMVS, RVFINO Torano Aquileiense interprete.

MANE autem exorto sole, ego Clemens & Niceta atq; Aquila una cum Petro, uenimus ad locum in quo pater simul cum matre requiescebat: & cum adhuc eos dormientes reperissemus, pro foribus consedimus, ubi Petrus talibus apud nos sermonibus utitur: Audite me dilectissimi conserui, scio quia grandem habetis affectum erga patrem uestrum, uereor ergo ne ante tempus eum perurgeatis iugum religionis suscipere, nondum ad id paratum, ad quod forte pro uestri gratia uideatur adquiescere: sed hoc non est firmum: quod enim propter homines fit, probabile non est, & citò dilabitur. Ideoq; uidetur mihi, ut cõcedatis ei anno uno uiuere pro arbitrio, in quo potest iter agens nobiscum, dum nos alios docemus, etiam ipse simpliciter audire: & audiens, si quidem agnoscendæ ueritatis rectum propositum gerit, ipse rogabit ut suscipiat religionis iugum, aut si non placet ei recipere, permaneat amicus. Hi enim qui non id ex corde suscipiunt, cum cœperint ferre non posse, non solum abijciunt quod susceperant, sed quasi pro excusatione infirmitatis suæ, incipiunt uiam religionis blasphemare, & male loqui de his quos nequaquam sequi aut imitari potuerunt. Ad hæc Niceta respondit: Non contradico domine mi Petre rectis & bonis consilijs tuis, sed dicere aliquid uolo, ut per hoc discam quod nescio. Quid si intra annum hunc, quo differri eum iubes, moriatur pater noster? descendet in infernum uacuus, & cruciandus in æternum. Tum Petrus: Amplector, inquit, benignum erga patrem propositum tuum, & ignosco tibi de his quæ ignoras. Quid enim censes, quia si quis putatur iuste uixisse, iste cõtinuò saluabitur? Non putas eum discutiendum ab eo qui occulta hominum nouit, quomodo iuste uixerit, ne forte ritu gentilium institutis eorum & legibus parens, uel pro amicitijs hominum, aut pro sola consuetudine, aut qualibet alia ex causa, uel necessitate, & nõ propter ipsam iustitiam, neq; propter deum? Qui enim propter solum deum, & iustitiam eius iuste uixerint, ipsi ad æternam requiem uenient, & perpetuitatem regni cœlestis accipient. Salus enim non ui adquiritur, sed libertate, nec per hominum gratiam, sed per dei fidem. Tum præterea cogitare debet, quia deus præscius est, & nouit si hic suus est: quod si nouit eum non esse, quid faciemus ad ea quæ ex initio statuta sunt ab eo? In quo autem possum, consilium do, cum euigilauerit, & sederimus nos quasi aliquid discere uolentes, proponite ex his duntaxat quæ illi expedit discere, & dum nos loquimur inter nos, ille instruitur. Sed tamẽ primo quiescite, ut si forte ipse uideat aliquid interrogare: quod si fecerit, aptior erit sermonis occasio: si uero ipse nihil quærit, nos ab alterutro, sicut dixi, discere aliquid uolẽtes, rogemus uicissim. mihi ita uidetur, etiã uobis quid placeat dicite. Cumq; cõlaudassemus eius rectum cõsilium, ego Clemẽs aio: In omnibus rebus plurima ex parte ad initiũ respicit finis, similisq; principijs rerũ exitus datur: spero ergo etiã circa patrem nostrũ, quoniã per te deus bona initia dedit, his cõgruum seq; dignũ largiat & finẽ. Veruntamen etiam illud suggero, si ut dixisti, cœperimus præsente patre, quasi inter nos aliquid tractandi, uel discẽdi gratia loqui, tu mi domine Petre nõ debes eũ locũ agere, quasi qui discere aliquid debeas, hoc enim si uideat, fortasse magis offendetur, certus est enim, te omnia scire diligẽter, sicut & uere est: quale ergo erit, si te uideat ignorantiã simulantẽ? hoc eũ, ut dixi, magis lædere poterit, nescientẽ consiliũ tuũ. Sed nos

Qui propter solũ deũ iuste uixerint, saluabũtur

nos quidem fratres inter nos habentes, si in aliquo dubitemus, à te quæstioni nostræ finis congruus detur: nam & si te cunctantẽ uideat, aut dubitantem, tunc uere putabit, quod apud nullum erit scientia ueritatis. Et Petrus ad hæc respondit: Omittamus hæc, & si quidem dignum est, ut ingrediatur ianuam uitæ, deus occasionem competentem dabit, eritq; initium ex deo, & non ex homine. Et ideo sicut prius dixi, permittite eum iter agentem nobiscum, audire nos aliquid disputantes: sed quoniam festinantes uos uidi, idcirco dixi opportunitatẽ quærendam, quam cum dederit deus, uos quoq; ad ea quæ dixero obtemperate mihi. Hæc nobis sermocinantibus, uenit puer dicens, uigilare iam patrem, & cum uellemus ingredi ad eum, ipse uenit ad nos, & osculo nos salutans, cum resedissemus, ait: Licet ne percunctari, si quid uolet quis, an secundum Pythagoricos tacendum semper est? Et Petrus: Nos ne silere semper, neq; percũctari cogimus accedentes ad nos, sed relinquimus ipsorum libertati, facere ut uolunt, scientes quod qui curam gerit salutis suæ, si in parte aliqua sentit animæ suæ dolorem, tacere nõ patitur. Qui uero negligit salutẽ suam, si interrogare cogatur, nihil ex hoc utilitati eius confertur, nisi hoc solum, ut studiosus esse uideatur & diligens. Quamobrem tu si quid discere uis, require. Et Senex ait: Est quidam sermo apud Græcorum philosophos uehemens ualde, qui dicit, in uita hominum, re ipsa neq; bonum esse aliquid, neq; malum, sed quæ uidentur hominibus, usu & consuetudine præsentis uitæ, hæc aut mala dicunt, aut bona. Nam neq; homicidiũ reuera malum est, quia animam uinculis carnis absoluit: denique, aiunt, & iusti quiq; iudices, peccantes perimunt. Quod si homicidium scirent malum esse, non utiq; id iusti homines facerent. Neq; adulterium malum esse dicunt, si enim ignoret uir, aut non curet, nihil aiunt mali est. Sed neq; furtum malum esse, quod enim deest alicui, aufert ab alio qui habet, quod quidem oportebat libere sumi & publice: sed quia occulte fit, in hoc magis illius à quo clam aufertur inhumanitas redarguitur. Communis enim usus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse, & alius illud, & sic inter mortales diuisio facta est. Deniq; Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait, Cõmunia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges, & sicut non potest, inquit, diuidi aër, neq; splendor solis, ita nec reliqua quę cõmuniter in hoc mundo data sunt, omnibus ad habendum diuidi debere, sed habenda esse cõmunia. Hæc autem dicere uolui, quoniam quidẽ cupio me inclinare ab bene agendũ, & non possum bene agere, nisi prius didicero quid sit bonũ: quod si intelligere potuero, ex ipso etiam quid sit malũ, hoc est, huic contrariũ, aduertam. Verũ ad hæc quæ dixi, unũ è uobis respondere uolo, non Petrũ: non enim dignum est, ab illo uerba & doctrinã cum quæstionibus capere, sed ille si quid pronunciauerit, hoc absq; aliqua retractatione teneatur. Et ideo ipse nobis seruet quasi arbiter, ut sicubi disputatio nostra exitum nõ inuenerit, ipse quod sibi uisum fuerit pronuncians, indubitatũ finem rebus dubijs imponat. Et nunc ergo possem sola eius sententia cõtentus credere, si quid ei uideretur, quod & ad ultimum faciã, uolo tamen prius uidere, si est possibile disputando inuenire quod quæritur. Placet ergo ut Clemens primus incipiat, & ostendat si est aliquid in substantia & actibus bonũ uel malũ. Ad hæc ego respondi: Quoniam quidẽ à me uis discere, si est aliquid natura, aut actu bonũ uel malum, an potius usu præuentis hominibus, bona quædã, & alia uidentur mala, pro eo quod diuisionẽ inter se rerum fecere cõmunium, quæ deberent, ut ais, ita esse cõmunia, ut aër & splendor solis, puto quod non debeam tibi aliunde adsertiones adhibere, nisi ex his disciplinis quibus ipse uteris, & quas ipse confirmas, ut indubitata tibi sint quæ dicuntur. Omniũ elementorũ & stellarum certos ponitis fines, quasq; stellas dicitis in quibusdam absque noxia coire, sicut in coniugijs, in alijs uero noxie misceri, sicut in adulterijs,

Aduertant theologi.

Hi erant qui in differẽtiam inuexerunt, quorũ præter alios Cic. sæpe memi nit.

Furtum inter Christianos appellari non decebat.

Amicorũ omnia communia, Platonis uox est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inter aquam & terram coniugium est.

Et dicitis quædam generalia esse omnium, quædam uero non omniũ, neq; generalia. Sed ne prolixa disputatio fiat, breuiter & de re dicam. Terra quæ arida est, coniugio & admixtione indiget aquę, ut possit generare fructus, qui sine uita hominibus non est: est ergo hæc legitima coniunctio. E contra si aut pruinæ frigus terræ misceatur, aut calor aquis, huiusmodi coniunctio corruptelam facit: & hoc in talibus adulterium est. Et Pater respondit: Sed sicut elementorũ uel stellarum inconsonæ coniunctionis statim proditur noxa, ita deberet & adulterium statim ostendi quàm malum est. Et ego aio: hoc mihi primo cõfirma, si, ut etiam ipse confessus es, ex incongrua & inconsona admixtione efficiuntur mala, & istud in consequentibus requiretur. Et Pater ait: ut se habet rei natura, ita ais fili. Tum ego respõdi: quia ergo discere cupis de his, uide quanta sint quæ mala esse apud neminem dubitantur. Non tibi uidetur malum esse febris, incendium, seditio, ruina, cædes, uincula, supplicia, dolores, luctus, & his similia? Et Pater: uerum est, inquit, fili hæc mala esse, & ualde mala: aut certe qui negat hæc esse mala, patiat̃ ea. Et ego respondi: quia ergo cũ eo mihi sermo est, qui in astrologica disciplina eruditus est, secũdum ipsam tecum agam, ut de his quæ tibi in usu sunt, accipiens rationẽ, citius adquiescas. Audi nunc ergo. Confessus es mala esse ea quæ suprà diximus, id est, febres, incendia, & his similia: hæc secundum uos à malitiosis stellis fieri dicuntur, id est, ab humido Saturno, & calido Marte: horum uero contraria, à benignis fieri stellis, id est, à temperato Ioue & humida Venere. aut non ita est? Et Pater respondit: Ita est fili, nec aliter fieri potest. Tum ego: quia ergo à bonis stellis, Ioue dico & Venere, bona fieri dicitis, uideamus unaquæq; malarum stellarũ cum admixta fuerit bonis, quid est quod efficit: & illud esse intelligamus malum. Etenim nuptias facere Venerem ponitis: quæ si Iouem habeat in schemate suo, pudicas efficiat: Ioue autem non respiciente, si adfuerit Mars, corrumpi nuptias per adulterium pronunciatis. Et Pater: Ita se, inquit, habet. Ego respondi: Ergo malum est adulterium, quandoquidem ex malarum stellarum admixtione cõmittitur: & ut compendiosius explicemus omnia, quæ dicitis ex malarũ admixtione stellarum bonas perpeti stellas, mala esse sine dubio pronuncianda sunt. Istæ ergo stellæ quarum admixtione diximus febres, incendia, & cętera his similia effici mala, ipsę secundũ uos etiam homicidia, adulteria, & furta operantur, propter uos etiam & stolidos ipsæ efficiunt. Et Pater: Vere, inquit, breuiter & incõparabiliter ostendisti, quia sint mala in actibus: sed hoc adhuc uelim, quomodo iuste iudicat deus eos qui peccant, sicut uos dicitis, si peccare eos Genesis cogit? Tum ego respondi: Vereor dicere tibi aliquid pater, quia in omnite honore haberi à me decet, alioquin erat quod possim dicere si deceret. Et Pater ait: Dic quod tibi occurrit fili, etiamsi iniuriosum uidetur: non enim tu, sed quæstionis ratio iniuriam facit, sicut pudica mulier intemperanti uiro, si pro salute indignetur & honestate. Et ego respondi: Si prima quæq; inter nos confirmata & confessa nõ bene retineamus, sed semper quæ definita sunt resoluantur, per obliuionem uidebimur telam texere Penelopes, ea quæ texuimus resoluentes: & ideo debemus aut non facile adquiescere, prius quàm diligenter examinetur sermo propositus: aut si iam adquieuimus, & confirmata sententia est, seruare semper quod semel diffinitũ est, ut possimus & de alijs quærere. Et pater ait: Bene dicis fili, & scio quam ob causam dicis, quia hesterno die de naturalibus disputans causis, ostendisti quia uirtus quædam maligna, transformans se in ordinem stellarũ, humanas concupiscentias exagitat, diuersis modis prouocans ad peccatum, non tamen cogens, aut efficiens peccatum. Cui ego respondi: Bene, quia & meministi, & cum memineris errasti. Et Pater: Ignosce, inquit, fili, nondũ enim usum multum in his habeo: nam & hesterni sermones tui ueritate ipsa concluserunt me, ut tibi adquiescerem: in conscientia tamen mea sunt, quasi quædam reliquiæ febrium, quę paululum me à fide quasi à sanitate

Adulteria in elementis.

Præfatione honoris utitur Clemens, eò quod docẽti quædam sint asperius dicenda, quàm ut posit boni consuli sine eiusmodi lenocinio.

nitate retrahunt: discrucior enim, quia scio multa mihi, imò penè omnia accidisse secundũ Genesim. Et ego respondi: Audi ergo pater quæ sit mathesis natura, & facito secundũ ea quæ dico tibi. Vide mathematicum & dic ei primo, quia talia quædam mihi acciderunt mala in illo tempore, unde ergo, aut quomodo, aut per quas mihi acciderint stellas, discere uolo. Respondebit tibi sine dubio, quia tempora tua malitiosus suscepit Mars, aut Saturnus, aut aliquis eorum apostaticus fuit, aut aliquis annum tuum aspexit ex diametro, aut coniunctus, aut in centro, uel alia his similia respõdebit: addẽs, quia in his omnibus aliquis aut asyndetus fuit cum malo, aut inuisibilis, aut in schemate, aut extra hæresim, aut deficiens, aut nõ cõtingens, aut in obscuris stellis, & multa alia his similia, secundũ rationes proprias respondebit, & de singulis adsignabit. Post hunc alium adito mathematicum, & dicito contraria, quia illud mihi boni contigit in illo tempore, tempus autem hoc idem dicito, & require ex quibus partibus Genesis hoc tibi euenerit boni, & tempora, ut dixi, eadem quæ de malis interrogaueras, custodito. Cumq; tu fefelleris de temporibus, uide quanta tibi inueniet schemata, per quæ ostẽdat quod tibi in illis pis temporibus euenire debuerint bona: impossibile enim est hominum Genesim tractantibus, non in omni quam dicunt regione stellarum semper inuenire quasdam bene positas stellas, & quasdam male: circulus enim est æqualiter ex omni parte collectus secundũ mathesim, diuersas & uarias accipiens causas, ex quibus occasionẽ capiant dicendi quod uolunt. Sicut enim fieri solet ubi somnia aliqua uiderint homines, & nihil certi intelligũt, cum aliquis occurrerit exitus rerum, tunc ad ea quæ acciderint, aptant etiã somnij usum. Ita est & mathesis: antequam aliquid fiat, certi nihil pronũciatur: postea uero quàm aliquid acciderit, rei iam gestæ colligunt causas. Denicq; frequẽter cum enarrauerint, & aliter res acciderit, semetipsos increpãt, dicentes, quia illa fuit stella quæ impediuit quæ occurrit, & nõ uidemus ignorãtes, quia error eorũ nõ ex artis imprudentia, sed ex totius causæ incõuenientia descendit: ignorant enim quæ sint, quæ facere quidem concupiscamus, non tamen indulgeamus cõcupiscentijs. Nos autem qui mysterij huius didicimus rationem, scimus & causam: quia libertatem habentes arbitrij, interdum cõcupiscentijs obsistimus, interdum cedimus: & ideo humanorum gestorum incertus est exitus, quia in libertate pendet arbitrij. Nam concupiscentiam quidem, quam operatur maligna uirtus, potest indicare mathematicus: sed si concupiscentiæ huius actus uel exitus impleri possit, nec ne, quia in arbitrij libertate est, sciri ante effectum rei à nullo potest: & hoc est quod ignorantes astrologi inuenerunt sibi ut climacteras dicerent, rei scilicet incertæ perfugia, sicut hesterno pleniſſime ostendimus. Ad hæc si quid tibi dicendũ uidetur, dicito. Et pater: Nihil uerius, inquit, fili his quæ prosequutus es. Cumq; hæc loqueremur inter nos, nunciauit quidam plurimũ stare populum foris, qui audiendi gratia conuenerint, & Petrus iussit his ingrediendi copiam dari, erat enim locus opportunus & amplus. Cumq; ingressi fuissent, ait ad nos Petrus: Si quis uult uestrũm, faciat ad populum sermonem, & de idololatria differat. Cui ego Clemens respondi: multa benignitas tua, & erga omnes lenitas, ac patientia indulget nobis, ut audeamus loqui coram te, & rogare quæ uolumus: & ideo, ut dixi, morum tuorum mansuetudo inuitat omnes, & adhortatur salutaris doctrinæ præcepta suscipere: hoc ego usq; ad præsens apud nullum alium uidi, nisi apud te solum, apud quem inuidia nulla est, neque indignatio: aut quid tibi uidetur? Et Petrus: Nõ solum hæc ex inuidia aut indignatione ueniunt, sed interdum inest ali quibus uerecundia, ne fortè de his quæ proponuntur, plene respondere non possint, & refugiunt imperitiæ notam. Sed non debet pro hoc quis uerecundiam pati, quia nec est aliquis hominum, qui profiteri debeat omnia se scire: unus enim est qui scit omnia, ipse qui & fecit omnia. Si enim magister noster diem & horã, cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.21.

etiam ſigna prædixit, neſcire ſe profeſſus eſt, ut totum reuocaret ad patrem: quomodo nos turpe ducemus, ſi aliqua nos ignorare fateamur? cum magiſtri in hoc habeamus exemplum. Hoc tamen unum profitemur ſcire, quæ à uero propheta didicimus: ea autem à uero propheta nobis eſſe tradita, quæ ſufficere humanæ ſcientiæ iudicauit. Tum ego Clemens dicere ita cœpi: Apud Tripolim cum contra gentiles diſputares, domine mi Petre, ualde miratus ſum te, qui à patribus Hebræo ritu, & obſeruantiſſ propriæ legis imbutus, græcæ eruditionis ſtudiſſ in nullo inquinatus es, quomodo tam magnifice, & tam incomparabiliter proſequutus ſis, ita ut etiam quædam de hiſtoriſſ deorum quæ in theatris decantari ſolent, contingeres: uerum quoniã ſenſi tibi ipſas fabulas, & blaſphemias eorum minus eſſe notas, de his ſi placet, aliqua in auditu tuo repetens, ab ipſa origine diſſeram. Et Petrus: Dic, inquit, bene facis iuuare prædicationẽ noſtram. Tum ego: dicam igitur quia iubes, nõ ut docens, ſed quàm ſtultas de diſſ ſuis opiniones habeant gentiles, in medium proferens. Cumq; uellem dicere, Niceta labrum mordicus ſtringens, innuebat mihi ut tacerem: quem cum uidiſſet Petrus, ait: Cur ingenium liberale, & generoſam lædere uis naturam, ut in honorem mei, qui nullus eſt, tacere eum uelis? Aut neſcis quia ſi omnes gentes poſtquam audierint à me prædicationẽ ueritatis, & crediderint, uelint ſe ad docendum conferre, mihi maiorem pariunt gloriam, ſi quidem gloriæ me cupidum putas? Quid enim tam glorioſum, quàm Chriſto diſcipulos præparaſſe, non qui taceant & ſoli ſalui fiant, ſed qui loquantur quæ didicerunt, & multis proſint: utinam quidem & tu Niceta, ſed & tu dulciſſime Aquila iuuaretis me ad prædicandum uerbum dei, eò magis quo ea in quibus erant gentiles, bene uobis comperta ſunt: & non ſolum uos, ſed & omnes qui audiunt me, opto, ut dixi, ita audire & diſcere, ut & docere poſſint: multis nanq; aditoribus indiget mundus, quibus homines ab errore reuocẽtur. Cumq; hæc dixiſſet, ait ad me: Tu ergo Clemens exequere quæ cœpiſti. Et ego continuò ſubiunxi: Quoniam, ut dixi, apud Tripolim diſputans, multa de diſſ gentium utiliter, & neceſſariò diſſeruiſti, cupio de origine eorum ridicula te coram exponere, ut neque te lateat uanæ huius ſuperſtitionis commentum, & auditores qui adſiſtunt erroris ſui probra cognoſcant. Aiunt ergo qui ſapientiores ſunt inter gentiles, primo omnium Chaos fuiſſe, hoc per multum tempus exteriores ſui ſolidans partes, fines ſibi & fundum quendam feciſſe, tanquam in oui immanis modum formamq; collectum, intra quod multo nihilominus tempore, quaſi intra oui teſtam, fotum uiuificatumq; eſſe animal quoddam, diſruptoq; poſt hæc immani illo globo, proceſſiſſe ſpeciem quandã hominis duplicis formæ, quam illi Maſculofœminã uocant: hunc etiam Phanetam nominarunt, ab apparendo, quia cum apparuiſſet, inquiunt, tunc etiam lux effulſit, & ex hoc dicunt progenitã eſſe Subſtantiam, Prudentiam, Motum, Coitum: ex his factũ Cœlum & Terram. Ex Cœlo ſex progenitos mares, quos & Titanas appellãt: ſimiliter & de Terra ſex fœminas, quas Titanidas uocitarunt: & ſunt nomina eorum quidem qui ex Cœlo orti ſunt, hæc, Oceanus, Coëus, Crios, Hyperion, Iapetos, Chronos, qui apud nos Saturnus nominatur. Similiter & earum quę è Terra ortæ ſunt nomina ſunt hæc, Thya, Rhea, Themis, Mnemoſyne, Thetis, Hebe. Ex his omnibus qui primus fuerat è Cœlo natus, primam Terræ filiam accepit uxorem, ſecundus ſecundam, & cæteri ſimiliter per ordinem. Primus ergo primam duxerat, propter eam deductus eſt deorſum: ſecunda uero propter eum cui nupſerat, aſcendit ſurſum: & ita ſinguli per ordinem facientes, manſerũt in his qui eis nuptiali ſorte obuenerant locis. Ex iſtorum coniunctionibus, alios quoque innumeros adſerunt progenitos. Sed de illis ſex maribus, unus qui dicitur Saturnus, qui in coniugium acceperat Rheam, & cum reſponſo quodam commonitus eſſet, quod qui ex eo naſceretur fortior ipſo futurus eſſet, regnoq;

Quæ ſunt tradita à Chriſto ſufficiũt ad uitam æternã.

Clemẽtis oratio de genealogia deorũ gentiliũ.

Chaos pœticum oui ſpeciem habuit.

Maſculofœmina φανὲς ὀνομα ἐνὶ appareo eſt.

Titanes.

Saturnus. Rhea.

regnoq; eum depelleret, omnes qui ei naſcerentur filios, deuorare inſtituit. Huic ergo primus naſcitur filius, quem Aiden appellarunt, qui apud nos Orcus nominatur, quem pro cauſis, quibus ſuprà diximus, adſumptum deuorat pater. Poſt hunc ſecundũ genuit, quem Neptunum dicunt, quemq; ſimili modo deuorauit. Nouiſſimũ genuit eum, quem Iouem appellant, ſed hunc mater miſerans Rhea, per artem deuoratori ſubtrahit patri, & primo quidem ne uagitus pueri innoteſceret, Corybantas quoſdam, cymbala fecit ac tympana percutere, ut obſtrepente ſonitu, uagitus non audiretur infantis. Sed cum ex uteri imminutione intellexiſſet pater editum partum, expetebat ad deuorandum: tunc Rhea lapidem ei offerens magnum, Hunc genui, inquit. At ille accipiens abſorbuit, & lapis deuoratus eos quos primo abſorbuerat filios, truſit & coëgit exire. Primus ergo procedẽs deſcendit Orcus, & inferiora, hoc eſt, inferna occupat loca. Secũdus utpote illo ſuperior, ſuper aquas detruditur, is quem Neptunũ uocant. Tertius qui arte matris Rheæ ſuperfuit, ab ipſa, capræ ſuperpoſitus, in cœlum emiſſus eſt. Hactenus anilis gentilium fabula & genealogia proceſſerit, ſine fine enim eſt, ſi uelim omnes generationes eorũ quos deos appellant, & impia geſta proferre. Sed exempli gratia omiſſis cæteris, uniꝰ quem maximũ & præcipuũ habent, quemq; Iouem nominant, flagitioſa geſta replicabo. Hunc enim cœlum dicunt tenere, tanquam cæteris meliorem, qui ſtatim ut adoleuit, ſororem propriam, quam Iunonem dicunt, duxit uxorem, in quo utique ſtatim ſit ſimilis pecude. Iuno Vulcanum parit, ſed, ut tradunt, non ex Ioue conceptũ. Ex ipſo autem Ioue Medeam genuit, quam reſponſo accepto, quod qui ex ea naſceretur fortior ipſo eſſet, & regno eum depelleret, aſſumens etiam ipſe deuorat, & rurſum genuit de cerebro quidem Mineruam, de femore uero Liberum. Poſt hæc Thetidem cum adamaſſet, aiunt Prometheum pronunciaſſe ei, quod ſi concubuiſſet cum ea, qui ex ea naſceretur, fortior eſſet patre, & ob hoc ueritus, Peleo cuidam dat eam in matrimoniũ: dehinc Perſephone, quæ ei ex Cerere fuerat ſuſcepta miſcetur, ex qua Dionyſium genuit, qui à Titanis diſcerptus eſt: ſed recordatus, inquit, ne fortè pater ſuus Saturnus alium filium generaret, qui etiam ſe fortior naſceretur, regnoq; depelleret, oppugnare adgreditur patrem unà cum fratribus eius Titanis: quibus oppreſſis, ad ultimum etiam patrem in uincula coniecit, deſectaq; eius genitalia in mare proiecit, ſed cruor qui defluxit ex uulnere ſuſceptus, fluctibus & frequẽti conliſione in ſpumam uerſus, procreauit eam quam dicunt Aphroditen, quamq; apud nos Venerẽ appellant: ex cuius concubitu quæ erat utique ſoror, hunc ipſum Iouem ferunt genuiſſe Cyprin, ex qua aiunt & Cupidinem natum. Hæc quidem de inceſtis eius: audi nunc & de adulteriſſ. Europam Oceani coniugem uitiat, ex qua naſcitur Dodonæus. Helenam Pandionis, ex qua naſcitur Muſæus. Eurynomen Aſopi, ex qua naſcitur Ogygias. Hermionen Oceani, ex qua naſcuntur Charites, Thalia, Euphroſyne, Aglaia. Themin ſororẽ ſuam, ex qua naſcũtur Horæ, Eurinomia, Dice, Irene. Themiſto Inaci, ex qua naſcitur Archas. Idean Minois, ex qua naſcitur Aſterion. Phæniſſam Alphionis, ex qua naſcitur Endymion. Io Inachi, ex qua naſcitur Epaphus. Hippodamiam & Iſionen Danai filias, quarum unam Hippodamiam Olenus, Iſionen uero Orchomenus ſiue Chryſes habuit. Carinean Phœnicis, ex qua naſcitur Critomaris, quæ fuit ſodalis Dianæ. Calliſto Lycaonis, ex qua naſcitur Orcas. Lybeen Munanti, ex qua naſcitur Belus. Latonam, ex qua naſcitur Apollo, & Diana. Leanidam Eurymedontis, ex qua naſcitur Coron. Lyſithean Eueni, ex qua naſcitur Helenus. Hippodamiam Bellorophontis, ex qua naſcitur Sarpedon. Megacliten Macarei, ex qua naſcitur Thebe, & Locrus. Nioben Phoronei, ex qua naſcitur Argus, & Pelaſgus. Olympiadam Neoptolemi, ex qua naſcitur Alexander. Pyrrham Promethei, ex qua naſcitur Helmetheus. Protogeniam &

Orcus.

Neptunus.

Iupiter.

Flagitia Iouis.

Iuno.

Minerua.

Iouis adulteria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pandoram Deucalionis filias, ex quibus genuit Aethelium, & Dorum, & Meleram, & Pandorum. Thaicrucia Prothei, ex qua nascitur Nympheus. Salaminā Asopi, ex qua nascitur Saracon. Taygeten, Electran, Maian, Plutiden Athlantis filias, ex quibus genuit ex Taygete quidem Lacedæmonem, ex Electra Dardanum, ex Maia Mercurium, ex Plutide Tantalum. Pthian Phoronæi, ex qua genuit Achæum. Chalceam nympham, ex qua nascitur Olympus. Charidiam nympham, ex qua nascitur Alchanus. Cloridam, quæ fuit Ampegi, ex qua nascitur Mopsus. Cotoniam Lesbi, ex qua nascitur Polimedes. Hippodamiam Aniceti, Chrysogeniam Penei, ex qua nascitur Thessæus. Sed & alia sunt plurima eius adulteria, ex quibus nec progeniem suscepit, quæ enumerare satis longum est. Verum ex his omnibus quas enumerauimus, nonnullas transformatus, utpote magus, uitiauit. Denique Antiopem Myctei uersus in Satyrum corrupit, ex qua nascūtur Amphion & Zethus. Alcmenam mutatus in uirum eius Amphitrionem, ex qua nascitur Hercules. Eginam Asopi mutatus in aquilam, ex qua nascitur Eacus. Sed & Ganimeden Dardani, mutatus nihilominus in aquilam stuprat. Manthean Phoci, mutatus in ursum, ex qua nascitur Arctos. Danaën Achrysij, mutatus in aurum, ex qua nascitur Perseus. Europen Phœnicis, mutatus in taurum, ex qua nascitur Minos & Rhadamantus, Sarpedonq;. Eurymedusam Achelai, mutatus in formicam, ex qua nascitur Myrmidon. Thalian Aetnan nympham mutatus in uulturem, ex qua nascūtur apud Siciliam Palisci. Imandram Geneani apud Rhodum, mutatus in imbrem. Cassiepiam, ex qua nascitur Anchinos. Lædam Thesi, mutatus in cycnum, ex qua nascitur Helena: & iterum eandem mutatus in stellam, ex qua nascuntur Castor & Pollux. Lamiam mutatus in upupam. Mnemosynen mutatus in pastorem, ex qua nascuntur Musæ nouem. Nemesin mutatus in anserem. Semelen Cadmian mutatus in ignem, ex qua nascitur Dionysius. Ex filia autem sua Cerere, genuit Persephonen, quam & ipsam corrupit mutatus in draconem: sed & Europam patrui sui Oceani uxorem, & sororem eius Eurynomen adulterat, & patrem punit: & Pluten Athlantis filij sui adulterat filiam, ex qua natum sibi filium Tantalum damnat. Ex Larisse etiam Orchomenij genuit Tityonem, quem & ipsum supplicijs tradidit. Dianam Ixionis filij sui diripiens uxorem, ipsum perennibus subijcit pœnis, & penè omnes quos ex adulterijs genuit filios, uiolentæ mortis conditione damnauit, quorum & sepulchra penè omnium manifesta sunt. Ipsius denique paricidæ, qui & patruos peremit, & uxores eorum uitiauit, sororibus stuprum intulit, multiformis magi sepulchrū euidens est apud Cretenses, qui tamen scientes & confitentes infanda eius atque incesta opera, & omnibus enarrantes, ipsi eum confiteri deum non erubescunt: unde mirum mihi & ualde mirum uidetur, quomodo is qui super omnes mortales scelere & flagitijs eminet, sanctum, & quod est super omne bonum, nomen acceperit, ut pater deorum atque hominum uocaretur: nisi fortè ille qui malis hominū gaudet, eum quem sceleribus eminere supra cæteros uidit, supra cæteros ei honorem conferre infelices animas suasit, ut ad imitationem malorum inuitaret uniuersos. Sed & filiorum eius, qui apud eos dij putantur, sepulchra singulis quibusq; in locis manifestissime demonstrātur: Mercurij apud Hermopolim, Cypriæ Veneris apud Cyprum, Martis in Thracia, Liberi apud Thebas, ubi discerptus traditur: Herculis apud Tyrum, ubi igni crematus est. In Epidauro Aesculapij: quiq; omnes non solum ut homines defuncti, sed ut nequam homines puniti pro sceleribus docentur, & tamen ab stultis hominibus ut dij adorantur. Quod si argumentari uolunt, & magis hæc loca ortus eorum quàm sepulturæ uel mortis adfirmant, ex uicinis & adhuc recentibus gestis, priora & uetera conuincentur, cum docuerimus adorari ab eis eos, quos etiam ipsi homines & defunctos, uel potius punitos esse profitentur,

Ex Mnemosyne Musæ.

Habet hoc idem Lactantius, ex hoc opinor quæ dā mutuatus, nā series argumentiq; ratio hoc omnino clamat.

tentur, uerbi gratia, ut Syri Adonem, Aegyptij Osyrin, Ilienses Hectorem, apud Leuconessum Achillem, apud Pontum Patroclum, apud Rhodum Alexandrū Macedonem, multosq; alios per diuersa loca, singuli ut deos colunt & adorant, quos homines mortuos fuisse non dubitant. Vnde consequens est etiam priores simili errore prolapsos, mortuis hominibus, qui fortè uel potentiæ aliquid, uel artis habuerunt, maximeq; si phantasijs magicis in stuporem stolidos homines adduxerant, honorem contulisse diuinum. Iam hinc additum est, ut & poëtæ elegantia uerborum, commenta erroris ornarent, & suauitate dicendi immortales effectos esse ex mortalibus persuaderent: imò & amplius aliquid, ex hominibus aiunt stellas fieri, & arbores, & animalia, & flores, & aues, fontesq; ac fluuios: & ni uerbositas uideretur, omnes penè stellas, quas ex hominibus effectas adserunt, enumerare, uel arbores, uel fontes, ac fluuios possem: exempli tamen causa singula saltem ex singulis memorabo. Andromedam Cephæi, in stellam dicunt esse conuersam, Danaën Ladonis fluuij filiam, in arborem commutatam, Hiacynthum Apollonis dilectum in florem, Callisto in sidus quod Arcton uocant, Prognen & Philomelam cum Tereo in aues, Thysben apud Ciliciam in fontē, & Piramum inibi in fluuium resolutos, omnesq; penè, ut dixi, uel stellas, uel arbores, fontesq; ac fluuios, floresq; & animalia, uel aues, aliquando homines fuisse confirmant. At Petrus hæc audiens, ait: Ergo secundum ipsos antequam homines mutarentur in stellas, uel cætera quæ enumeras, & cœlum sine stellis erat, & terra sine arboribus & animalibus, nec fontes, nec flumina, nec aues erant: & quomodo ipsi homines uixerunt sine his, qui in hæc postmodum mutati sunt, cum constet nec potuisse prorsus sine his uitam ducere homines in terris? Et ego respondi: Sed ne ipsum quidem cultum deorum suorum obseruare cōsequenter norunt, unusquisq; enim eorum quos colunt, habet aliquid sibi dicatum, à quo debent se cōtinere cultores, utputa Mineruæ oliuam, Ioui capram ferunt dicatam, Cereri semina, Libero uinum, Osyri aquam, Hammoni arietem, Dianæ ceruum, Syrorum dęmoni piscem & columbam, Vulcano ignem: & unicuiq;, ut dixi, est aliquid propriè dicatum, à quo oportebat abstinere se cultores, ad honorē eorum quibus dicati sunt. Nunc autem singuli ab uno aliquo se obseruantes, pro unius honore cæteros omnes iratos habent, quos utique si placare uelint, pro honore omnium, abstinere se ab omnibus oportebat, ut ante diem iudicij iusta à semetipsis sententia condemnati, morte miserrima per inediam deperirent. Verum ad propositū reuertamur. Quæ, malum, ratio est, imò quæ amentia mortalium possidet mentes, ut hominem quem impium, scelestum, profanum, louem dico incestum, patricidam, paricidam, non solum sciunt esse, sed & publice in theatris cantant, hunc ut deum colant & adorent? Aut si pro his gestis deus esse meruit, ergo & si quos audiunt homicidas, adulteros, paricidas, incestos, etiam nunc debent ut deos adorare. Sed quod in alijs exercrantur, scire omnino non possum, cur in illo uenerentur. Et Petrus respondit: Quoniam te nescire dicis, disce à me cur in illo facinorosa gesta uenerentur: primo quidem, ut cum ipsi similia egerint, acceptos se ei futuros sciant, utpote quem imitantur in flagitijs. Secundo, quod hæc literis scite recondita, & uersibus elegantur inserta ueteres reliquerunt. Et nunc puerilis eruditionis obtentu, cum eorum notitia teneris & simplicibus adhæserit mentibus, reuelli ex eis atque abijci difficulter potest. Hæc cum dixisset Petrus, Niceta respondit: Non putes domine mi Petre, non habere eruditos quosq; gentilium uerisimilitudines quasdam, quibus adstruant hæc quæ culpabilia uidentur & probrosa, quæ quidem ego non ut confirmans errores eorum dico: absit enim à me, ut hoc uel ad cogitationē meam ueniat: sed tamen scio esse apud prudentiores ipsorum defensiones quasdam, quibus adstruere & colorare solent hæc, quæ uidentur absurda. Et si tibi placet, ut ali-

Ita factū est, ut deorū numerus fermè ultra hominum increuerit. Plin.

Transformationes hominum.

Vel unus Terentianus Chrea satis locuples erit testis hoc ita esse, is enī quod in uirginem sibi prmisit, Iouis se exemplo fecisse excusat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua ex his proferam, quæ ex parte aliqua retineo: ut iubes faciam. Cumq; Petrus permisisset, Niceta hoc modo cœpit: Omnis sermo apud Græcos, qui de antiquitatis origine conscribitur, cum alios multos, tum duos præcipuos autores habet, Orpheum & Hesiodum. Horum ergo scripta in duas partes intelligentiæ diuiduntur, id est, secundum literam, & secundum allegoriam: & ad ea quidem quæ secundum literam sunt, ignobilis uulgi turba confluxit. Ea uero quæ secundum allegoriam constant, omnis philosophorum & eruditorum loquacitas admirata est. Orpheus igitur est, qui dicit primo fuisse Chaos sempiternum, immensum, ingenitum, ex quo omnia facta sunt: hoc sanè ipsum Chaos non tenebras dixit esse, non lucem, non humidum, non aridum, non calidum, non frigidum, sed omnia simul mixta, & semper unum fuisse, informe aliquando, tamen quasi ad oui immanis modum, per immensa tempora effectam peperisse, ac protulisse ex se duplicem quandam speciem, quam illi Masculofœminã uocant, ex contraria admixtione huiusmodi diuersitatis speciem concretam: & hoc esse principiũ omnium, quod primum ex materia puriore processerit, quodq; procedens discretionem quatuor elementorum dederit, & ex duobus quæ prima sunt elementis, fecerit cœlum, ex alijs autem terram, ex quibus iam omnia participatione sui inuicem nasci dicit & gigni. Hæc quidem Orpheus. Subiungit autem his & Hesiodus, post Chaos statim Cœlum dicens factũ esse, & Terram: ex quibus ait progenitos illos undecim, quos interdum & duodecim dicit: ex quibus sex mares, quinq; fœminas ponit: nomina autem dat maribus, Oceanus, Cœus, Chrius, Hyperion, Iapetus, Chronus, qui & Saturnus. Item fœminas, Thya, Rhea, Themis, Mnemosyne, Thetis: quæ nomina per allegoriam hoc modo interpretantur. Numerum quidem undecim uel duodecim, ipsam dicunt primam naturam, quam & Rheam à fluendo dictam uolunt: reliquos autẽ decem accidentia eius dicunt, quas & qualitates appellant: duodecimum tamen addunt & Chronum, quem apud nos Saturnum dicunt, hunc pro tempore accipiunt. Saturnum ergo & Rheam tempus ponunt, & materiam, quæ ubi cum humido, & arido, & calido, & frigido tempore fuerint admixta, omnia generat. Hæc ergo, inquit, primo omnium tempore multo concretam genuit quandam quasi bullam, quæ ex spiritu qui in aquis erat, paulatim collecta intumuit, & aliquanto tempore circumacta per superficiem materiæ, ex qua quasi ex uulua processerat, rigore frigoris obdurata, & glacialibus augmentis semper increscens, abrupta tandem demergitur in profundum, ac põdere ipso pertracta, in infernum descendit. Et quia inuisibilis facta est, Aides appellata est, qui & Orcus, uel Pluto nominatur. Cumq; de superioribus mergeretur in inferna, locum confluendi humido præbuit elemento, & pars crassior, quæ est terra, aquis cedentibus patefacta est. Hanc ergo aquarum libertatem, quæ prius bulla obtegente premebatur, postquam illa inferni sortita est locum, Neptunum esse appellatum. Post hoc cum elementum frigidum per concretionem glacialis bullæ, ad inferiora fuisset absorptum, & aridum fuisset humidumq; discretum, nullo iam impediente elementũ calidum ignis, utpote uigore & leuitate ad superiora conuolauit aëris, spiritu & procella subuectum. Hanc ergo procellam, quæ καταιγὶς græce appellatur, ægam, id est capram dixerunt: & ignem qui ad superna conscendit, louem: & ideo eum capra subuectum conscendisse Olympum dicunt. Ipsum uero Iouem Græci quidem à uiuendo, uel uitam dando: nostri à iuuando nominatum uolunt. Hanc ergo esse uiuentem substantiam ferunt, quæ in superioribus posita, ui caloris uelut cerebri ambitu, ad se trahens cuncta, & cuiusdam temperamenti moderatione componens, de capite dicitur genuisse sapientiam, quam Mineruam uocant, quæ à Græcis ἀθὴνη, propter immortalitatem nominata est: quæ quia pater omnium per sapientiam suam cuncta cõdidit, & ex ipso capite eius, & principali

Orpheus. Hesiodus.

Cœli & Terræ filij.

Iupiter unde dictus sit.

Minerua ἀθήνη propter immortalitatem dicta est.

omnium genita dicitur loco, & temperata admixtione elementorum, uniuersum formasse mundum, & adornasse perhibetur. Igitur species quæ materiæ inditæ sunt, ut fieret mundus, quia ui caloris constringuntur, Iouis uiribus contineri dicuntur. Quæ quoniam sufficienter se habent, nec ultra addi sibi indigent aliquid noui, sed unumquodq; seminis sui posteritate reparatur, unctæ esse à Ioue Saturni manus dicuntur: quia nihil noui iam, ut dixi, ex materia tempus producit, sed calor seminum, secundum sui speciem cuncta restituit: nec ultra Rheæ partus, hoc est, propago materiæ fluentis ascendit, & ideo ipsam primam elementorum diuisionem, abscisionem Saturni nominant, quasi qui ultra mundum generare non possit. Nam de Venere hoc modo allegoriam tradunt, ubi aiunt, ætheri subiectum est pelagus, cum repercussus aquis splendor, cœli gratior refulsisset, uenustas rerum quæ ex aquis pulchior apparuerat, Venus nominata est, quæ Aetheri tanquam fratri suo sociata, quod concupiscibile decus effecerit, Cupidinem genuisse memorata est. Hoc ergo modo per allegoriam Chronum quidem, qui est Saturnus, tempus esse, ut diximus, tradunt: Rheam materiã: Aiden, id est, Orcum, inferni profundum, Neptunum aquam, Iouem ætherem, id est, caloris elementum, Venerem uenustatem rerum, Cupidinem concupiscentiam, quæ inest rebus omnibus, per quam posteritas reparatur, uel etiam rerum ratio, quæ sapienter inspecta delectat. Hera, id est Iuno, aër iste medius qui de cœlo usque ad terram descendit, ponitur. Diana, quam ipsam Proserpinam dicunt, aërem inferne tradunt. Apollinem ipsum etiam Solem dicunt, circumeuntem polum. Mercurium uerbum, quo ratio de singulis quibusq; reddatur. Martem intemperatum ignem, qui cuncta consumat. Sed ne singula enumerando immoremur, ad hanc allegoriæ speciem, de unoquoq; eorum quos colunt, in quibus secretior de talibus inest peritia, honestas sibi uidentur, & iustas reddere rationes. Hæc cum Niceta dixisset, Aquila respondit: Valde mihi uidetur quisquis ille est autor & inuentor horum, impius extitisse, si hæc quæ grata & honesta uidentur abscondit, & superstitionis suæ ritum, in dedecorosis & turpibus obseruantijs conlocauit, cum ea quæ secundum literam scripta sunt, manifesta inhonesta sint, & turpia, & tota religionis eorum obseruantia, in ipsis constet, ut per huiusmodi scelera & impietates, deos suos quos colunt, doceant imitari. Nam in istis allegorijs quæ eis utilitas erit? quæ quamuis honesta fingũtur, nullus tamen ex eis aut usus ad cultum peruenit, aut ad mores emendatio. Vnde magis constat, quod prudentes uiri cum uiderent communem superstitionẽ tam probrosam esse, tam turpem, nec tamen corrigendi modum aliquem, uel scientiam didicissent, quibus potuerunt argumentis, & interpretationibus conati sunt res inhonestas honesto sermone uelare, & non, ut dicunt, honestas rationes, inhonestis fabulis occultare: quod si esset, nunquam utique ipsa eorum simulacra, atque ipsæ de eis picturæ, cum suis uitijs & criminibus formarentur. Non cygnus adulter Ledæ, nec taurus formaretur Europæ, & in mille monstra eum, quem putant meliorem omnibus, uerterent. Quod utique si magni & sapientes, qui sunt apud eos uiri, fictum scirent esse, non uerum, nonne impietatis arguerent & sacrilegij, eos qui ad iniuriam deorum huiusmodi aut picturam ponerent, aut sculperent simulacra? denique regem temporis sui, depingant in bouis forma, uel anseris, uel formicæ, uel uulturis, & scribant super, regis sui nomen, atque huiusmodi uel statuam, uel imaginem conlocent, & iniuriam facti sentient, & uindictæ magnitudinem? Sed quoniam uera hæc magis sunt, quæ publica turpitudo testatur, & ad excusationẽ à uiris prudentibus, sermonibus honestis quæsita sunt, & concinnata uelamina, idcirco non solum non prohibentur, sed & ipsis mysterijs Saturni filios deuorantis, & occultati

Saturni manus à Ioue unctæ.

Venus.

Cupido.

Saturnus.

Neptunus.

Iuno.

Diana.

Mercurius.

Allegoriæ de dijs gentilium, ad uelãda dedecora eorum inuentæ sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pueri, per Corybantum & cymbala, & tympanorum ſonitus, exprimuntur imagines. De abſciſione uero Saturni, quæ maior erit probatio ueritatis, quàm ut in honorem dei ſui, ſimili infelicitatis ſorte abſcidantur etiam cultores? Cum ergo hæc manifeſte cernantur, quis tam exigui ſenſus, imò tam ſtolidi inuenietur, cui non palàm ſit, hæc magis uera eſſe de infelicibus diſs, quæ infeliciores cultores etiã corporum ſuorum uulneribus, & abſciſione teſtantur? Quod ſi, ut dicunt, hæc ita honeſte & pie geſta, tam inhoneſto ritu miniſtrantur & impio, ſacrilegus profecto eſt, quiſquis ille, uel ex initio hæc tradidit, uel nunc male tradita perſiſtit implere. Quid autem & de libris dicimus poëtarum, nónne oportuerat eos, ſi honeſta, & pia deorum geſta, turpibus fabulis infamarunt, abíjci protinus, atq; in ignem dari, ne perſuaderent teneræ adhuc ætati puerorum, louem ipſum deorum principem, paricidam erga parentes, inceſtum erga ſorores & filias, impurum etiam in pueros extitiſſe? Venerem cum Marte, adulteros, & omnia illa quæ iam ſuperius dicta ſunt. Aut quid tibi uidetur domine mi Petre? Tunc ille reſpõdit: Certus eſto dulciſſime Aquila, quia omnia per bonam dei prouidentiam geſta ſunt, ut non ſolum infirma, & fragilis, uerum & turpis eſſet cauſa quæ futura erat contraria ueritati. Si enim ualidior & ueriſimilior fuiſſet erroris adſertio, haud facile quiſquam qui in eo deceptus eſſet, ad iter ueritatis rediret. Si enim nunc cum tam multa probra & dedecora de diſs gentium proferuntur, uix aliquis turpem derelinquit errorem, quanto magis ſi eſſet ibi aliquid honeſtum & ueriſimile? Difficulter namque transfertur anima ab his, in quibus à prima ætate præuentus eſt: & ob hoc, ut dixi, diuina prouidentia factum eſt, ut erroris ſubſtantia, & infirma eſſet & turpis. Sed & cætera omnia ſimili modo, competenter & commode diſpenſat diuina prouidentia, licet nobis ignorantibus rerum cauſas, bonæ & optimæ diſpenſationis diuinæ nõ liqueat ratio. Cum hæc Petrus dixiſſet, ego Clemens Niceram rogabam, ut aliqua de allegoríjs gentiliũ, quas diligenter adtigerat, agnoſcendi gratia exponeret: utile enim eſt, ut cum gentilibus diſputamus, etiam iſta nos miníme lateant. Et Niceta: Si, inquit, permittit dominus meus Petrus, poſſum dicere. Tum Petrus: Hodie, inquit, permiſi uobis dicere aduerſum gentiles ut noſtis. Et Niceta ait: Dic ergo Clemens, de quibus audire uelis. Cui ego aio: Quomodo tradunt de deorum cœna gentiles, quam in Pelei nuptíjs habuerunt, & Thetidis, quem dicunt eſſe Paridem paſtorẽ, & quas ponunt in Iunone, Minerua & Venere, quæ apud eum iudicantur, quem'ue Mercurium, uel quod malum, & cætera quæ per ordinem conſequuntur? enarra nobis. Tum Niceta: Cœnæ deorum cauſa hoc modo ſe habet. Conuiuium mundum tradunt: diſcumbendi ordinem deorum, ſtellarum poſitionem, quos Heſiodus cœli & terræ primos filios nominat, in quibus ſex mares, & ſex fœminas, ad duodecim ſignorũ numerũ referunt, quæ uniuerſum circumeunt mundum: dapes autem conuiuíj, rationes eſſe & cauſas rerum tradunt, dulces & concupiſcibiles, quæ qualiter regatur & gubernetur hic mundus, ex ſignorum poſitione, & aſtrorũ curſibus colliguntur. Ad libertatis tamen conuiuíj modũ, dicunt iſta conſtare, pro eo quod poteſtatẽ habeat uniuſcuiuſq; ſenſus, ſi uelit deguſtare aliquid ex huiuſmodi ſcientia, aut ſi nolit: & ſicut in conuiuio nemo cogitur, ſed uescendi libertas penes unumquemq; eſt, ita & philoſophandi ratio, pendet in uoluntatis arbitrio. Diſcordiam, concupiſcentiam carnis dicunt, quæ inſurgit aduerſum propoſitum mentis, & philoſophandi impedit ſtudium: ideo denicq; & tempus illud eſſe aiunt, in quo de nuptíjs agitur. Peleum uero & Thetydem nympham, aridum & humidũ ponunt elementũ, ex quorum admixtione ſubſtantia corporum conſtat. Mercuriũ uerbũ eſſe tradunt, per quod ſenſui doctrina cõfertur. Iunonem pudicitiam. Mineruam fortitudinem. Venerem libidinẽ dicunt. Paridem ſenſum.

Prouidentia dei omnia ſunt infirma et palàm inhoneſta, quæ ueritati repugnãt.

Allegoria elegantiſſima cœnæ deorũ, quæ apud poëtas deſcribitur.

Selecti ſunt hi teſte Auguſt. de ciuit. dei.

Si

Si ergo aiunt, accidat in homine barbarum eſſe, & imperitum ſenſum, & rectum iudicium neſcientẽ, ſpreta pudicitia, & uirtute, libidini palmam, quod eſt malum, dabit, per quod non ſolum ſibi, ſed & ciuibus & uniuerſæ genti ſubuerſio & pernicies aderit. Hæc ergo licet illis componere ex qualibet materia uiſum ſit, tamen aptari ad omnem hominem poſſunt, quia ſi quis paſtoralem & ruſticum atque imperitum habeat ſenſum, nec uelit erudiri, ubi corporis calor de libidinis ſuauitate ſuggeſſerit, continuò ſpretis ſtudiorum uirtutibus, & ſcientiæ bonis, ad uoluptates corporum animum confert. Et hinc eſt unde impacata bella conſurgunt, urbes ruunt, patriæ concidunt, ſicut & Paris, rapta Helena, ad mutuum Græcos & Barbaros armauit exitium. Et Petrus conlaudans proſequutionem eius, ait: Multas ut uideo, ingenioſi homines, ex his quæ legunt, ueriſimilitudines capiunt, & ideo diligenter obſeruandum eſt, ut lex dei cum legitur, non ſecundum proprij ingenij intelligentiam legatur. Sunt enim multa uerba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad ſuum ſenſum, quem ſibi unuſquiſq; ſponte præſumpſit: quod fieri non oportet. Non enim ſenſum quem extrinſecus attuleris alienum, & extraneum debes quærere, quem ex ſcripturarum autoritate confirmes, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere ueritatis: & ideo oportet ab eo intelligentiã diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus, ſecundum ueritatem ſibi traditam, ſeruat, ut & ipſe poſſit ea quæ recte ſuſcepit, cõpetenter adſerere. Cum enim ex diuinis ſcripturis integram quis ſuſceperit, & firmam regulam ueritatis, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi ac de liberalibus ſtudijs, quæ fortè in pueritia adtigit, ad adſertionem ueri dogmatis conferat: ita tamen ut ubi uera didicit, falſa & ſimulata declinet. Et cum hæc dixiſſet, ad patrem noſtrũ reſpiciens, ait: Tu ergo ſenex ſi quidem ſaluti animæ tuæ conſulis, ut cum corpore fuerit reſoluta, pro breui hac conuerſione, requiem inueniat ſempiternam, require de quibus uis, & conſule ut poſſis ſi quid in te eſt dubitationis abíjcere: incertum enim eſt etiam iuuenibus uitæ tempus, ſenibus autem iam nec incertũ eſt: non enim dubitatur, quin quantumcunq; eſt quod putatur ſupereſſe, breue ſit. Et ideo tam iuuenes quàm ſenes oportet de conuerſione, & pœnitẽtia ualde eſſe ſolicitos, & ſatagere ut de reliquo ornent animam ſuam ornamentis digniſſimis, id eſt, dogmatibus ueritatis, decore pudicitiæ, ſplendore iuſtitiæ, candore pietatis, aliſq; omnibus quibus comptam decet eſſe rationabilem mentẽ. Tum præterea declinare à conſortíjs inhoneſtis & infidelibus, & ſocietates habere fidelium, atq; illos frequentare conuentus, in quibus de pudicitia, de iuſtitia, de pietate tractatur. Orare ſemper deum ex corde, & ab ipſo petere quæ decet à deo poſci, ipſi gratias agere, ueram pœnitudinem gerere præteritorum geſtorum. Aliquantulum etiam, ſi poſſibile eſt, per miſericordias pauperum iuuare pœnitentiam, per hæc enim facilíor uenia dabitur, & indulgenti citius indulgebitur. Quod ſi prouectioris ætatis ſit is, qui ad pœnitentiam uenit, eò magis gratias agere debet deo, quod poſtquam fractus eſt omnis impetus cõcupiſcentiæ carnalis, ſcientia ueritatis accepta, nulla ei imminet pugna certaminis, per quam inſurgentes aduerſum animam, reprimat corporis uoluptates. Supereſt ergo in agnitione ueritatis, & miſericordiæ operibus exerceri, ut adferat fructus dignos pœnitentiæ, nec putet quia in temporis longitudine documentum conuerſionis oſtenditur, & nõ in deuotionis ac propoſiti firmitate: deo enim manifeſtæ ſunt mentes, qui non temporum rationem colligit, ſed animorũ: ipſe enim probat ſi quis agnita ueritatis prædicatione non diſtulit, necq; tempus negligendo cõſumpſit, ſed ſtatim, & ſi dici poteſt eodem momento, præterita perhorreſcens, futurorum deſiderium cœpit, & in amorem regni cœleſtis exarſit. Propter quod nemo ueſtrũm ultra diſſimulet, nec retro reſpiciat, ſed ad euangelium regni dei libẽter accedat. Non dicat pauper, quia cum diues factus fuero, tunc conuertar: non requirit à te deus pecu

Inde etiã nomen quidam Mercurii inuenisse ſtantur.

Petrus ne quidẽ cognitionẽ fabularũ dãnat, ſed uetat id fieri in ſcripturis quod indulgemus nobis etiã cum gratia in fabulis.

Retro reſpicere, eſt moras texere, aut cauſari aliud qd̃ prius te agere expediat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam,ſed animum miſericordem,& piam mentem.Neque diues conuerſionem ſuam differat,pro ſolicitudine ſeculari,dum cogitat quomodo diſpenſet abundantiam frugum:neq; dicat intra ſemetipſum,quid faciam,ubi recondã fructũs meos? neque dicat animæ ſuæ, habes multa bona repoſita in annos multos, epulare,lætare:nam dicetur ei:Stulte,hac nocte auferetur abs te anima tua,& quæ præparaſti cuius erunt? Itaq; feſtinet ad pœnitentiã omnis ætas,omnis ſexus,omnisq; conditio,ut uitam cõſequatur æternam. Iuuenes quidem in eo grati ſint, quod in ipſo impetu deſideriorum, ceruices ſuas iugo ſubijciunt diſciplinæ. Senes & ipſi laudabiles,quia multi temporis conſuetudinem, in qua male præuenti ſunt, pro dei timore cõmutant.Nemo ergo differat,nemo cunctetur:quæ enim cauſa cunctandi eſt ad bene agendum? aut times, ne cum benefeceris,ibi remunerationem non inuenias ut putaſti? & quid ſenties detrimenti, ſi benefeceris gratis,nónne etiam ſola in his ſufficeret conſcientia? Quod ſi inueneris, ut præſumis, nónne pro paruis,magna,& pro temporalibus,æterna recipies? uerum ego hæc propter incredulos dixi.Nos autẽ quæ prædicamus,ita ſe habent:quia nec aliter eſſe poſſunt,quæ prophetica uoce promiſſa ſunt. Si quis uero cupit examuſſim ueritatem noſtræ prædicationis agnoſcere, conueniat ad audiendum,& quid ſit uerus propheta cognoſcat, & tunc demum omnis in eo ceſſabit ambiguitas:ſi tamen non obſtinatis animis reſiſtat his,quæ uera eſſe compererit. Sunt enim quidam qui quolibet modo,ad hoc tantum reſpiciunt,ut uincant,& laudem pro hoc magis quàm ſalutem quærant,quibus nõ eueniat uel dici aliquid,ne & ſermo nobilis patiatur iniuriam, & iniuriæ ſuæ reum æterna morte condamnet. Quid enim eſt in quo aduerſari prædicationi noſtræ quis debeat? aut in quo contra ueri honeſtiq; fidem ſermo prædicationis noſtræ deprehenditur? qui dicit honorandum eſſe deum,& patrem omnium conditorem,eiuſq; filium, qui ſolus eum & uoluntatem eius nouit,cuiq; ſoli de omnibus credendum eſt, quæ præcepit: ſolus enim eſt lex,& legislator,& iudex iuſtus,cuius lex diſcernit,honorandum eſſe deum, dominum omnium,per uitam ſobriam,caſtam,iuſtam, miſericordem, & in ipſo ſolo omnem cõlocandam ſpem.Sed dicet aliquis,etiam à philoſophis huiuſmodi præcepta dari.Nihil eſt ſimile:nam de iuſtitia quidem ab eis,& ſobrietate mandatur:ſed remuneratorẽ deum, geſtorum bonorum malorumq; non norunt,& eò leges & præcepta eorum,accuſatorem tantummodo publicum uitant,conſcientiã uero purificare non poſſunt. Quid enim timeat in occulto peccare, qui occultorum eſſe arbitrũ & iudicem neſcit? Addunt præterea philoſophi in præceptis ſuis,etiam deos,qui ſunt dæmones, honorandos:quod ſolum,etiamſi in alijs probabiles uiderẽtur, grauiſſimæ eos poteſt impietatis arguere,& proprijs condemnare ſententijs:qui unum quidem eſſe pronunciant deum, pro adſentatione tamen erroris humani,plures mandent colendos. Aiunt autẽ & illud philoſophi,deum non iraſci,neſcientes quid dicant.Ira enim mala eſt, ubi mentem turbat, ut rectum conſiliũ perdat:illa uero quæ malos punit, perturbationem menti nõ infert: ſed unus, ut ita dixerim, idemq; affectus eſt,qui & bonis præmia,& malis retribuit pœnam:nam ſi bonis & malis bona reſtituat,& ſimili remuneratione erga pios utatur, & impios, iniuſtus potius quàm bonus uidebitur. Sed ais:nec deus debuit facere malum. Verum dicis: neque fecit:ſed qui ab eo creati ſunt, dum iudicandos ſe eſſe non credunt,indulgentes uoluptatibus ſuis, à pietate & iuſtitia deuoluti ſunt. Sed dices, ſi iuſtum eſt punire malos, ſtatim ut male agunt, puniri debent. Tu quidem bene feſtinas, ſed ille quia æternus eſt, & quem nihil latet, & quanto nullus ei finis,tanto & prolixa patientia eſt, & non ad uelocitatem uindictæ, ſed ad ſalutis reſpicit cauſas: delectatur enim non tam morte,quàm conuerſione peccantis.Ideo deniq; & ſanctum baptiſma largitus eſt hominibus,ad quod ſi quis uenire feſtinet,& de reliquo maneat emen

Nonnullis non ſunt cõmittẽda uerba uitæ, ne iniuriam patiatur prophetia.

Inter ſalubria philoſophorũ & Chriſti præcepta quid interſit.

Deũ nõ iraſci quorſum pertineat.

Ira non ſemper mala.

Prolixa patientia dei.

Ioan.12.

emendatus, delentur ex eo omnia peccata, quæ per ignorantiam commiſſa ſunt. Nam philoſophi quid contulerunt uitæ mortalium, dicendo hominibus nõ iraſci deum? nempe ut docerent eos nullũ habere uindictæ alicuius, uel iudicij metum, & per hoc tota peccantibus frena laxarent. Aut quid illi humanum genus ſuuaſerunt,qui dixerunt nõ eſſe deum,ſed caſu omnia, & fortuitò agi? nónne ut hæc audientes homines, & arbitrantes nullum eſſe iudicem,nullum prouiſorem rerum, ad omne facinus,quod uel furor,uel auaritia,uel libido dictaſſet,neminem uerendo præcipites agerentur? Nam illi multum reuera iuuerunt mortalium uitam,qui dixerunt nihil poſſe ſine Geneſi fieri, ſcilicet ut unuſquiſq; peccati ſui cauſam Geneſi adſcribens, ſemetipſum in ſceleribus ſuis pronunciaret innoxiũ, dum crimen ſuum non pœnitendo diluit,ſed factum culpando congeminat. Nam de illis quid dicam philoſophis,qui deos colendos eſſe introduxerunt,& tales deos,quales paulò ante audiſtis? Quid fuit aliud decernere, niſi ut uitia,niſi ut crimina,niſi ut flagitia colerentur? Pudet,miſeretq; me ueſtri, ſi creditis quod indigna hæc eſſe & impia,atq; execrabilia,aut nõ deprehendiſtis hactenus,aut deprehenſa & intellecta, mala pro bonis & optimis coluiſtis. Tum præterea & illud quale eſt,quod præſumpſerunt nõnulli philoſophorum,uel de deo loqui,cum ſint mortales, & opinione ſola de inuiſibilibus dicere,uel de mundi origine,ubi nõ aderant cum fieret,uel de ſine eius, uel de animarũ in infernis diſpenſatione & iudicio, neſcientes quia præſentia quidem & uiſibilia noſſe,hominis eſt rationabilis? Præterea uero,& futura, & inuiſibilia ſcire,ſolius propheticæ præſcientiæ eſt.Non ergo hæc coniecturis & opinionibus colligenda ſunt,in quibus ualde falluntur homines,ſed fide propheticæ ueritatis, ſicut ſe habet hæc noſtra doctrina. Nos enim nihil ex nobis loquimur,nec humana æſtimatione collecta adnunciamus, hoc enim decipere eſt auditores: ſed ueri prophetæ autoritate nobis tradita,& manifeſta prædicamus. De cuius præſcientia & uirtute prophetica,ſi quis,ut dixi,ad liquidum uult documenta ſuſcipere, ſolicitus conueniat,& impiger ſit ad audiendum,& euidentes dabimus probationes,quibus uim propheticæ præſcientiæ, nõ ſolum auribus audire, ſed & oculis etiam uidere, ac manu contrectare ſe credat. De quo cum certam fidem cõceperit,iugum iuſtitiæ & pietatis abſq; ullo labore ſuſcipiet, tantamq; in eo ſentiet ſuauitatem, ut non ſolum nihil ei laboris ineſſe cauſetur,uerum & amplius aliquid addi ſibi deſideret,& imponi.Cumq; hæc & alia his ſimilia dixiſſet,& nonnullos ex his qui aderant infirmos, & dæmonibus obſeſſos curaſſet, gratulantes, & deum conlaudantes turbas dimiſit, præcipiens eis ut ad eundem locum,etiam conſequentibus diebus audiendi gratia conuenirent. Cumq; domi iam inter nos eſſemus, ac præpararemus ad edendum, ingreſſus quidam nunciat Appionem Pliſtonicenſem,cum Anubione nuper ueniſſe ab Antiochia,& hoſpitari cum Simone. Tum pater audiens, gauiſus eſt, & ait Petro: Si permittis,uolo ire & ſalutare Appionem,& Anubionem,quia ualde amici mihi ſunt. Fortaſſis autem Anubionem etiã ſuadere potero diſputare cum Clemente de Geneſi. Et Petrus: Permitto,inquit,& laudo quod amicos colis: ueruntamen conſidera, quomodo per prouidentiam dei omnia tibi ex ſententia concurrunt: ecce enim non ſolum affectio tibi propria deo præſtante reparata eſt, ſed & amicorum præſentia procuratur. Et pater: Vere,inquit,aduerto ita eſſe, ut dicis. Et cum hæc dixiſſet, abijt ad Anubionem. Nos autem cum Petro poſiti per totam noctem interroganſ do de diuerſis, & diſcendo ab eo, delectatione ipſa doctrinæ, & ſuauitate uerborum peruigiles manſimus. Et cum iam auroreſceret, Petrus intuens me ac fratres meos, ait: Miror quid uiſum ſit patri ueſtro. Cumq; hæc diceret ſuperuenit pater, & inuenit Petrum nobis de ſe loquentem. Cumq; ſalutaſſet, ſatisfacere cœpit,& cauſam exponere, ob quam foris manſiſſet. Nos autẽ reſpicientes ad eum,

De rebus diuinis loqui humanis coniecturis, quàm friuolũ.

Vitia culta pro dijs.

Appion. Anubion.

Transformatio Simonis in Faustinianum, in altera æditione quam Rufinus ut meliorem sequutus est, non continetur, & quæ nec mihi satis probatur. Sed quia uetustissimus codex, qui Basileæ est in bibliotheca Canonicorũ, id habebat, libuit præmonere lectorẽ.

expauimus, uultum in eo Simonis uidentes, uocem tamen patris nostri audiebamus. Cumq; refugeremus eum, & execraremur, stupebat pater quod tam austere cum eo ageremus & barbare. Solus tamen Petrus erat, qui uultum eius naturalẽ uidebat, qui & ait ad nos: Cur execramini patrem uestrum? Cui nos unà cum matre respõdimus: Hic nobis Simon uidetur, uocem habens patris nostri. Et Petrus: Vobis quidẽ uox eius quæ maleficijs mutata non est, sola nota est: mihi autẽ etiam uultus eius, qui alijs arte Simonis mutatus apparet, Faustiniani patris uestri notus est: & intuens patrem ait: Causa quæ coniugẽ tuam conturbat, ac filios, hæc est: species uultus in te non uidetur illa quæ fuit, sed facies execrandi Simonis in te appareret. Et cum hæc diceret, ingressus quidam ex his qui Antiochiam præcesserunt, dicebat ad Petrum: Scire te uolo domine mi Petre, quia Simon apud Antiochiam publice multa faciens signa, & prodigia, nihil aliud populo persuasit, nisi quæ ad tui odium pertinent, magum te nominans, maleficum, homicidam, & in tantum eos aduersum te odium cõcitauit, ut magnopere desiderent, si te usquam inuenire queant, etiã carnes tuas deuorare: & ob hoc nos qui præmissi sumus, uidentes ualde commotam contra te ciuitatem, occulte in unum conuenientes, considerabamus quid fieri oporteret. Cumq; nullũ uideremus exitum rei, superuenit Cornelius centurio, missus à Cæsare ad præsidẽ Cæsareæ, publici negotij gratia: hunc adcersimus ad nos solũ, causamq; ei qua mœsti essemus exponimus, ac si quid posset, ut iuuaret, hortamur. Tum ille promptissime repromittit, se eum protinus fugaturum, si tamen consilio eius etiam nos adniteremur: cumq; nos polliceremur impigre cuncta gesturos, ait: Cæsar in urbe Roma, & per prouincias maleficos inquiri iussit ac perimi, ex quibus plurimi iam perempti sunt. Ego igitur diuulgabo per amicos, me ut istum magum caperem, uenisse, & ob hoc missum à Cæsare, quo etiam hic cum cæteris suis socijs puniatur. Vestri ergo qui cum ipso sunt, occulte quasi undecunq; audierint, dicent ei quod ego ad ipsum capiendum missus sim: & certũ est, quod cum audierit, fugiat: aut si uos aliquid melius uidetis, dicite. Quid plura, ita factum est à nostris, qui cum ipso erant, explorandi gratia simulati. Vbi didicit Simon uentum esse ad se, tanquam ingens sibi beneficium conlatum ab eis accipiens, in fugam uersus est. Discedens igitur ex Antiochia, cum Athenodoro huc uenit, sicut audiuimus. hoc ergo uisum est nobis omnibus qui præcessimus, ut interim nunc ascendas Antiochiam, usquequo uideamus si illo discedente, odium quod de te populo seminauit, aliqua ex parte uacuet. Cum hæc insinuasset is qui de Antiochia uenerat, Petrus respiciens ad patrem nostrum, ait: Faustiniane, à Simone mago transformatus est uultus tuus, sicut apparet: putans enim quod à Cæsare quæreretur ad pœnam, tertius fugit, & suum uultũ tibi imposuit, si forte tu pro ipso capereris, & ad mortem duci possis, ut filijs tuis tristitiam moueret. Pater uero ubi hæc audiuit, cum lachrymis exclamans: Recte, inquit, æstimasti Petre, nam & Anubion, quia mihi ualde amicus erat, sub mysterio quodam mihi indicare cœperat de insidijs eius, sed infelix non credebam, quia nihil in eum commiseram mali. Cumq; omnes unà cum patre tristitia & lachrymis ageremur, interea & Anubion uenit ad nos, indicans nobis Simonem fugisse per noctem, Iudæam petentem. Videns autem patrem nostrum plangentem & lamentantem se, ac dicentem, Infelicem me, qui eum magum audiens non credebam: quid mihi misero accidit, ut una die recognitus ab uxore, & filijs, lætari non potuerim cum eis, sed ad priores miserias quas in errore pertuli, reuolutus sum? Mater autẽ multo grauius sparsis & laceratis crinibus plangebat: nos quoque in permutatione uultus patris stupentes, nec quid rei esset intelligere poteramus. Sed & Anubion omnes nos ita uidens adfligi, uelut mutus stabat. Tunc Petrus nos intuens filios eius, ait: Mihi credite, quod hic ipse est pater uester: propter quod & moneo uos, ut quasi patrem seruetis

Cornelius centurio is qui actorum X. iustus & timens deum dicitur.

Simon in Iudæam fugit.

tis eum. Dabit enim deus occasionẽ aliquam, qua deposito Simonis uultu, euidentem patris uestri, id est suam recuperare possit effigiem. Et ad patrem cõuersus ait: Ego tibi permiseram salutare Appionem, & Anubionem, quos tibi amicos à puero fuisse dixeras, non tamen ut cum Simone loquereris. Et Pater: Peccaui, inquit, fateor. Tum Anubion: Et ego, inquit, cum ipso rogo & deprecor te, ut ignoscas seni, uiro bono, & generoso: seductus est infelix, & ludibrio factus, à nominato mago: dicam enim quomodo res gesta est. Vbi uenit ad salutandos nos, contigit ut in ipsa hora circunstaremus Simonem, audientes eum dicentem quod fugere uelit, in ipsa nocte: audisse enim se, quod uenerint quidam etiam ad hanc Laodiciæ ciuitatem, qui eum ex præcepto imperatoris cõprehenderent: uelle autem se in hunc qui nuper ingressus est Faustinianum, omnem conuertere furorem. Et ait ad nos: tantum, inquit, uos facite eum cœnare nobiscum, & ego ungentum quoddã componam, quo cœnatus perungat faciem suam, ut ex eo meum uultum omnibus habere uideatur: uos autem herbæ cuiusdam succo facies perungemini prius, ut non fallimini de immutatione uultus eius, ita ut exceptis uobis, alijs omnibus Simon esse uideatur. Et cum ille hæc diceret, aio ad eum: Et quid tibi ex hoc facto confertur lucri? Tum Simon: primo, inquit, ut ipsum comprehendant qui me quærũt, & me desinant quærere. Si uero punitus fuerit à Cesare, ut luctum maximum habeant filij sui, qui me derelicto, confugerunt ad Petrum, & sunt modo adiutores ipsius. Ego autem confiteor tibi Petre quod uerum est: timui tunc Faustiniano indicare hæc: sed neq; spatium nobis ipse Simon dedit, ut possemus secretius loqui, & plenius ei cõsilium Simonis aperire. Interea circa mediam noctem, Simon in Iudæam petens aufugere, deduxit autem eum Athenodorus & Appion, ego autem simulaui inequalitatem corporis, ut dormire manens, facerem hunc uelocius ad uos redire, si forte possit aliquo modo occultari apud uos, ne ab his qui Simonẽ quærunt comprehensus, ad Cæsarem perducatur, & pereat gratis, & nũc solicitus pro ipso, ueni uidere eum, & redire antequam superueniant illi qui deduxerunt Simonem. Et cõuersus ad nos Anubion ait: Ego Anubion patris uestri uerum uultum uideo reuera, quia perunctus sum prius ab ipso Simone, sicut narrauit nobis, ut oculis meis uera Faustiniani facies appareret, unde satis stupeo & admiror artem Simonis magi, quod uos stantes modo nõ agnoscitis patrem uestrum. Flentibus autem patre & matre, ac nobis omnibus pro his quæ acciderant, motus miseratione etiam Anubion flebat. Tum Petrus misericordia permotus, restituturũ se promittit faciem patris nostri, dicens ad eum: Audi Faustiniane, cum nobis prius utilitatis aliquid contulerit error iste transformati uultus tui, & ministrauerit ad ea quæ uoluimus, tunc ego ueram tibi uultus tui imaginem reddam, si tamen prius quæ à me tibi fuerint imperata, profligaueris. Cumq; pater meus impleturum se cuncta quæ iuberet, omni promitteret pacto, tantum ut propriã recuperaret effigiem, Petrus ita cœpit: Ipse auribus tuis audisti quod unus ex his qui præmissi fuerant, regressus ex Antiochia, nunciauerit quomodo Simon ibi positus, turbas aduersum me concitauerit, atq; in odium mei totam inflammauerit ciuitatem, magum me & homicidam, ac deceptorem confirmans, in tantum ut desiderent, si me uideant, etiam carnes meas deuorare. Fac ergo quod ego dico tibi, relinquens apud me Clementem, præcede nos Antiochiam cum coniuge tua, & Fausto ac Faustino filijs tuis. Sed & alios mittam tecũ, quos mihi uidebitur, qui obtemperent his quę præcepero. Cum ergo unà cum ipsis Antiochiam ueneris, quandoquidem Simon uideris, publice stans prædica pœnitentiam tuam, & dic: Ego Simon denuncio uobis & confiteor me omnia fefelliſſe de Petro: ille enim neq; seductor est, neq; magus, neq; homicida, neq; horum aliquid quæcunq; contra eum loquutus sum, sed dixi illa omnia furore cõmotus. Obsecro ergo uos ipse ego qui dudum causas odij uobis cõtra eum

Nec illa habentur in nonnullis codicibus, nec mihi arrident.

dederam, ut nihil tale de eo sentiatis: sed deponite odium, cessate ab indignatione, quia uere à deo ad salutem mundi, missus est discipulus ueri prophetæ, & apostolus. Propter quod suadeo, hortor, & moneo, ut ipsum audiatis, ipsi credatis prædicanti uobis ueritatem, ne forte si spreueritis eum, ipsa etiam subitò ciuitas uestra pereat. Quam uero ob causam hæc nunc uobis confitear, indicabo. Hac nocte angelus dei corripuit me impium, & cur inimicus essem ueritatis præconi, uehementissime flagellauit. Deprecor ergo uos, ut etiam si egoipse post hæc ueniens ad uos, aliquid tentauero aduersum Petrum dicere, ne suscipiatis nec credatis. Confiteor enim uobis, ego magus, ego seductor, ego deceptor fui, sed pœnitentiam ago, licet enim per pœnitentiã priora male gesta delere. Cum hæc Petrus intimaret patri, ille respondit: Scio quid uelis, ne labores ultra, intellexi enim & noui, quid oporteat, cum ad locum uenero, prosequi. Et Petrus iterum suggerebat ei, dicẽs: Cum ergo ueneris ad locum, & uideris populũ ex sermone tuo conuerti, & depositis odijs recipere desideriũ nostri, mitte & manda mihi, & statim ueniam. Cum autem uenero, sine mora alienum hunc à te uultum effugabo, & tuum propriũ qui tuis omnibus notus est reddam. Et his dictis fratres meos proficisci cum ipso iubet, ac Mathidiam matrem nostram, & quosdã ex familiaribus simul. Sed mater recusabat proficisci simul, & aiebat: Quasi adultera mihi futura uideor, si uultui Simonis coniuncta sim: quod etsi cogar simul ire, impossibile tamẽ est ut in eodem lectulo cum ipso iaceam, sed nescio si proficisci simul adquiescam. Et cum ualde renueret, Anubion hortari eam cœpit, dicens: Crede mihi & Petro, sed & ipsa uox non tibi Faustinianum esse persuadet coniugem tuum, quem uere non minus ego diligo quàm tu? Denicq; etiam egoipse uobiscum ueniam. Et cum hæc dixisset Anubion, promisit mater simul se profecturam. Tum ego, competenter, aio, deus negotia nostra componit: habentes enim nobiscũ & Anubionem astrologũ, cum quo si Antiochiam uenerimus, de Genesi adtentius disputabimus. Cumq; post medium noctis pater noster, cum his quos iusserat Petrus, & Anubione profectus esset, mane priusquã procederet ad disputandũ Petrus, regressi sunt illi qui deduxerunt Simonẽ, id est, Appion & Athenodorus, & uenerunt ad nos requirentes patrem meum. Petrus uero ubi cognouit, iussit eos introire. Et cum consedissent, ubi est, aiunt, Faustinianus? Petrus respondit, nescimus: uespere enim postquam ad uos uenit, ultra nulli suorũ uisus est: hesterno tamen die mane Simon uenit, quærens eum, & quia nihil illi respondimus, nescio quid ei uisum sit, Faustinianum se esse dicebat: quod cum ei nemo crederet, flens & dolens cõminabatur perempturum semetipsum, & post hæc abijt ad mare uersus. Hæc cum audisset Appion & qui cum ipso erant, ululatum dederunt grandem, dicentes: Quid hoc fecistis, cur nõ recepistis eum? Et cum uelit Athenodorus dicere mihi, quia ipse erat Faustinianus pater tuus, Appion præueniens eum: Cõperimus, inquit, à quodã qui cum Simone profectus est, ipso Faustiniano deprecante eũ, pro eo quod nollet filios suos uidere, quia Iudei erant. Nos ergo cum audissemus hæc, uenimus eum hic requirere: sed quia hic non est, apparet quia uere dixit, qui nunciauit eum cum Simone profectũ: hoc ergo nunciamus uobis. Ego autẽ Clemens ubi intellexi consiliũ Petri, quia uoluerit eis suspicionẽ dare, quod ab ipsis quærendus esset senex, ut timerent & fugerent, cœpi iuuare consiliũ eius, & aio ad Appionem: Audi charissime Appion, nos quod bonũ credimus, etiã patri tradere uolumus: quod si noluerit recipere, sed magis, ut dicis, exhorrescens nos fugit, asperũ sit fortasse quod dico, nec nos de eo curamus. Et cum hæc dixissem, quasi execrantes crudelitatẽ meam discedunt, uestigia Simonis, ut sequenti die cõperimus, insequentes. Interea cum Petrus ex more quotidie populum doceret, & uirtutes multas ac sanitates efficeret, post dies decem uenit quidã nostrorũ ab Antiochia, missus à patre, adnuncians nobis quomodo publice staret pater,

pater, Simonem quidem qui in uultu uidebatur accusans, Petrum uero immensis laudibus præferens, & omni populo cõmendans, ac desiderabilẽ faciens, ita ut omnes ex eius sermone mutati, desiderarent eum uidere, multos autem tantũ in Petri amorem uenisse, ut sæuirent in patrem, quasi in Simonem, & manus ei uelint inijcere, uelut qui tantum mali cõmisisset in Petrum: propter quod, aiebat, adpropera, ne fortè perimatur: in timore enim magno positus, uelociter misit me, ut sine mora uenias; quo uiuentem eum occupes, simul & crescenti erga tui desiderium ciuitati, opportunus appareas. Aiebat etiam quomodo mox ut urbem Antiochiam pater ingressus esset, quasi ad Simonem, omnis populus ad eum collectus est, & cœpit omnibus cõfiteri publice secundum ea quæ populi restauratio flagitabat: nam quicunq; omnes simul nobiles, & diuersi simul diuites ac pauperes conuenissent, sperãtes aliqua ab eo more solito prodigia posse fieri, omnes hac uoce adloquitur: Diu est quod me Simonem infelicissimũ hominum patientia diuina sustinet: nam quicquid in me mirati estis, non ueritatis mysterio, sed dæmonũ mendacijs & artibus gestum est, ut uestrã fidem euerterem, & meam animã condemnarem. Confiteor me omnia de Petro fuisse mentitum: ille enim neq; magus, neq; homicida unquam fuit, sed à deo ad salutem uestram omniũ missus est, quem si ex hac hora contemnendũ putauerítis, certũ sit apud uos, quod possit ipsa ciuitas uestra repẽte deperire. Quæ autem causa sit, ut hæc uobis ultro confitear, ab angelo dei hac nocte uehementer correptus sum, & cur ei inimicus extiterim, uehementissime flagellatus. Deprecor ergo uos, ut si egoipse ex hac hora aperuero os meum contra eum, projiciatis me ab aspectu uestro: ille enim immundus dæmon, saluti hominũ inimicus, per os meum contra ipsum loquitur, ne per eum uos pertingatis ad uitã. Quid enim ars magica per me uobis potuit uirtutis ostẽdere? Canes feci æreos latrare, & statuas mouere, figuras mutare hominũ, & subitò ab aspectibus hominũ absentari; & per hæc debuistis artem magicam execrari, quæ ut uobis miraculũ inane prætenderem, animas uestras diabolicis laqueis innodabat, ne crederetis Petro, qui & languentes in nomine eius, à quo missus est curat, & dæmonas fugat, ac cæcos inluminat, & paralyticis salutem reddit, & mortuos suscitat. Hæc & his similia multa prosequente, execrari cœpit populus, & dabant fletum & gemitũ, quia peccassent in Petrum, credẽtes eum esse magum, & impiũ. Eodem uero die ad uesperam restituta est in Faustiniano facies propria, & abscessit ab eo aspectus Simonis magi. Audiens autem Simon uultum suũ in eo ad Petri gloriam profecisse, festinus præuenit Petrum, & agere cupiens arte sua, ut Faustiniano eius similitudo recederet, cum iam hoc iuxta uerbum apostoli sui Christus implesset. Videntes autem Nicetа & Aquila post prædicationem necessariam, paternam faciem restitutam, gratias agentes deo, non eum permiserunt ulterius adloqui populum. Simon autem cœpit, licet occulte, per amicos suos & familiares ambulare, & amplius Petro derogare quàm antea. Tunc omnes expuentes in faciem eius, expulerunt eum de ciuitate, dicentes: Tu eris reus mortis tuæ, si ulterius loquutus cõtra Petrum, huc tibi crediderís esse ueniendũ. Quibus cognitis, Petrus postera die cõuenire populo iubet, & uno ex his qui sequebant eum, ordinato eis episcopo, alijs etiã presbyteris, baptizatis quoq; plurimis, & omnibus qui erant uexati languoribus, uel dæmonibus, sanitati redditis, demoratus ibi aliud triduũ, cunctis rite cõpositis, ualedicens eis, profiscitur à Laodicia multũ desiderabilis Antiochensium plebi: & cœpit per Nicetam & Aquilam tota ciuitas audire, quia Petrus aduentaret. Omnis autem populus Antiochiæ ciuitatis, audiens Petrum uenire, occurrerũt ei, & penẽ omnes maiores natu & nobiles, cinere aspersi in capite, pœnitentiã agentes, qui contra prædicationẽ eius, magum Simonẽ susceperant. Hæc & his similia prosequentes, obtulerunt ei uexatos languoribus, & dæmonijs fatigatos, paralyticos quoq;, & diuersa

Faustinianus subditicius Simon Antiochiæ plebem reconciliat.

Faustiniano nativa facies restituitur.

Simon ejectus Antiochia.

pericula patientes: & erat infinita multitudo simul languentium. Quos uidens Petrus non solum pœnitudinẽ agere, quod de eo male sensissent per Simonem, uerumetiam & iam integram fidem exhibere iubebat deo, ut etiam omnes, diuersas ægritudines patientes, crederẽt per eum posse saluari, expandit ad cœlum manus suas, & cum lachrymis orationẽ effundens, gratias referens deo dicebat: Benedicte pater prædicande, qui omne uerbum & promissum filij tui adimplere dignaris, ut cognoscat omnis creatura, quia tu solus deus in cœlo & in terra. Hæc & his similia dicens, ascendit in eminentiori loco, & iussit ante se poni omnẽ multitudinẽ ægrotantiũ, quos omnes hac uoce adloquutus est: Similem uobis hominẽ me esse uidẽtes, nolite putare quod à me possitis recuperare salutẽ uestram: sed per eum qui de cœlo descendens, ostendit credentibus sibi, integram animę & corporis medicinã: unde uox uestra testem habeat hunc omnem populum, quia ex toto corde creditis in domino Iesu Christo, ut sciant etiam seipsos ab ipso posse saluari. Cumq; omnis multitudo infirmantiũ una uoce clamaret, hunc esse uerũ deum, quem Petrus adnunciat, subitò immensum lumen gratiæ dei in medio plebis apparuit, & cœperunt paralytici currere ad pedes Petri sani, cæci recuperato uisu clamare, claudi restaurato gressu gratias agere, languentes recepta sanitate gaudere: nonnulli etiam solo flatu uiuentes, iam sine sensu & sine uoce recuperati sunt: omnes quoq; lunatici, & pleni dęmonijs liberati sunt. Tantam itaq; spiritus sanctus in illa die gratiam suæ uirtutis ostendit, ut omnes à minimo usq; ad maximum, una uoce confiterentur dominum: & ne multis immorer, intra septem dies, plus quàm decem millia hominum credentes deo, baptizati sunt, & sanctificatione cõsecrati, ita, ut omni auiditatis desiderio, Theophilus qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam, ecclesiæ nomine consecraret, in qua Petro apostolo cõstituta est ab omni populo cathedra, & omnis multitudo quotidie ad audiendũ uerbum conueniens, credebat sanæ doctrinæ, quam sanitatum efficacitas adfirmabat. Tum ego Clemens cum fratribus meis & matre patrem adloquimur, utrum aliquæ infidelitatis in eo reliquiæ remansissent. At ille: Venite, ait, & uidebitis coram Petro, quantum in me fidei creuerit incrementum. Tunc adcedens Faustinianus, procidit ad pedes Petri dicens: Semina uerbi tui quę ager meę mentis accepit, iam nata sunt, atq; ita ad fœcundam maturitatem prouecta sunt, ut nihil desit, nisi ut à paleis me spiritali illa tua defeces falce, & reponas me in horreo dominico, faciens me mensæ diuinę participẽ. Tum Petrus cum omni alacritate adprehendens manum eius, tradidit eum mihi Clementi, & fratribus meis, dicens: Sicut tibi patri filios restituit deus, ita & patrem filij restituunt deo. Indixit autem ieiunium omni plebi, & ueniente die dominica, baptizauit eum, atq; in medio populo, ex conuersione eius materiam sumens, omnes casus eius exposuit, ita, ut omnis ciuitas quasi angelum eum suspiceret, & non minorem ei gratiam quàm apostolo exhiberet.

Deo refrendũ acceptũ si quid gestũ fuerit ab hominibus paulò diuinus.

Cathedra Petri

Faustinianus quantũ promouerit.

RECOGNITIONVM DIVI CLEMENTIS LIBRI DECIMI ET VLTIMI FINIS.

NAS ALIQVOT EPISTOLAS VETERVM pontificum, qui à Christo nato annis CCC. Romanæ Ecclesiæ præfuerunt, IO. Sichardi præfatio.

INTER eos quorum egregia sunt in nostra secula merita, humanissime Lector, hi mihi potissimum uidentur bene nobis consulere, qui huc operam suam condicunt, ut pietas, cuius iandiu ne nomen quidem satis tenuimus, quamproxime hominibus commendetur: & inde hauriatur maxime, ubi de impostura ne quidem tantula possit in mẽtem uenire suspicio. Eiusmodi uero sunt libri quos nunc bibliacos uocamus, & ut quisq; his propius accesserit: quales fuisse in animũ nobis inducimus eos, qui ipsis partim apostolorum temporibus uixere, partim tam fuere uicini, ut id quod ad Christi ecclesiam, moresq; pie formãdos pertineret, ab ipsis apostolis, tanquã per manus acceperint. In quorũ numero hauddubie antiquissimi quique pontifices Rom. fuere, eos dico qui à Christo nato annis plus minus CCC. sedi prędfuerunt, uiri cum uitæ sanctimonia insignes, tum singulari eruditione prædĭti: in quorũ uita, doctrina, moribus, ut non sit cuiquam procliue quicquã arrodere, ita uidentur mehercle digni, quorum scripta in hũc usq; diem, quod ego saltem sciam, orbi incognita, in manibus habeant: præsertim cum pleraq; hodie ecclesiæ eiusmodi uideantur, quæ cum ferri diutius non possint, uix tamen appareat, ita rebus passim exulceratis, ratio qua possint corrigi. Et qui id agere ingrediantur, non paulò sint & impudentiores & stolidiores, quàm illĭpsi qui uulgò creduntur, legibus in nos suis plus sibi satis indulsisse, atq; in his omnibus & ferendis & antiquandis, magis in consilio ambitionẽ, auaritiam, tyrannidis q; affectationẽ habuisse, quàm rei Christianę bene administrandæ studium. Quod ut donem de nõnullis, nec enim obscurum id est, nec tale quod à quouis negari possit, non tamen largiar, omnibus fuisse eandem mentem, ĭjs q; præcipuè qui diuum Petrum secuti, in extrema rerum omniũ inopia, cum desperatissimis hominũ moribus confligentes, contra insidias, insultus improborũ, atq; exquisita tormentorũ genera, in quæ pro Christi gloria uolentes inciderunt, nihil animi habuisse mihi persuadeo, quàm ut officiũ, quod tot nominibus uiderant Christum Petro cõmendasse, pro dignitate administrarent. Quos epistolæ illæ, locupletissimi animorũ testes, satis uindicant ab his uitĭjs, à quibus, fateor, non ita multum abhorruerunt ĭj, qui annis ab hinc aliquot, uicarios se Christi professi sunt. Eos uero nostra ætate cum quidã in ordinẽ cogere instituunt, à ceremonĭjs tanquã auspicato exordiuntur, & quod minime oportebat, malarũ causam cum optimis quibusq; cõiungunt, ut uideantur frustra laboraturi, quicunq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

 iam populo persuadere contendant, fuisse unquã bonum pontificẽ, eò quod quædã cum essent antiquitus honestis de causis recepta, & libere, ea cœperint durius exigere tanquã pensum nouitij pontifices. Nec interim cõsiderant, quod ea quæ tum sunt à Christianæ religionis proceribus cõstituta, ad istius ætatis geniũ ita fuerũt attẽperata, ut uel cere monijs, uel affectata etiã pietatis specie, paucitati Christianorũ duxerint succurrendũ. Nunc uero cũ huc uentũ est dei benignitate, ut leno cinijs eiusmodi amplius nõ debeat esse locus, quis neget, posse quædã iure optimo, adeoq; bono nostro mutari? Nec enim hac una in re tam stulte ueterũ debemus esse tenaces, ut præ his, quæ humanitus ad hoc poterãt seculũ magis è re nostra accõmodari, fastidiamus. Imò hoc uel unicũ debebat esse ecclesię antistitib. studiũ, ne quid hic inolescere per negligentiã sinerent, quod fidei nostræ remorã adferret, & inolita per occasionẽ abrogarẽt, si qua modo eius essent generis, quibus iam cum usus nullus esset, superuacaneũ nihilo tamen minus locũ usu cepissent, ne cũ fœdis nõnullis abusibus patrocinamur, de his etiã in dubiũ ueniamus, sine quibus ne quidẽ ullo pacto id quod Christiani dicimur, tueri poterimus. Nã abrogandarũ ceremoniarũ tanta nonnullos libido incessit, ut in uniuersum citraq; delectũ omnes pessundare gestiant. Quod ut cõsequantur, nunquã tamẽ defuturi sunt, qui tanquã loco motis, alias succenturiãt, easq;, ut ferè fit, deteriores. Etenim inter multos hodie sacra tractãtes, quotus quæso quisq; est, qui nõ angue peius oderit id omne, quod uel ceremonię speciẽ habet? eò quod aliò sunt fortè detortæ, quàm essent ab initio institutæ. At quid nõ potius rem ad fontes reuocãt, & in uiam redigũt, quod suapte natura frugi erat, at seculi uitio fermentatũ est? Mea ergo in his, alijsq; id genus rebus hęc est sentẽtia, ut principio spectandũ putem, sit ne uel mica honestæ frugis in his: quod si uel tantulã deprehẽderis, non id tolli è medio, quẽadmodũ ingressi sunt nõnulli facere, sed quoad fieri potest q̃emendatissimũ prorogari cupiã. Ad hoc uero utamur Epistolis illis tanq̃ amussi, quę, ut alia taceã sanè plurima, tanta sunt scriptæ eruditione ac prudentia, ut planè magnã me à bonis omnibus gratiã inituru cõfidã, nimirũ ea proferẽs, quæ citra inuidiã, id quod fuit mihi magnopere optandũ, poterãt pontifices, episcopos, presbyteros, demũ omnes sui officij admonere, & simul ueluti digito uiã ostẽdere, qua possint, ipsis etiã pontificibus autoribus, nõnulla tollere, in quæ tãto uidemus quosdã stomacho uociferari: & desinant tandẽ rerũ imperiti impetũ facere in ea, quę sunt tanto non modo seculorũ, sed & ecclesiarũ inter se consensu asserta. Nec interim puto quenquã esse paulò cordatiorẽ, qui neget per ceremonias quasdã ueluti nebulas stare, ne clare agnoscat Christus, ita ut maxime expediebat. Eas tamẽ si tollas, cogas plebẽ per se animi, iudicijq; expertẽ, planè obbrutescere, dũ altissimarũ rerũ, ut quas assequi nequeat, cogitationẽ abijcit, & illis quæ utcunq; Christũ eis adumbrant, interdicit. Vale.

NOn admodum his repugnauerim qui epistolam istam Clementis, Recognitionibus præfigendam censuerunt, ut quæ à Rufino latinitate donata sit ante recognitiones. Attamen cum in præfatione ad Gaudentiũ episcopum, Rufinus eius rei ipse meminerit, nolitq; uersionis tempus obseruari, uisum fuit subiniquum, autori iniuriam facere, præsertim huc nos serie historiæ inuitante. Nam quid est uerisimilius, quàm tum demum ad constituendum ecclesiæ statum Petrum animum adiecisse, cum iam uideret mortis diem adpetere? Quod uero Clemens hic se primum à Petro episcopum Romæ ordinatum asserit, à Rufino est satis superq; excusatum, dum Apostoli & Episcopi peculiaria munera, inter se differre dicit.

DIVI CLEMENTIS
AD IACOBVM FRATREM DOMINI EPISTOLA PRIMA, RVFINO TORANO AQVILEIENSE INTERPRETE.

CLEMENS Iacobo fratri domini, & episcopo episcoporum, regenti Hebræorũ sanctam ecclesiam in Hierosolymis. Sed & omnibus ecclesijs quæ ubiq; dei prouidentia fundatæ sunt, cum presbyteris & diaconibus, & cæteris omnibus † fratribus, pax sit semper. Notum tibi facio domine, quia Simon Petrus qui ueræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentũ esse ecclesiæ definitus est, qua de causa, etiã domini ore diuino cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis domini, apostolorũ primus, cui & primo deus pater filium reuelauit, cui & Christus competenter beatitudinem contulit, qui & uocatus est, & electus conuiua domini, & comes electus, tanquã bonus & probatissimus discipulus, qui occidentem obscuriorẽ mundi plagam, uelut omnium potentior, inluminare præceptus est, quiq; integre potuit implere præceptũ. Sed quousq; sermonẽ protraho, fugiens indicare quod triste est, quod quidem necesse est, licet tarde, proferre? Hic denicq; ipse Petrus qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palàm cum omni fiducia, aduersante etiã tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit, & regem omnium seculorum per orbem terræ, & usq; ad ipsius Romanæ huius urbis notitiam, ut etiam ipsa saluaretur, inuexit: hic inquam, pro pietate pati uolens præsentem uitam finiuit. In ipsis autem diebus, quibus uitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, adprehensa manu mea, repente cõsurgens in auribus totius ecclesię, hæc protulit uerba: Audite me fratres & conserui mei, quoniam sicut edoctus sum ab eo qui misit me domino & magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc episcopũ uobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedrã † credo, qui mihi ab initio usq; ad finem comes in omnibus fuit, & per hoc ueritatẽ totius meæ prædicationis agnouit, qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseuerans, quẽ ex præteritis expertus sum deum colentem, & homines diligentẽ, castũ, discendi studijs deditũ, sobrium, benignũ, iustum, patientem, scientẽ ferre nõnullorum etiã ex his qui in uerbo dei † instruunt iniurias. Propter quod ipsi trado à domino mihi † datã potestatẽ ligandi & soluendi, ut de omnibus quibuscunq; decreuerit in terris, hoc decretũ sit & in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod expedit solui, tanquã qui ad liquidũ ecclesię regulam nouerit. Ipsum ergo audite, scientes quia quicunq; contristauerit doctorem

patribus

Petri nomen unde.

Neronẽ intellexit, sub quo etiã passus est.

†trado

†instituuntur

†traditam

ueritatis, peccat in Christũ, & patrem omniũ exacerbat deum, propter quod & uita carebit. Ipsum autem qui præest cæteris, oportet medici uicem agere, & non feræ bestiæ furore cõmoueri. Hęc eo dicente, ego procidens ad pedes eius rogabam, excusans me, & declinans honorẽ cathedrę, simul & potestatẽ. At ille respondens: Pro hoc, inquit, ne me rogaueris, hoc enim fieri statutũ est mihi, & eò magis quo te excusas, quia hæc cathedra eum qui cupit eam & audaciter expetit, non requirit, sed ornatũ moribus, & in uerbo dei eruditum. Quod si esset alius melior, qui mihi adiutor tam sedulus adstitisset, aut tam plenæ doctrinę meę rationem cœpisset, sed & ecclesiasticas dispositiones à me tam plene didicisset, habens alium talem, non te cogerem bonum opus suscipere nolentem. Superfluũ ergo est aliũ quærere, cum primitias eorum qui ex gentibus per me saluantur, & pręcipue huius urbis, te primum obtulerim deo. Sed & illud intuere, quia si periculũ peccati timens, suscipere refugis ecclesię gubernacula, certus esto quia amplius peccas, quàm si populũ dei, uelut in fluctibus positũ & periclitantem, cum possis iuuare subterfugis, tui tantũmodo habens considerationẽ, & non quod in cõmune, & omnibus expedit prouidens. Sed certus esto, quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omniũ, ab obsecrãdo cessabo. Quanto ergo citius mihi adquieueris, tanto me citius † mœroris & tristitię labore releuabis. Noui etiã hoc ô Clemens, quod tibi tædia & molestias, pericula etiam & obprobria ineruditi uulgi, indociliscq; conciliem, quę tu tamẽ scio quod fortiter & cõstanter feras, respiciens ad illã spem, quę tibi apud deum patientiæ præparat coronam. Sed & illud te cupio mecum iusta ratione perspicere, quando maxime opera tua indiget Christus, nunc cum inimicus aduersum sponsam eius cõmouet bellum: nam in futuro tempore, quando iam Christus post uictoriã triumphabit, nec ultra ullius ope indigebit. Quis nõ etiam parui sensus intelligat, quod istud est temporis, in quo operam tuam Christus requirit? Tota igitur mente in præsenti necessitate præbe operam tuam, & auxiliũ in prælijs exhibe regi optimo, remunerationes magnificas post uictoriam reddituro. Libenter ergo suscipe episcopatus officium, eò maxime quod ecclesiasticas dispensationes à me probabiliter didicisti, ut salus eorum, qui per nos confugerunt ad deum, nequaquam uacillet. Veruntamen & breuiter te de ipsius dispensationis ordine coram omnibus cõmonere necessarium duco. Te quidem oportet inreprehensibiliter uiuere, & summo studio niti, ut omnes uitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, néue in ulla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotij cuiuscunq; occasione perplexus: neq; enim iudicem aut cognitorem secularium negotiorũ hodie te ordinare uult Christus, uti ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis uerbo dei uacare, & secundum ueritatis regulam, secernere bonos à malis. Ista nanq; opera, quę tibi minus cõgruere superius exposuimus, exhibeant sibi inuicem discentes, id est laici, & te nemo occupet ab his studijs, per quæ salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est, neglectis uerbi dei studijs, solicitudines suscipere seculares, ita unicuiq; laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi etiam in his, quæ ad communis uitæ usum pertinent, operam fideliter dederint. Te uero securum facere ex his, quibus non debes uacare, omnes cõmuniter elaborent. Quod si fortè à semetipsis hoc laici non intelligunt, per diaconos edocendi sunt, ut tibi solius ecclesiæ solicitudinem derelinquant, quo ipsam, ut dignum est, dispensare sufficias, & ueritatis uerbo abundantius possis & studiosius deseruire. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & teipsum decipies, & eos qui te audiunt: non enim poteris quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibusq; distinguere. Et ex eo fit, ut & tu, tanquam qui non docueris quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant. Idcirco ergo tu quidem ad hoc solum uacato, uti op-

Qui uerbo præsunt, peritos medicos debẽt imitari, id quod & 1. Corin. 2. Paulus scriptũ reliquit.

† Laboris & tristitiæ meæ mœrore.

Diaconorũ officium.

Episcopis ecclesiarum tantummodo cura demandatur.

uti opportune, & sine intermissione, doceas uerbum dei, per quod salutem consequi possint. Illi uero cum tanta reuerẽtia tua uerba suscipiant, ut qui sciant legatum te & præconem esse ueritatis, & quodcunq; ligaueris super terram, esse ligatum in cœlo, & quæcunq; solueris, etiam & ibi esse soluta: quandoquidem & tu, ut dixi, quæ oportet ligabis, & quæ expedit solues. Ad te quidem qui præes ista sint monita, & his similia. Ad presbyteros uero sint ista, ante omnia ut pudicitiæ studentes, adolescentes nuptijs iungant, quo calorem feruentis ætatis coniugali lege præueniant: sed ne in prouectioribus quidem curam habere huiusmodi negligant, quia in multis, etiam cum senuerit corpus, concupiscentia uiget. Ne fortè ergo fornicationis labes occasione accepta, tanquam uenenum pessimum serpat in uobis, cauere & anteuenire necessariũ est, ne quod in uobis adulterij occultũ coalescat incendium. & quod in omnibus peccatis adulterio grauius & secundum nanq; in pœnis obtinet locum, quoniamquidẽ primum illi habent, qui aberrant à deo, etiamsi sobriè uixerint. Propter quod uos ô presbyteri ecclesiam excolite, & adornate sponsam Christi ad pudicitiam. Sponsam autem dico omnem ecclesiam, id est, congregationem credentiũ, quæ si pudica fuerit inuenta ab sponso suo, ingentibus ab eo donis & muneribus honorabitur, & uos uelut ministri sponsæ, & amici sponsi, ingenti gaudio ac lætitia perfruemini. Si uero sponsa hęc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna trudetur à regalibus thoris. Vos autem pœnas dabitis, si fortè per uestram negligentiam uel desidiam obrepserit contagio sæua peccati. Idcirco igitur ante omnia sobrietatis & pudicitiæ solicitudinem gerite: ualde enim apud deum graue crimen ducitur fornicatio, cuius species quidem sunt plures, sicut & ipse uobis Clemens diligenter exponet. Veruntamen prima species adulterij est, uirum propria solũmodo uxore non esse contentum, & mulierem non proprio tantum seruare se uiro. Si ergo castus fuerit quispiam, potest & humanus & misericors fieri, per quod & ipse æternam à deo misericordiam consequatur. Sanè sicut adulterium uenenum cunctis malis perniciosius est, ita amor fraternus & charitas totius boni fastigium tenet. Et ideo diligite omnes fratres uestros, & cum religione ac misericordia respicite ad omnes. Orphanis exhibete uosmetipsos parentes. Viduis uirorum curam impendite, cum omni castitate quę necessaria sunt prębentes. Iuniores tamen uiduas nuptijs copulate. His qui ignorant artificia, exquirite honestas aliquas occasiones, quibus uictum necessarium quærant: artificibus uero operam prouidete, debilibus misericordiã facite. Scio autem hæc omnia facturos uos, si charitatem præ cæteris ante omnia in uestro corde desigatis: cuius charitatis recipiendæ & habendæ maximum erit fomentũ, si frequenter inter uosmetipsos cõmunem cibum uestrum mensamq; faciatis, & in quantum unusquisq; prævalet, crebrius panes ac sales suos cum suis fratribus sumat. Per hęc enim præcipue charitas comparatur, & causa totius boni in huiusmodi cõmunione consistit. Vbi autem pax & bonitas, ibi & salus. Propter quod cõmunes facite cibos uestros, cum his qui secundum deum fratres sunt, quia per hæc temporalia officia, pacis & charitatis fructibus, gaudia æterna merebimini. Multo autem solicitius esurientes reficite, & sitientibus potum date, nudis uestimentum, ægrotos uisitate, & eos qui in carcere sunt, prout possibile est iuuate, peregrinos satis promptè in domibus uestris suscipite. Et ne omnia nũc singillatim dicam, omne bonum, ipsa per se si in uobis fuerit charitas, facere uos docebit. Sicut è cõtrario eos qui à salute alieni sunt, omne malum facere, odium docet. Si qui ex fratribus negocia habent inter se, apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud presbyteros ecclesiæ, quicquid illud est dirimaẽ, & omnimodo obediant statutis eorũ. Super omnia aũt auaritiã fugite, quę homines, occasione præsentis lucri, ab æternis separat bonis. Põdera, mẽsuras, stateras pro locis quibusq; æquissima custodite, depositа fideliter

Presbyterorum in ecclesia functio.

Adulterium.

Fornicationis multæ species.

Istam cõmunẽ mẽsam Christianorũ, Agapam dictam fuisse, à dilectione, testatur Tertull. in apolog.

restituite: quæ omnia, & si qua sunt his similia, ita demum solicite & diligenter implebitis, si futurũ dei iudicium sine intermissione in uestro corde uoluatis. Quis enim peccare poterit, si semper ante oculos suos dei iudicium ponat? quod in fine mundi certum est agitandũ, ut tandem qui in hac uita bene egêre, cõsequantur reposita bona, peccatores autem ut consequantur præparatas & reconditas pœnas, de quibus ita futurũ dubitare omnino non possumus: siquidem hæc omnia ita esse uentura, uerus nobis propheta prædixerit. Vnde & uos qui estis ueri prophetæ discipuli, abijcite à cordibus uestris ante omnia, discordias & animorũ dissensiones, ex quibus omne opus malum procedit, & benignitatẽ ac simplicitatem tota mente seruate. Quod si forte alicuius cor, uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod malũ ex his quæ superius memorauimus, latenter inrepserit, non erubescat qui animę suę curam gerit, confiteri hæc huic qui præest, ut ab ipso per uerbum dei, & consiliũ salubre curetur, quo possit fide integra, & operibus bonis, pœnas ęterni ignis effugere, & ad perpetuę uitę prędia peruenire. Diacones uero ecclesiæ, tanquam oculi sint episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum uerecũdia, actus totius ecclesię, perscrutantes diligentius, si quem uideant uicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant hæc ad episcopum, ut cõmoneri ab eo possit is qui in præcipitium lapsurus est, uti reuocetur & nõ corruat in peccatum. Negligentiores quoq; & eos qui rarius ad audiendum uerbum dei accedunt, nec solicite ad episcopi tractatum ueniunt, ipsi cõmoneant & hortentur. Si enim adsidui sint ad audiendum, non solum uitæ æternæ ex salubri commonitione capient lucra, uerum & quęcunque illæ sunt tristitiæ uel mœrores, qui ex prędentis uitæ necessitatibus, & cladibus temporum ueniũt, quæq; malorum sermonibus, in corde suo ueluti iacula defixa circunferunt, abijcientur omnia prædicatione ueritatis, & uitę æternę doctrina, & eruditione purgata. Alioquin si multo tempore auditum subtrahant à uerbo dei, ut remaneant in cultu uitiorum, sine dubio spinis erunt ac sentibus occupati: & quid aliud nisi ad ignem talis hæc terra præparabitur? De his ergo, ut diximus, diacombus cura sit. Sed & eos qui secundum carnem ægrotant, solicite perquirant, & plebi, si forte ignorat, indicent de his, ut & ipsi uisitent eos, & quæ necessaria sunt præbeant eis, cum conscientia eius qui præest, quod tamen etiam si clàm fecerint, non pecccabunt. Sed & de peregrinis similiter episcopo suggerant refouendis, & cætera his similia, quæ ad cultum ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent, diaconis curæ sint. Qui catechizant, hoc est, qui uerbo instruunt incipientes, hi primo oportet instructi sint: de anima enim agitur hominum, & oportet eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & uerbi ordinẽ pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo ipse adprime esse eruditus & doctus, inreprehensibilis, maturus, impauidus, sicut ipsi probabitis fore Clementem hunc post me. Multum est autem, si ego nũc de singulis, quæ unusquisq; habere debeat, prosequar. Veruntamen illud est quod præ cæteris ab omnibus uobis cupio in cõmune seruari, ut concordiam teneatis, per quam solam potestis portum quietis intrare, & ciuitatem regis summi, quæ pax nominatur, habitare. Similis nanq; est omnis ecclesię status nauí magnę, quę per undosum pelagus, de diuersis locis & regionibus uiros portat, ad unam potentis regis urbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius portus dominus ipse omnipotens deus, gubernator uero sit Christus. Tum deinde proreti officium episcopus impleat, presbyterí nautarũ, diacones dispensatorũ teneant locum. Hi qui catechizant nautologis conferanť, epibatis autẽ totius fraternitatis multitudo sit similis, ipsum quoq; mare hic mundus habeatur, uentorũ uero uarietates & turbinũ, diuersis tentationibus conferantur, persequutiones ac tribulationes & pericula fluctibus exequanť. Terreni uero spiritus, qui uel de torrentibus, uel de conuallibus spirant, pseudoprophetarum

Cõfiteri est consilium petere.

Diacones episcoporum sunt oculi.

Episcopus eruditus.

Nam & pacis urbs Hierusalẽ aliquoties in sacris libris dicitur.

phetarum & seductorum seu prauæ doctrinę uerba ducantur. Promontoria uero & loca confragosa, hi qui in potestatibus seculi sunt iudices, & pericula minantur ac mortes. Bithalassa uero loca, quæ duplicibus undæ fallacis æstibus uerberantur, dubijs mente & de promissionũ ueritate nutantibus conferantur, atq; his qui inrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ uero & dolosi, piratis similes habeanť. Iam uero rapidus uortex & tartarea Charybdis, & saxis inlisa naufragia, ac mortiferæ subuersiones, quid aliud ęstimanda sunt quàm peccata? Restat igitur quo hęc nauis cursu prospero, tuta possit portum desideratę urbis intrare, ita deo precem fundere conuenit, ut mereantur nauigantes audiri. Audiri autẽ à deo ita demum merebitur, si orationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adiuuentur. Sed ante omnia, cum quiete & silentio epibatæ, id est, laici, in suis unusquisq; resideant locis, ne forte per inquietudinẽ & incõditos inutilesq; discursus, si passim uagarí cœperint, uel ab officio suo nautas impediãt, uel in alterũ latus per inquietudinẽ eorum nauis pressa demergať. Nautologi de mercedibus cõmoneant, & nihil omnino quod ad diligentiã, uel disciplinã pertinet, diacones negligant. Presbyteri uelut nautæ, aptent singula ad instructionẽ nauis diligenter, & instruant quæ in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tanquam proreta uigilanter & solicite gubernatoris uerba custodiat Christi. Saluator dominus, gubernator ecclesię suę, diligatur ab omnibus, & ipsius solius prędceptis ac iussis credat & obediat omnis ecclesia: deo quoq; indesinenter supplicetur à cunctis de prosperitate uentorũ, ut nauigantes omnem tribulationẽ, & omne periculum superent, tanquã in mare profundum mundi istius, & uitæ humanæ pelagus nauigantes, in quo & esuriendum sit & sitiendũ, nuditatẽ quoq; ferendã, morbos etiam corporis, & ęgritudines tolerandas: insuper & hominũ insidijs ac dolis sæpe laborandũ, quippe qui & dispergendos se nonnunqnã nouerint, sed aliquando etiã congregandos. Vomitus quoque & suggillationes ferendas, cum ex confusione peccatorũ, & reiectione criminum, uelut male congregatis in uisceribus fellis, iactura facienda est, & abijcienda prorsus è corde, omnis intrinsecus latens amaritudo peccati, si qua forte ex desiderijs iniquis, uelut ex cibis noxijs congregata est. Quam utiq; cum euomuerit quis & abiecerit, ingentis ægritudinis liberabitur morbo, si tamen post uomitum, quæ ad sanitatem pertinent sumat. Veruntamen scitote cuncti, quod supra omnes uos laboret episcopus, quia unusquisq; uestrũm suum propriũ fert laborem, ille uero & suum & singulorum. Propter quod ô Clemens, tanquam qui omnibus præesse te noueris, singulos prout potueris iuua, & singulos releua, qui & singulorũ onus ac solicitudinem portas. Vnde & ego nunc tibi iniungens dispensationem, scio quod accipiam gratiam magis quàm præsto. Sed esto confidens, & fortiter ferens, certus quia laboris tui meritum recipies, cum ad portum quietis incolumem hanc prouexeris nauem, ubi mercedes & præmia pro omniũ salute suscipies, si hic pro omnium incolumitate uigilaueris. Itaque si te multi ex fratribus, propter rigorem iustitiæ odio habuerint, ex eo quidem non læderis, sed ex huiuscemodi odijs amor tibi cõciliabitur dei. Et ideo satage, & refuge ne lauderis ab iniquis, & ne à pessime agentibus diligaris, sed potius ut propter iustitiæ dispensationem & æquissimam regulam disciplinæ, à Christo conlaudari mereaˢ. Hæc cum dixisset, & his similia quamplurima, rursum respiciens ad populum, dixit: Sed & uos charissimi fratres & conserui mei, huic qui prędsidet uobis ad ueritatem docendam, in omnibus obedite, scientes quod si quis hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi credidit cathedram, non recipit, & tanquam qui Christum non susceperit, nec deum patrem suscepisse iudicabitur, & ideo nec ipse susciꝑetur in regno cœlorũ: propter quod satagite, ad omnem collectam congregationem semper conuenire, uti non uelut negligentes & desides, à Christo iudice condemnemini. Conuenientes uero

Episcopus pro omnibus solicitus sit.

Inuidiam ex iustitia conflatam nõ magnificiãt uerbi dei præcones.

semper ad Clementem, omnes date operã pro ipso sentire, & summo studio fauorem uestrum erga ipsum dependere, scientes quod propter singulos uos ipsum magis solum infestat inimicus, & in ipsum maiora suscitat bella. Oportet ergo uos summo studio niti, ut omnes erga illum uinculo amoris innexi, plenissimo erga eum inhæreatis affectu. Sed & uos quoq; ipsi, unanimes in omni cõcordia perdurate, quo facilius etiã illi obedire omnes pariter cõsensu & unanimitate possitis, per quod & uos salutem consequi, & ille obtemperantibus sibi, promptius impositi oneris pondus uehere queat. Etiã ex uobisipsis intelligere debetis, si qua sint quæ ipse propter insidias hominũ malorũ, nõ potest euidentius & manifestius proloqui: uerbi gratia, si inimicus est alicui malorũ pro actibus suis, uos nolite expectare, ut ipse uobis dicat, cũ illo nolite amici esse: sed prudenter obseruare debetis, & uoluntati eius absq; communicatione obsecundare, & auertere uos ab eo, cui ipsum sensistis auersum. Sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisq; qui in culpa est, dum cupit omnium uestrũm amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei, qui omnibus præest, & per hoc redeat ad salutem & sanitatem, cum obedire cœperit monitis præsidenti. Si uero quis amicus fuerit his, quibus ipse amicus non est, & loquutus fuerit cum his quibus ipse nõ loquit̃, unus est & ipse ex illis, qui exterminare dei ecclesiã uolunt, & cum corpore uobiscum esse uideatur, mente & animo contra uos est, & est multo nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt, & euidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimici sunt gerit, & ecclesiam dispergit ac uastat. Et cum hæc dixisset in medio coram omnibus, manum mihi imposuit, & in cathedra sua, ingenti uerecũdia fatigatum me compulit. Cumq; sedissem, hęc ad me rursum loquutus est: Deprecor te Clemens coram omnibus qui prẹsentes sunt, ut posteaquam, sicut naturale debitũ est, uitæ præsentis finem fecero, Iacobo fratri domini describas breuiter, uel quæ ad initium fidei tuæ spectant, uel etiam quos ante fidem animos gesseris. Sed & qualiter mihi ab initio usq; ad finem, comes itineris & actuũ fueris, quæq; per singulas ciuitates me disputante solicitus auditor excepe ris: quippe qui in prędicationibus meis uerborũ fuerit ordo & actuũ, sed & qui me finis in hac urbe repererit, sicut dixi, omnia quàm potes breuissime cõprehensa, ad ipsum te destinare nõ pigeat. Nec uereris ne fortè multũ de meo exitu cõtristandus sit, cum me id pro pietate sustinere nõ ambigat. Erit autem ei grande solatium, cum didicerit, quod post me nõ imperitus uir aliquis, aut indoctus, aut ignorans diuini uerbi mysteriũ, ecclesiastici ordinis disciplinã, uel doctrinę regulã nescius, susceperit cathedrã meam. Scit enim quia si indoctus & insciius, officium doctoris accipiat, sine dubio discipuli & auditores ignorantiæ tenebris obuoluti, in interitũ demergentur. Vnde & ego domine mi Iacobe, cum hæc ab eo præcepta susceperim, necesse habui implere quod iusserat, indicans tibi, & de his ipsis simul, & de illis breuiter cõprehẽdens, quid per singulas quasq; urbes digrediens, aut in prædicationis sermone protulerit, aut in gestorũ uirtute perfecerit: quamuis tibi, de his plurima iam, & plenius ante descripta, ipso iubente transmiserim, sub eo titulo quem ipse præcepit adfigi, id est, Clementis itinerarium, non prædicationis Petri. Sed & nunc iam exponere quæ præcepit incipiam. Pœnitemini, inquit, & ueram agite pœnitentiam. Omnes ergo homines qui Christiano censentur uocabulo, patrem & filium & spiritum sanctum, unum deum & dominum ueraciter credere & confiteri, eumq; tota mente, & toto corde, & tota uirtute diligere, & proximos suos tanquam semetipsos, docibilesq; usque ad perfectam doctrinam, ad hæc perficienda summopere oportet. Fides enim & dilectio, totius bonitatis est fundamentum, sine fide autem placere deo nemo poterit. Christo itaque resurgente, & ascendente in cœlum, misso sancto spiritu, conlata apostolis scientia linguarum adhuc in uno positis, symbolum, quod fidelis nunc tenet ecclesia, unusquisque quod sensit

Causa cur cũ ex cõmunicatis nõ loquantur ij qui Christiani uolunt censeri.

Compendiolũ fidei Christianæ.

sensit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Summam ergo totius fidei catholicæ recensentes, in qua et integritas credulitatis ostenditur, & unius dei omnipotentis, id est sanctæ trinitatis æqualitas declarat̃, & mysterium incarnationis filij dei, qui pro salute humani generis à patre de cœlo descendens, de uirgine nasci dignatus est: quoq; ordine, uel quando mortem pertulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa ad cœlos ascenderit, ad dexteramq; patris consederit, & iudex uenturus sit: ac qualiter remissionem peccatorum, sacro baptismate renatis contulerit, & resurrectionem humani generis in eadem carne in uitam æternam futuram, sic docuerunt σύμβολον enim græcè, latine collectio dicitur, quod hoc prædicti sancti apostoli inter se, per spiritum sanctum salubriter, ut dictum est, condiderunt. Dicitur & indicium, quod per illud is qui recte crediderit, indicatur. Ergo cunctis credentibus, quæ continentur in præfato symbolo, salus animarum, & uita perpetua bonis actibus præparatur. Et quod in primordio eiusdem symboli præponitur: Credo in deum patrem omnipotentem: præclarum fidei testimoniũ & fundamentum in prima fronte monstratur, quia saluus esse poterit, qui recte crediderit. Credere enim oportet accedentem ad deum, quoniam corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Vnde ait propheta: Credidi, propter quod loquutus sum. Et illud: Iustus ex fide uiuit. Et: Nisi crediderit̃is, non intelligetis. Ergo sanè in rebus humanis nullum opus incipitur, nisi labor omnis ad effectum uenire credatur: unde credendum est in deum, à quo tam præsens uita, quàm futura tribuat̃. Deus autem appellatio est substantiæ sempiternæ, siue timoris diuini: igitur deus sine principio, sine fine, simplex, incorporeus, & incomprehensibilis. Patrem autem cum audis, agnosce quod habeat filium ueraciter genitum: sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet: & dominus, qui habet cui dominetur. Deus ergo pater, secreti sacramenti uocabulũ est, cuius uere filius est, uerbum, & speculũ, et character, et imago uiuens patris uiuentis, in omnibus patri similis, eiusdẽ naturæ, & in diuinitate genitus, & genitori per omnia coæqualis. Nec quæratur quomodo genuit filiũ, quod & angeli nesciunt, prophetis incognitum est: unde illud dictum est: Generationem eius quis enarrabit? quam secretã originem, cum proprio filio nouit ipse solus qui genuit. Nec à nobis deus discutiendus est, sed credendus, qui in nobisipsis nescimus quod sapimus, quomodo sapientia, ingenium, aut intellectus, aut consilium, aut mens nostra generat uerbum. Sed sufficit nosse, quia lux genuit splẽdorem, sicut ait propheta: In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferũ genui te. Et illud: Hic deus noster, & non reputabitur alter ad eum, & post in terra uisus est, & inter homines conuersatus est. Diligere ergo deum unumquenq; ex toto corde, & tota anima, ut præfixũ est, & tota fortitudine oportet, & proximum tanquã semetipsum, respondente domino cuidam scribarũ, ac dicente: Primũ omnium mãdatum est: Audi Israël, dominus deus tuus, deus unus est. Et diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua, & ex tota uirtute tua. Hoc est primũ mandatum. Secundũ autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatũ non est, quod maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Vnde & in ueteri testamento scriptum habetur: Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Et dominus ait: Omnia quæcunq; uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis similiter. Quibus utriusq; mandatis, per unum malitia compescitur, & per alterũ benignitas propagatur, ut ne malum quis inferat, sed bonum impendat: primum ut caueat lædere, secundum ut norit bonum præstare. Si enim fratrem quem uides non diligis, deum quem non uides, quomodo potes diligere? Sic ergo docet nos exercere curam nostri, & sic diligere nos, ut non negligatur dilectio proximi, quia dei dilectio morti comparatur, dicente Sapientia.

Summa Christianæ fidei.

Symbolũ apostolorum.

Dei nomen.

Deus pater.

Esa. 53

Psal. 109

Baruch. 3

Deut. 6

Matth. 22

Matth. 7

Cant.8 Valida est dilectio ut mors. Idcirco quia sicut mors uiolenter separat animam à corpore, ita dilectio dei uehementia sui, debet separare animam à mundano & carnali amore: qui enim, inquit dominus, diligit me, mandata mea seruabit. Nam qui dei
Ioan.15 præcepta contemnit, deum non diligit. Vnde scriptum est: Nolite putare quod maneatis in dilectione mea, si non seruaueritis præcepta mea: neq; enim regem diligimus, si odio leges eius habuerimus. Neq; etiam ex toto corde poterit is deum dili-
† In proximi corruere dilectione gere, qui noscitur † erga proximum carere dilectione: quia per dilectionē proximi, peruenitur ad charitatem Christi: quoniam, ut præmissum est, his duobus præceptis, tota lex pendet & prophetę. Docibiles ergo qui perfecte docti non sunt ad hæc peragenda, oportet omnes esse, ut & ipsi docti sint, & alios prudenter instrue-
Dan.9 re, & perfecte possint docere, iuxta Danielem prophetam qui ait: Populus autem sciens deum suum, obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt plurimos. Omnes docere promptos, ut etiam iam dictum est, qui docti sunt, esse oportet: sed sacerdotes doctiores cæteris in populo necesse esse dicebat, quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Sacerdotes uero sal terræ, & mundi lumen docens, præcipiebat ipsis præ cæteris in splendore operū patrem glorificare deum,
Matth.5 de quibus dominus ait: Beati estis cum maledixerint uobis, & persequuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis: sic enim persequuti sunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo saliet-
ur? id ad nihilū ualet ultra, nisi ut foras mittatur, & cōculcetur ab hominibus. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendūt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrū, ut luceat omnibus qui in domo sunt, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant bona opera uestra, & glorificēt patrem uestrum, qui in cœlis est. Episcopos autem per singulas ciuitates, ad quas ille non miserat, & doctos, & prudētes sicut serpentes, simplicesq; sicut columbas, iuxta domini præceptum nobis mittere præcepit, quod etiam facere iam cœpimus, & domino opem ferente, facturi sumus. Vos autem per uestras diœceses episcopos facite, & mittite, quia nos ad alias regiones, quod ipse iussit agere curabimus. Aliquos uero ad Gallias, Hispaniasq; mittemus, & quosdam ad Germaniam & Italiam, atque ad reliquas gentes dirigere cupimus. Vbi autē ferociores & rebelliores gentes fore cognouerimus, illūc dirigere sapientiores & seueriores necesse duximus, qui quotidie non cessent diuina seminare semina, & multos Christo domino lucrari, & ad rectam fidem, & uiam ueritatis perducere, ut plures manipulos domino ualeant præsentare. In illis uero ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines eorum, atq; primi legis doctores erant, episcoporum primates poni, uel patriarchas ordinauit, qui reliquorum episcoporum iudicia, & maiora quoties necesse fuerit, negocia in fide agitarent, & secūdum dei uoluntatem, sicut constituerunt sancti apostoli, & ita, ut ne quis iniuste periclitaretur, definirent. In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines (quos tamen minoris ducebant quàm memoratos Primates) Archiepiscopos instituī præcepit, qui nō tamē Primatū, sed Archiepiscoporū fruerentur nomine. Episcoporum quoq; iudicia, ut superius memoratum est, & maiora Ecclesiarum negocia, si ipsi reclamauerint, aut fortassis aliquem timorem, aut hos, aut illos suspectos habuerint, ad iam dictos Primates seu Patriarchas, ne quis
In singulis ciuitatibus maiusculis singuli Episcopi sint. innocenter periret, transferri iussit. In singulis uero reliquarum ciuitatum, singulos, & non binos uel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit, qui non Primatū, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorū nomine, quia matres ciuitatū non tenent, sed Episcoporū tantum uocabulo potirentur, quoniā nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Hoc tamen præuidendū instituit,

instituit, ne in uillis, aut castellis, aut modicis ciuitatibus instituerentur Episcopi, ne uile nomen eorum fieret. Episcopos ergo uicem apostolorū gerere, dominum docuisse dicebat, & reliquorū discipulorū uicem tenere presbyteros debere insinuabat. Et si quis aliquem ex his scādalizaret, grauissimā illi pœnā inferri debere prædicabat. Cunctos se inuicem diligere, & adiuuare debere, & neminem ab adiutorio fratris se subtrahere docebat. Homicidas uero & adulteros, & cunctos criminalibus nexibus implicitos, & eos qui ipsis fortè æquales non essent, ab illorū uexatione & accusatione, iubente domino prohibebat: & nō nisi à coæqualibus aliquid eis inferri debere docebat, quia discipulū supra magistrū esse, aut ullā ei iniuriā irroga-
Io re, nullatenus decet. Infames quoq; omnes, et quos administratores legū seculi non recipiunt, sed & laicos ab eorum accusatione, & uexatione semper repellere debere rogabat, & cunctos illis subditos esse præcipiebat, & cunctorū etiam sacerdotū uitam, superiorē, sanctioremq;, ac discretā à secularibus & laicis hominibus esse. Et spirituales quosq; atq; sacerdotes, super carnales ac laicos semper cōstituendos docebat, quoniam pro minimo nobis esse debet, ut à talibus arguamur & iudicemur,
1.Corin.4 uel ab alio humano die. Maiores uero à minoribus, nec accusari, nec iudicari ullatenus posse dicebat, quoniā non solum diuinas, sed & leges seculi hoc inhibere constaret. Omnes ergo legum diuinarū sponte uiolatores, & sacrarū institutionū uoluntarie perturbatores, ecclesiastica indignos regula, & sancta cōmunione iudica-
Io bat. Operatores uero earundem, eisq; obedientes, utrarunq; ac cæterorum honore dignos esse dicebat, unde & prophetas in testimonium sumebat: Audite cœli & Esa.1 auribus percipe terra, quoniam dominus loquutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autē non cognouit me, populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt dominum, blasphemauerunt sanctū Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiā uos ultra addentes præuaricationē? Omne caput languidū, & omne cor mœrens: à planta pedis usq; ad uerticem non est in eo sanitas. Vulnus & liuor, & plaga
tumens non est circunligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Terra uestra
30 deserta, ciuitates uestræ igne succensæ, regionem uestram coram uobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in uastitate hostili, & derelinquetur. Væ, inquit, qui dicitis Esa.5 bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarū. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animā suam, & aperuit os suum absq; ullo termino, & descendent fortes eius & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum, & incuruabitur homo, & humiliabitur uir, & oculi sublimium deprimentur: & exaltabitur dominus in iudicio, & dominus sanctus sanctificabitur in iustitia. Carnales spiritualibus resistere prohibebat, et de his qui ceruices suas
40 contra magistros & seniores suos erigebant, in exemplum adducebat: Detracta est Esa.14 ad inferos superbia tua, cecidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt uermes. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram qui uulnerabas gētes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam, supra astra dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum traheris, in profundum laci. Qui te uiderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Nunquid iste uir est qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit, uinctis eius nō aperuit carcerem? Ebrietatem oppido prohibebat, & ebriosos corpore & animo mortuos esse dicens, de quibus & in exemplum aiebat: Væ qui consurgitis mane ad Esa.5

Universidad de Deusto
Biblioteca

ebrietatem sectandam, & potandū usq; ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanū, & tibia, & uinum in conuiuijs uestris, & opus domini non respicitis, & opera manuum eius non consideratis. Et iterum: Væ qui potentes estis ad bibendū uinū, & uiri fortes ad miscendā ebrietatē, qui iustificatis impium pro muneribus, et iustitiā iusti aufertis ab eo. Propter hoc sicut deuorat stipulā lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum ut puluis ascendet: abiecerunt enim legem domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemauerunt. Ideo iratus est furor domini in populo suo, & extendit manum suam super eum, & percussit eum, & conturbati sunt montes, & facta sunt morticinia eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Nullum etiam presbyterū, in alicuius episcopi parochia aliquid agere debere absq; eius permissu docebat, & cūctos presbyteros proprijs episcopis in omnibus absq; mora, instituente domino, obedire. Nullum item aliena concupiscere aut præsumere eorum, sed unumquenq; suis sibiq; commissis cōtentum abire oportere. Neminem etiam quicquam alteri facere, nisi quod sibi uellet fieri, instruebat. Sanctam quoq; ecclesiam immaculatā, omnes seruare debere euangelizabat, cuius claues Episcopos nominabat, ipsi enim habent potestatē claudere cœlum, & aperire portas eius, quia claues cœli facti sunt. Amouere autem eos, neminem debere docebat: quia oculi domini sunt, & qui eos tangit, tangit pupillā oculi eius. Et quanta pœna dignus sit is qui eos scādalizat, ipsum dominū docuisse dicebat, ubi ait: Qui scandalizauerit unū de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendat mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundū inferni. Væ mundo à scandalis: necesse enim est ut ueniant scandala, uerum tamen uæ homini illi, per quem scandalum uenit. Si autem manus tua uel pes tuus scādalizat te, abscide eum & proijce abs te: bonū est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus uel duos pedes habentē, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te: bonū est tibi unum oculum habētem, in uitam intrare, quàm duos oculos habentē, mitti in gehennā ignis. Videte ne contemnatis unū ex his pusillis. Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis super terrā, erunt alligata & in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterū dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quacunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est: ubi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et iterū per prophetam loquitur, dicens: Expauit, inquit, cœlum super hoc, & horruit amplius uehementer, dicit dominus. O intolerabilē malignitatem, ô linguā iniquitatē loquentem cōtra deum, & mentem in altitudinē cornu extollentē. Et iterum: Impone homo tuæ linguæ ostium & seram, cessa cornu in altitudinē extollens, & loquens iniquitatem aduersus deum & proximū tuum. Quousq; insultas patienti Christo & fratribus? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorum infirmā conscientiā, in Christū grauiter peccatis, & rei iudicio effecti, infames efficiemini, & iuste repellemini. Et iterū per prophetā loquitur, dicens: Vos autē sacerdotes domini uocabimini, ministri dei nostri dicetur uobis. Fortitudinē gentiū comedetis, & in gloria eorū superbietis. Pro confusione uestra duplici et rubore, laudabunt patrē eorū. Propter hoc in terra sua duplicia possidebūt, & lætitia sempiterna erit eis, quia ego dominus diligens iudiciū, & odio habens rapinā in holocaustū, & dabo opus eorū in ueritate, & fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorū in medio populorū. Omnes qui uiderint eos cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit dominus. Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in deo meo, quia induit me uestimēto salutis, & indumēto iustitiæ circundedit me, quasi spōsum decoratū corona, & quasi sponsam ornatā monilibus suis.

Claues cœlorū sunt penes episcopos.

Matth.18

Matth.5

Matth.16

Mar.11

Eccle.28

Esa.61

Sicut

Sicut enim terra profert germē suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic dominus deus germinabit iustitiam, & laudem coram uniuersis gentibus. Eos autem à solo domino, aut iudicandos, aut remouendos, & non ab alijs, idcirco adstruebat, quia sui sunt, & non alterius. Et quis est, qui alterius iudicet seruum? nam si ista non patiuntur homines, nec deus deorum, et dominus dominantium hæc ullatenus patitur. Vnde & prophetas eius rei testes proferebat, per quos dominus loquitur, dicens: Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriā meam alteri non dabo. Audi me Iacob, & Israël quem ego uoco. Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. Manus quoq; mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos. Ego uocabo eos & stabunt simul. Me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis iustum, populus lex mea in corde eorum. Nolite timere obprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim uestimentum, sic comedet eos uermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generatione generationum. Et iterum: Abscondita est uita mea à domino, & à deo meo iudicium transibit. Nunquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus, deus qui creauit terminos terrę non deficiet, neq; laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso uirtutem, & ijs qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in domino, mutabunt fortitudinem, & assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Transeant ad me insulæ, & gentes mutent fortitudinem. Accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. Eos autem qui illos uetant, aut amouere, aut damnare nituntur, dominus per prophetam damnat, & usque ad satisfactionem eorum, etiam ecclesiæ damnatos esse declarat, ubi per prophetam ait: Talia elegerunt in uijs suis, & in abominationibus anima eorum delectata est. Vnde & ego eligam illusiones eorū, & damnationē adducā eis, quia locutus sum eis & non audierunt, fecerūtq; malū in oculis meis, & quæ nolui elegerūt. Audite uerbū domini qui tremitis ad uerbū eius, dixerūt fratres uestri odientes uos, & abijcientes propter nomē meum, glorificetur dominus, & uidebimus in lætitia uestra, ipsi autem confundentur. Non enim laborabūt frustra in cōturbatione præsules mei, quia semen benedictionum domini est. Antequā clament ego audiam, & adhuc illis loquentibus ego exaudiam. Ad glorificandū se, et diuina mandata seminanda & euangelizāda, eos dominus elegit, & non ut prohibeātur aut perturbent, quoniā qui eos lædit, eum lædit, cuius legatione fungūtur. Prædicare aiebat eos assidue, & mandata domini sine intermissione annunciare rogabat: opera eorū bona, corā hominibus monstrare, & conscientiam bonam coram deo habere insinuabat, omnesq; principes terræ & cunctos homines illis obedire, & capita sua submittere, eorumq; adiutores existere præcipiebat, ut omnes pariter fideles & cooperatores legis dei monstrarentur, ne de eis dicatur: Cōfundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te, & erunt quasi non sint. Et peribunt uiri qui cōtradicunt tibi, quęrens eos, & non inuenies uiros rebelles tuos, et erunt quasi non sint, & ueluti consumptio hominis, bellantes aduersum te. Omnes ergo qui illis contraueniunt, ita damnatos & infames usq; ad satisfactionem esse uoluit, & si non conuertantur, à liminibus ecclesiæ extorres esse præcepit. Homicidiorum uero tria genera esse dicebat, & pœnā eorum parem esse. Nam sicut homicidas interfectores fratrum, ita & detractores eorum eosq; odientes, homicidas esse manifestabat: quia & qui occîdit, & qui odit fratrem suum, & qui detrahit, pariter homicidam esse monstrat scriptura. Omnes etiam à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersum animam, abstinere, & bo

Esa.48

Esa.51

Esa.40

Esa.41

Homicidij tria genera sunt.

nam eorum conuersationem ac innocentem, omnibus monstrare postulabat, & ex corde cunctos attentius se inuicem diligere, & ueram fraternitatem inter se habere docebat. Quotidiana uero illius prædicatio, inter cætera diuina hæc erat mandata, quam in exemplum, etiam tibi frater charissime significare curaui. Bonorum, inquit, operũ inter cætera semina ac negocia sunt, quantũ unusquisq; sapit, & potest totius intimi cordis, ut prætactũ est, uisceribus deum diligere, & proximũ uelut seipsum: abnegare seipsum sibi, ut Iesum Christũ dominũ nostrũ sequatur, & nihil eius amori præponere. Veritatẽ corde & ore profiteri, & totã spem suam deo semper cõmittere. Actus uitæ suæ omni hora custodire, & eum in omni loco deum respicere, firmiter scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christũ allidere, & sacerdotibus domini manifestare. Os suum à malo uel prauo colloquio custodire, & uerba uana aut mendacia non dicere: quia os quod mentitur occidit animã. Verba diuina libenter audire, & sacerdotibus suis obtemperare, obedientesq; esse docebat. Prædicationi & orationi ac lectioni frequenter incumbere, & eleemosynas ueras perficere. Desideria carnis non amare, sed propriam frangere uoluntatẽ. Boni aliquid in se cum uiderit, deo, non sibi attribuere. At malum, à se factum cognoscere, sibiq; ipsi imputare. Multũ loqui non amare, sed custodire labia sua, ne dolũ aut malũ loquãtur: diem iudicij timere, gehennã expauescere, uitamq; æternã omni cõcupiscentia desiderare. Non occidere, non adulterare, non furtum facere, non rem proximi cõcupiscere, non falsum testimoniũ dicere, sed omnes homines honorare. Corpus custodire, uanasq; & caducas non amplecti delicias. Ieiunium & uigilias sanctas amare, pauperes recreare, nudos uestire, infirmos uisitare, sitientes potare, mortuos sepelire, et diligenter eorum exequias peragere, pro eisq; orare, & eleemosynas erogare, dolentes consolari, & suis bonis refouere, & à malis actibus se alienũ efficere. Non esse superbũ, non uinolentũ, nec multũ edacem, non somnolentũ, non pigrum, non murmuratorẽ, non detractorẽ: quia qui detrahit, non solũ se, sed & multos alios occidit. Irã non perficere, nec iracundiæ tempus reseruare, dolũ in corde nõ tenere, nec pacem falsam prætendere, charitatẽ non derelinquere, nec iurare, ne forte in periuriũ, quod absit, incurratur. Malũ pro malo nõ reddere, nec iniuriã facere, sed factã patienter tolerare. Inimicos diligere, maledicentes se non rursus maledicere, sed magis benedicere, & persequutionẽ pro iustitia sustinere. Charitatẽ amare, & nullũ odio habere, quia qui odit fratrem suum, ipse homicida est. Elationem fugere, zelum malum non habere, inuidiã non exercere, nec cõtentionẽ diligere, cum discordantibus ante solis occasum in gratiã redire, & de dei misericordia nunquã desperare, seniores uenerari, & iuniores diligere. Episcopos, sacerdotes suos, ac cũctos reliquos ecclesiæ ministros, atq; omnem plebem sibi cõmissam, uerbo diuino & mandato instruere, atq; amare, hosq; omnes suos Episcopos, cum omni uirtute, ut proprios oculos amare, quia oculi sunt illorũ. Eorum præceptis in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, memores sancti illius dominici præcepti: Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Ipsi autem Episcopi si exorbitauerint, ab istis non sunt reprehẽdendi uel arguendi, sed supportãdi, nisi in fide errauerint. Illi ergo super istos sunt, non autem isti super illos, quoniã maior à minore necargui, nec iudicari potest. Nullus se extollat erga doctores, ac magistros suos, quia discipulus supra magistrũ esse non debet, neq; potest. Nullus uelit dici sanctus antequã sit, sed prius sit, quo uerius dicat. Præcepta domini, doctorũq; ac magistrorũ, factis quotidie adimplere, & in Christi nomine pro inimicis orare oportet: obediẽtia enim & humiliatio quæ magistris exhibetur, domino exhibetur. Timor domini delectabit, & dabit lætitiã & gaudiũ, in longitudinem dierum. Timenti deum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Væ dissolutis corde, qui non crediderunt deo, & resistunt mandatis

Cõmunia quædam Christianæ fidei.

Matth. 23

Ecclc. 1

datis eius, & inobedientes ac contumaces sunt ijs, qui eius legatione funguntũr, & ideo non proteguntur ab eo. Væ his qui perdiderunt sufferentiam, qui dereliquerunt uias rectas, & diuerterunt in uias prauas: & quid facient cum inspicere cœperit dominus? Qui timent dominũ, non erunt increduli uerbo eius: & qui diligunt illum, obseruabunt uiam illius. Qui timent dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent dominum, custodient mandata ipsius, & patientiam habebunt usq; ad aduentum illius, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus dei, & non in manus hominum: secundum enim magnitudinem illius, sic & misericordia eius cum ipso est. Venite, inquit, filij audite me, timorem domini docebo uos. Currite dum uitæ lumen habetis, ne tenebræ mortis uos comprehendant. Omnis qui uult uitam, & cupit dies uidere bonos, prohibeat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum: diuertat à malo, & faciat bonum, inquirat pacem & persequatur eam, quia oculi domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Propterea nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, sed lætamini in domino & exultati iusti, & gloriamini omnes recti corde. Quia multi uenient ab oriente & occidente, domino dicente, atq; à septentrione ac meridie, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob. Propter quod deprecor te frater charissime, ut doceas attentius hunc prædicationis ordinem, & absolutionis diem, ut saluentur animæ hominum, quæ occulta dei uirtute, quem debeant diligere, prius quàm doceãtur, agnoscãt. Operum uero ratio, potestati & arbitrio uniuscuiusq; permittitur: et hoc ipsorum est proprium. Desiderium uero habere erga doctorem ueritatis, hoc à patre cœlesti donatum est. Sed salus in eo est, ut uoluntatem eius, cuius amorem & desiderium, deo largitore, conceperis, efficias, ne dicatur ille sermo eius ad nos, quem ipse dixit: Quid autem dicitis me domine domine, & non facitis ea quæ dico? Est ergo proprij muneris, ut sit unusquisque prout dominus noster dederit, perfectus in ecclesia, mittensq; semina diuina, ut de nobis non prædictus sermo, sed ille dicatur quem alibi dixit dominus noster: Ideo, inquit, omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis erit homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Nullus ergo, inquit, impediat ordinẽ, aut locum occupet irrationabiliter, uel temporum permutet uices, sed primo quæ sit iustitia eius, quæ uoluntas, requiramus, ut bonis operibus, ac dei gratia repleamur. Deus enim ijs qui recte sentiunt, & bona agunt, præstò est, quoniam illis manifestat seipsum: nam si quis uelit ante quàm actus suos emendet, de ijs requirere, quæ non potest inuenire, stulta & inefficax erit huiusmodi inquisitio. Tempus enim breue est, & in iudicio dei gestorum causa agitur, non quæstionum: ideoq; ante omnia hoc quæramus, quid nos, aut qualiter oporteat agere, ut æternam uitam consequi mereamur. Nam si exiguum hoc uitæ tempus, per inanes occupemus & inutiles quæstiones, inanes sine dubio & uacui ab operibus bonis pergemus ad deum, ubi iudicium operum nostrorum fiet. Vnaquæque etenim res suum tempus habet, & locum. Operum hic locus, hoc tempus est, meritorum seculum futurum. Currant igitur per uiam mandatorum dei, & ab eorum, & præceptorum domini institutis, & à spiritus sancti doctrina non recedatur. Quapropter præparanda sunt corda nostra ac corpora, sancte mandatorum eius, suorumq; episcoporum ac prædicatorum obedientiæ militatura, ut suæ gratiæ iubeat nobis auxilium ministrare, & fugientes gehennæ pœnam, ad uitam ualeamus omnes peruenire æternam. Hæc itaque frater charissime Iacobe, ab ore beatissimi Petri iubentis excepi, tibiq;, ut optabas, insinuare studui, ut seruari omnia immaculata præcipias, quia ecclesiastica non opor-

Ecclc. 2

Psalm. 33

Psalm. 31

Matth. 8

De libero arbitrio.

Luc. 6

Matth. 13

tet negligẽter, sed diligẽter expleri negocia. Hæc ergo præcepta nemo credat absq; sui periculo negligenda, aut dissimulanda, quia iudicio dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit. Qui uero te audierit, ut iusserat minister Christi Iesu, gloriam accipiet. Qui autem te non audierit, imò loquentẽ dominum per te, ipse sibi damnationem accipiet. Curandum igitur & attendendum est nobis omnibus, ut quod perpetuum est expetat, & Christi passionibus per patientiam participemus, atq; regni eius mereamur esse consortes, Amen.

ARGVMENTVM SECVNDAE EPISTOLAE CLEMENTIS, PER IO. SICHARDVM.

POstquam ordines ministeriorum in Ecclesia, quos per capita, ut uisum fuit nascenti Christianismo conuenire, Clemens digesserat, propius aliquanto nunc officia docet, & summam Christianæ uitæ totam compendio complectitur. Præter alia tamen, eorum officium quale esse debeat ostendit erga Episcopos, qui uitæ ab his præcepta capiunt. Per occasionem hic principes, magistratus, plebem ipsosq; adeo Episcopos obtestans, ne scripturæ diuinæ ita se accommodent, ut alienum aliquem sensum, & Christo indignum aliunde afferant, sed ex ipsa scriptura, autore uero Propheta, exculpant. Vnde uidetur planè epistola illa, præter alias faciem habere synceræ illius doctrinæ primitiuæ ecclesiæ, quam tamen hac tempestate, tantis errorum & dissidiorum fluctibus iactati, uix per transennã agnoscimus amplius. Porrò admonendus est lector, ea quæ hic legũtur pulcherrime cõmixta, tanquam cumulo, hæc eadem in Recognitionum libris sparsim legi, ut ueri simile uideatur mihi, hanc à studioso aliquo Clementis cõscriptã potius, quàm ab ipso Clemẽte: quod tamẽ nec urgere nos magnopere debet, magis de re solicitos, quàm autore, cũ extra cõtrouersiã sit, eiusmodi hanc esse epistolã, quæ uel publice in ecclesijs legi possit.

DIVI CLEMENTIS AD IACOBVM FRATREM DOMINI EPISTOLA SECVNda, Rufino Torano Aquileiense interprete.

CLEMENS urbis Romę episcopus, omnibus coëpiscopis, presbyteris, diaconibus, ac reliquis clericis, & cunctis principibus, maioribus, minoribus ue omnibus generaliter fidelibus, benedictio, claritas & gloria, in gratia dei quę data est nobis in Christo Iesu domino nostro. Vrget nos fratres multus amor uester, et religiosa inuitat deuotio, quia debitores sumus, ut quędã uobis scribamus. Vobis ergo qui sacerdotio domini fruimini et in
Rom.1 specula estis positi, plus scire oportet, ut subditos uobis populos pleniter docere possitis, eisq; ad regna cœlorũ ducatũ præbere domino annuẽte ualeatis. Vnde & ipsa
Matth.4 per se ueritas ait: Vobis datũ est nosse mysteriũ regni dei, cæteris aũt in parabolis. Propter quod cõsiliũ do unicuiq; uestrũ cõstãter docere uerba diuina, & discẽtibus libẽter accõmodare aurẽ uerbo dei. Vestrũ em̃ qui legatione Christi fungimini, est docere populos, eorũ uero est uobis obedire ut deo. Si aũt uobis episcopis nõ obedierint omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi, et reliqui clerici, omnesq; principes tã maioris ordinis, q̃ et inferioris, atq; reliquæ populi tribus & linguę nõ obtemperauerint, non solũ infames, sed extorres à regno dei et cõsortio fideliũ, à liminibus sanctæ dei ecclesiæ alieni erũt. Nam uestrũ est eos instruere, eorũ uero est uobis obedi-
Luc.10 re, ut deo, cuius legatione fungimini, dicẽte domino: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: & qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Nihil enim iniustius uel inhonestius est, quàm filios patribus rebelles, aut clericos uel laicos, doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes uel proteruos existere. Nouimus em̃ primũ hominẽ per inobedientiã cecidisse, idcirco
1.Pet.5 omnes hoc uitiũ summopere cauere monemus. Et quia dominus superbis resistit, humilibus

humilibus autem dat gratiam, dominus noster mittens nos uice sua loco apostolo- 1.Petri 5
rum ad prędicandum, præcepit nobis docere omnes, omnesq; nobis fideliter obedientes existere, quoniam nec aliter terra pariet fructus suos, nisi culta receperit semen, & inrigata germinauerit, & pariet quæ est paritura. Sic & omnis homo, qui libenter non receperit uerbum dei, illudq; in corde suo germinare non fecerit, ac minime crediderit doctoribus et episcopis suis, nõ beneuolus, sed rebellis atq; inobediens extiterit, fructum non germinabit, nec pariet, sed similis arbori illi erit, de qua dominus ait: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem Matth.3
mittetur. Primus enim pontifex Aaron chrismate compositionis perunctus, prin-
ceps populi fuit, et tanquam rex, primitias & tributum per capita accepit à populo, & iudicandi plebem sortem susćepit, de mundis immundisq; iudicabat. Sed etsi alius ex ipso ungento perunctus est uirtute inde concepta, etiam ipse rex, aut propheta, aut pontifex fiebat. Quod si temporalis gratia, & ab hominibus composita, tantum potuit, intellige iam quantum sit illud ungentum, quod à deo de uirgulto uitę prolatum est, cum hoc quod ab hominibus factum est, tam eximias inter homines conferat dignitates. Quid enim in præsenti seculo propheta gloriosius, pontifice clarius, rege sublimius? Omnis enim pontifex sacro chrismate perunctus, et in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & preciosus hominibus oppido esse debet, quem quasi Christi locum tenentem, honorare omnes debent, eiq; seruire, & obedientes ad salutem suam fideliter existere, scientes quod siue honor, siue iniuria quæ ei defertur, in Christum redũdat, & à Christo in deum. Audire ergo eum attentius oportet, & ab ipso susćipere doctrinam fidei, monita autem uitæ à presbyteris inquirere, à diaconibus uero ordinem disciplinæ. Propter quod deprecor uos cõseruos, & adiutores meos, ut discatis attentius animarum curam gerere, & pro omnibus stare, maxime tamen pro his qui in cultu diuino laborant. Ecclesiarũ omnium curam habetote, seruisq; eorum adiutorium præbete, uiduarum religiosam curam gerite, pupillos enixius iuuate, pauperibus misericordiam facite, iuuenes pudicitiam docete: & ut breuiter totum dicam, alterutrum uos, in quibus res poposcerit, sustentate. Deum colite, qui creauit cœlum & terram, & Chri-
sto credite, inuicem uos diligite, & misericordes estote in omnes, non uerbo solo, *Misericordes sit-*
sed opere & rebus replete charitatem. Agitote pro uiribus conserui dilectissimi, *mus opere non*
quia bonum est, ut unusquisque uestrũm secundum quod potest, prosit accedenti- *uerbis.*
bus ad fidem religionis nostræ. Et ideo non uos pigeat secundũ sapientiam, quæ nobis per dei prouidentiam collata est, instruere ignaros & docere. Desiderium ergo habere omnes erga doctorem ueritatis, eumq; ut oculos suos amare oportet, quia & ipsum populum sibi commissum ceu proprios filios amare et docere eum decet: hoc enim à patre cœlesti ei donatum est. Sed & salus in eo est, ut uoluntatem eius, cuius amorem & desiderium, deo largiente, conceperint, faciant. Si quis ergo fidelis uoluerit existere, & desiderat baptizari, exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum cœlestium ex gestis propriis fiat.
Accedet autem qui uult ad sacerdotem suum, & ipsi det nomen suum, atque ab eo *Baptizari uo-*
audiat mysteria regni cœlorũ, ieiunijs frequentibus operam impendat, ac semet- *lentes quid fa-*
ipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus iam consummando, in die festo pos- *cere debeant.*
sit baptizari. Baptizetur autem unusquisq; in aquis perennibus, nomine trinæ beatitudinis inuocato super se, perunctus primum oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hoc consecratus, possit percipere locum cum sanctis. Nullus enim propter obprobrium senectutis, uel nobilitatẽ generis, aut iuuentutis, à paruulis et minus eruditis (si quid fortẽ est) utilitatis aut salutis inquirere aliquid negligat. Qui em̃ rebelliter uiuit, & discere atq; agere bona recusat, magis diaboli quàm Christi membrũ esse ostendit̃, & potius infidelis quàm fidelis mõstratur. Quomodo ergo

non omnibus hoc amabile est, cunctisq; exoptatum, ut quæ ignorat discat, & quæ didicerit doceat? Certissimum nanq; est, quod neq; amicitia, neq; propinquitas generis, neq; regni sublimitas homini debet esse pretiosior ueritate, quia nihil est pre-
Gene.1 tiosius anima. Dominus autem creator omnium, ex initio ad imaginē suam hominem fecit, eiq; dominationem terræ, maris q;, & aëris ipsius dedit, ueritatemq; inquirere præcepit, sicut uerus nobis propheta enarrauit, & ipsa rerum ratio docet. Solus enim homo est rationabilis, et consequens est, ut ratio irrationabilibus dominetur. Hic enim ab initio, cum adhuc iustus esset, cunctis uiribus, & omni fragilitate superior erat: ubi autem peccauit, & factus est seruus peccati, simul & fragilitati efficitur debitor obnoxius. Quod idcirco scriptum est, ut sciant homines, quia sicut ex impietate passibiles facti sunt, ita per pietatem possunt esse impassibiles, & non solum impassibiles, uerum & parua in deum fide, aliorū passiones curantes. Ita enim
Matth.17 uerus ipse propheta promisit, dicens: Amen amen dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc, & transiet. Huius uocis etiam uos ipsi documenta cœpistis, & iam facta quædam per magistros nostros, ipsos uidelicet apostolos non ignoratis, quia astantibus nobis, eorum meritis, dæmones cum passionibus quas hominibus inuexerant, transierunt & fugati sunt. Quia ergo alij quidem homines patiuntur, alij patientes curāt, causa sine dubio uel patiendi uel curandi noscenda est: quæ non alia esse in patientibus, quàm quidem infidelitatis, curantibus uero fidei demonstrat. Infidelitas enim dum non credit futurum dei iudicium, peccandi licentiam præbet: peccatū uero hominem passionibus obnoxium facit: fides autem futurum esse dei iudicium credens, continet homines à peccato. Non peccantes uero, non solum liberi sunt à dæmonibus & passionibus, uerum & aliorū dæmones & passiones fugare possunt. Ex his enim omnibus colligitur, quod origo totius mali, ab ignorantia descendat, & ipsa sit malorū omnium mater, quæ incuria quidem & ignauia gignitur, negligētia uero alitur & augetur, atq; in sensibus hominum radicatur, dum amatur. Quam si quis fortè doceat effugandam, uelut antiquis & hæreditarijs sedibus, molestè & indignanter auellitur. Et ideo paululum laborandum nobis est, ut indignantes, ignorantię præsumptionem scientiæ ratione resecemus, in his præcipue, qui in aliquibus minus rectis opinionibus præuenti sunt, per quas quasi sub specie alicuius scientiæ, ignorantia in his uehementius radicata est. Nihil enim grauius, quàm si id quod ignorat quis, scire se credat, & defendat uerum esse, quod falsum est. Quod tale est, quale si quis ebrius, sobrium se putet, & agat quidem cuncta ut ebrius, sobrium se tamen & ipse putet, & dici à cæteris uelit. Ita sunt ergo & hi qui ignorantes quod uerum est, speciem tamen alicuius scientiæ tenent, & mala quasi bona gerant, atq; ad perniciem, quasi ad salutem festinant. Propter quod ante omnia properandum est ad agnitionem ueritatis, ut possimus quasi lumine nobis inde succenso, errorum tenebras depellere. Grande enim malum est, ut diximus, ignorantia, sed quia substantiam non
Ignorantia quid. habet, facile ab his qui studiosi sunt effugatur. Non enim aliud est ignorantia, nisi non agnouisse quod expedit: ubi autem cognoueris, perit ignorantia. Quæri ergo in agone debet ueritatis agnitio, quam nemo alius assignare potest, nisi uerus propheta. Hæc enim porta est uitam uolentibus ingredi, & uia operum bonorū pergentibus ad ciuitatem salutis. Si quis sanè audiens sermonem ueri prophetæ, uelit recipere aut nolit, & amplecti onus eius, id est mandata uitæ, habet in sua potestate, liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset, ut audientes ea iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant, uis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset, ad aliam migrare sententiam. Aut si rursum ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ uis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum: nunc autem quia liberū est animo, in quam uelit partem declinare

declinare iudicium suum, & quam probauerit eligere uiam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem. Igitur priusquam audiat quis, quod ei expedit, certum est, quia ignoret, & ignorans uult & desiderat quod nō expedit agere, propter quod pro hoc non iudicat. Cum uero audierit causas erroris sui, & rationem ueritatis acceperit, tunc si permanserit in his erroribus, quibus dudum fuerat prę-
uentus, recte iam uocatur ad iudicium, daturus pœnas, quia uitæ huius spacium, quod ad bene uiuendum accepit, in ludibrijs consumpsit errorum. Qui uero audiens hæc libenter accipit, & gratulatur bonorum sibi doctrinam fuisse delatam, requirat inentius, & discere non desinat, usquequo cognoscat, si est uere aliud se-
10 culum, in quo bonis præmia præparata sunt: & cum certus de hoc fuerit, gratias agat deo, quod sibi ueritatis lumen ostenderit: de cætero dirigat actus suos in omnibus operibus bonis, quorum sibi in futuro mercedem certus est præparatā: admirans per omnia & stupens cæterorum hominum errores, & quod ante oculos posi tam ueritatem nemo uideat, ipse tamen gaudens super diuitijs sapientiæ quas inuenit, insatiabiliter his perfruatur, & exercitio bonorum operum delectetur, festinans ad seculum futurum mundo corde, & pura conscientia peruenire, ubi etiam uidere deum regem omnium possit. His autem omnibus carere nos, & fraudare sola facit ignorantia. Dum enim ignorant homines, quantū boni habeat scien
tia, ignorantiæ malum de se non patiuntur excludi: nesciunt enim quanta sit in ho
20 rum permutatione diuersitas: propter quod consilium do unicuique discentium, libenter præbere aurem uerbo dei, & cum amore ueritatis audire quæ dicimus, ut mens optimo semine susceptо, per bonos actus lætos afferat fructus. Nam si me docente ea quę ad salutem pertinent recipere quis abnuit, & animo prauis opinionibus occupato obsistere nititur, non ex nobis, sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim iusto iudicio examinare quæ dicimus, & intelligere quia uerbo loquimur ueritatis, ut cognitis his quæ sunt, & in bonis actibus dirigens uiam suam, regni cœlorū possit particeps inueniri, subijciens sibi carnis desideria, & dominus eorum factus, ut ita demum etiam ipse fiat dominatoris omnium iucunda
30 possessio. Nam qui permanet in malo, & seruus est mali, non potest esse portio bo
ni, donec permanet in malo: quia ab initio, ut antea iam diximus, duo regna statuit *Duo regna.*
deus, & potestatem dedit unicuiq; hominū, ut illius regni fiat portio, cui se ad obediendum ipse subiecerit. Et quia definitum est apud deum, non posse unum homi
nem utriusq; regni esse seruum, omni studio date operam, ut in boni regis aulam ac iura possitis concurrere. Propter hoc denicq; uerus propheta cum esset præsens nobiscum, & quosdam ex diuitibus negligentes erga dei cultum uideret, huius rei
Matth.6 ita aperuit ueritatem: Nemo potest, inquit, duobus dominis seruire. Et: Non po-
40 testis deo seruire & mammonæ: Mammonam patria eorum uoce diuitias uocans. Hic ergo uerus Propheta, qui in Iudæa nobis apparuit, ut audistis, qui stans publice, sola iussione faciebat cæcos uidere, surdos audire, fugabat dæmones, ægris sanitatem reddebat, & mortuis uitam: cumq; nihil ei esset impossibile, etiam cogitationes hominum præuidebat, quod nulli est possibile, nisi soli deo. Hic annunciauit regnum dei, cui nos de omnibus quæ dicebat, tanquam uero prophetæ, credimus, firmitatē fidei nostræ non solum ex uerbis eius, sed ex operibus assumētes: quia dicta legis quæ ante multas generationes de præsentia eius exposuerunt, in ipso consignantur, & imaginem gestorū Moyses, & ante ipsum Patriarcha Iacob, *Patriarchæ Christi typū gesserunt.*
ipsius per omnia typū gerebant. Tempus quoq; aduētus eius, hoc est, ipsum in quo uenerat, prædictū ab his cōstat: & super omnia quod esset à gentibus expectādus, sacris literis comprehensum est, quæ in eo pariter uniuersa completa sunt. Quod autem Iudæorū propheta prędixit eum à gentibus expectandū, supra modū in eo fidē firmat. Si enim dixisset à Iudæis expectandū, non aliquid eximiū prophetasse

Universidad de Deusto
Biblioteca

uideretur, quod à cõtribuli populo, & à propria gente speraretur, cuius aduentus ad salutẽ mundi fuerat repromissus: uideretur enim magis consequentię ratio esse, ut hoc fieret, quàm magnificentia prophetalis. Nunc autem cum prophetæ dicãt, omnem illam spem quæ de salute mũdi repromittitur, & nouitatem regni quæ instruenda per Christum est, atq; omnia quæ de eo iudicantur, ad gentes esse transferenda, iam non secundum consequentiam rerum, sed incredibili quodam uaticinationis euentu, magnificentia prophetica confirmatur. Iudæi nãq; ex initio affore aliquando hunc uirum, per quem cuncta reparentur, uerissima traditione susceperant, & quotidie meditãtes ac prospicientes, quando eius fieret aduentus, ubi adesse eum uiderunt, & signa ac prodigia, sicut de eo scriptum fuerat adimplentem, inuidia excæcati, agnoscere nequiuerunt præsentem, in cuius spe lætabantur absentis. Intellexerũt tamen sancti apostoli qui à deo electi sunt, & nos qui pòst ab eis electi sumus. Hoc autem prouidentia dei factũ est, ut agnitio boni huius, etiam gentibus traderetur, & hi qui nunquam de eo audierant, nec à prophetis didicerant, agnoscerent eum: illi uero qui quotidianis meditationibus euanuerãt, ignorarent. Ecce enim per uos nunc qui præsentes estis, & desideratis audire doctrinam fidei eius, & agnoscere quis, & quomodo, & qualis sit eius aduentus, prophetica ueritas adimpletur. Hoc enim est quod prædixerant prophetæ, quia à uobis quærendus esset qui de eo nunq; audistis. Et ideo uidentes in uobis ipsis prophetica dicta cõpleri, huic uni recte creditis, hunc recte expectatis, de hoc recte inquiritis, ut nõ solum expectetis eum, sed & hæreditatẽ regni eius credentes cõsequamini, secundũ quod ipse dixit, quia unusquisq; illius sit seruus, cui se ipse subiecerit. Propterea ergo uigilate, & dominũ deum q; nostrũ uobis cõscribite dominũ, qui & cœli ac terræ dominus est, & ad ipsius uos imaginem ac similitudinẽ reformate, sicut ipse uerus propheta docet, dicens: Estote boni & misericordes, sicut & pater uester cœlestis misericors est, qui oriri facit solem suum super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos. Hunc ergo imitamini, & hunc timete, & sicut mandatum datur hominibus, dominum deum tuum timebis, & illi soli seruies. Infidelibus quidem dormit dominus, & absens habetur his à quibus esse non creditur, & mandatis eius non obediũt, atq; ob id illis uidẽ quasi dormire dominus, quia pro peccatis suis nõ exaudiuntur. Quapropter cunctis fidelibus, et summopere omnibus presbyteris, & diaconibus, ac reliquis clericis, attendendum est, ut nihil absq; Episcopi propriꝰ licentia agant. Non utiq; missas sine eius iussu quisq; presbyterorum in sua parochia agat, nõ baptizet, nec quicquam absq; eius permissu faciat. Similiter et reliqui populi maiores scilicet ac minores, per eius licentiam quicquid agẽdum est, agant, nec sine eius permissu à sua parochia abscedãt, uel in ea aduentantes morari præsumant. Animę uero eorum ei creditę sunt: ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil. Quicunq; enim obediunt Episcopis suis, uidentur quidem aliquid gratiæ conferre deo. Quiautem eis non obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt. Porrò ipsi à deo donum summi muneris consequuntur, qui per iustitiæ & præceptorum eius semitas incedentes, suis doctoribus, qui recte episcopi intelliguntur, libenter obediunt. De quibus & beatus Petrus, institutor & ordinator noster, princeps apostolorum, manifeste cunctos audientes instruebat dicens: Videntur mihi qui loquuntur uerbũ ueritatis, & qui illuminãt animas hominum, similes esse radijs solis, qui ut processerint et apparuerint mundo, celari ultra aut occultari nullatenus possunt, dum non tam uidentur ab hominibus, quàm uidere omnibus præstant. Vnde & bene ipsa per se ueritas, ad ueritatis præcones ait: Vos estis lux mundi, & non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut omnibus luceat qui in domo sunt. Si quis ergo his obedierit, deo, ut dictum est, magnũ munus offert:

Luc. 6

Matth. 5

offert: qui autem his restiterit, aut inobediens extiterit, non his, sed domino saluatori nostro, cuius legatione funguntur, resistit. Propter quod primũ est omniũ, iustitiam dei regnum q; eius inquirere, & suis iussionibus obtemperare: iustitiam quidem, ut recte agere doceamur: regnũ uero, ut quæ sit merces posita laboris & patientiæ, nouerimus, in quo est bonis quidem æternorũ bonorum remuneratio, his autem qui contra uoluntatem eius egerunt, pro uniuscuiusq; actis pœnarũ digna restitutio. Hic ergo, hoc est in prẹsenti uita positis, oportet nos agnoscere uoluntatem dei, ubi & agendi & sacrificandi est locus: quoniam in alijs locis sacrificare, & missas celebrare non licet, nisi in his in quibus episcopus proprius iusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente uidelicet ciuitatem ubi consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec rite celebranda, docente nos nouo & ueteri Testamento. Hæc Apostoli à domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, uobisq; & omnibus absq; reprehensione tenere & docere, quibus agendum est mandamus. Vnaquæq; etenim res suum tempus habet & locũ: operum hic locus est, tempus uero est meritorum seculum futurum. Ne ergo impediamur ordinem locorũ ac temporum permutantes: primo quę sit dei iustitia requiramus, & tanquam iter acturi, abundanti uiatico ac bonis operibus repleamur, quo possimus ad regnum dei, tanquam ad urbem maximã peruenire: deus enim his qui recte sentiunt, per ipsa opera mũdi quæ fecit manifestus est, ipsius creaturæ suę utens testimonio. Et ideo cum de deo dubitatio esse non debeat, de sola nunc eius iustitia requiramus & regno. Ideo persuadeo primum iustitiam eius esse requirendam, ut per hanc iter agentes, & in uia ueritatis positi uerum prophetã inuenire possimus, non uelocitate pedum, sed bonorũ operum uelocitate currentes, ut ipso duce usi, nullum uiæ huius patiamur errorem. Si enim ipsum sequentes, ingredi merebimur illam quô peruenire cupimus ciuitatem, omnia iam de quibus quæritur, oculis uidebimus, tanquã hæredes omniũ facti. Intellígite itaq; uiam esse hunc uitæ nostræ cursum, uiatores eos qui nos instruunt, uel qui bona opera gerunt, portam uero prophetã, de quo dicimus, urbem regnũ esse, in quo residet omnipotens pater, quem soli uidere possunt hi qui mundo sunt corde. Non ergo nobis difficilis uideatur huius itineris labor, quia in fine eius requies erit, nam & ipse uerus propheta, ab initio mundi per seculum currens festinat ad requiem. Adest enim nobis omni die, & si quãdo necesse est, apparet, & corrigit nos, ut obtemperantes sibi ad uitam perducat æternã. De his autem qui negligunt uiam suæ salutis, & ob hoc nõ bene fideles, & præceptis eius suorum q; pontificum iussionibus inobedientes uel contumaces eis existant, dominus noster Iesus Christus mittens discipulos suos, præcepit nobis, dicens: In quancunq; ciuitatem aut domum introieritis, dicite, Pax huic domui: & si quidem fuerit, inquit, ibi filius pacis, ueniet super eum pax uestra: si uero non fuerit, pax uestra ad uos reuertetur. Exeuntes autem de domo uel de ciuitate illa, etiã puluerem qui adhæserit pedibus nostris excutiamus super eos: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicij, quàm illi ciuitati uel domui. Quod utiq; ita demum fieri præcepit, si prius in ciuitate uel domo ueritatis sermo prædicetur, ex quo uel recipientes ueritatis fidem filij pacis, & filij dei fiant, uel non recipientes arguantur quasi inimici pacis & dei. Ita ergo & nos magistri instituta sectantes, pacem primo proponimus auditoribus, ut absq; ulla perturbatione possit uia salutis agnosci. Quod si quis pacis uerba nõ suscipit, nec q; adquiescit ueritati, scimus aduersus eum pugnam uerbi mouere, & urgere acrius cõfutando ignorantiam, & redarguendo peccata. Necessariò igitur pacem proponimus, ut si quis est filius pacis, pax nostra ueniat super eum, ab eo autem qui se alienum pacis effecerit, regredietur ad nos pax nostra. Et si iterum in mandatis habemus, ut uenientes ad ciuitatem, discamus prius quis in ea dignus sit, ut apud eum

Matth. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.7. cibum ſumamus: quanto magis cõuenit noſcere, quis, qualiſue ſit is, cui immortalitatis uerba credenda ſunt? Soliciti enim & ualde ſoliciti eſſe debemus, ne margaritas noſtras mittamus ante porcos. Sed & alias ob cauſas utile eſt uiri huius habere notitiã. Si enim ſciam quia in his de quibus non poteſt dubitari, quod bona ſint, emendatus eſt & inculpabilis, hoc eſt, ſi ſobrius, ſi miſericors, ſi iuſtus, ſi mitis & humanus eſt, quæ bona eſſe nullus ambigit, tunc conſequens uidebitur, ut ei qui obtinet bona uirtutũ, etiam quod deeſt fidei & ſcientiæ conferatur, & in quibus maculari uidetur eius uita, quæ eſt in reliquis probabilis, emẽdetur. Si uero in his quę palàm ſunt, peccatis inuolutus permanet, & inquinatus, non me oportet aliquid de ſecretioribus, & remotis diuinæ ſcientiæ proloqui, ſed magis obteſtari, & cõuenire eum ut peccare deſinat, & actus ſuos à uitijs emendet. Quod ſi ingeſſerit ſe & prouocauerit nos dicere, quæ eum minus recte agentem, nõ oporteat audire, prudenter eum debemus eludere. Nam nihil omnino reſpondere, auditorũ cauſa utile non uidetur, ne fortè æſtiment nos reſponſionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur non intelligentia propoſiti noſtri. Magna contumelia & graue nobis erit peccatũ, ſi ita deſipiamus ut uideamus eum qui idola colit, eſſe ſobriũ, nos qui deum colimus ſobrij eſſe recuſemus: non hoc ſit inter nos, ſed magnũ habeamus ſtudiũ, ut ſi illi qui errant, homicidiũ non faciunt, nos nec iraſcamur quidẽ. Et ſi illi adulteriũ non cõmittunt, nos nec concupiſcamus quidem alienam mulierem. Si illi amant proximos ſuos, nos diligamus etiam inimicos noſtros. Si illi mutuò dant his qui habent unde reddant, nos etiam his demus à quibus accipere non ſperamus. Et per omnia nos quia æterni ſeculi hæreditatẽ ſperamus, præcellamus eos qui præſens tantũ ſeculũ norunt: ſcientes quia ſi opera illorũ noſtris operibus conlata, in die iudicij ſimilia inueniantur ac paria, confuſio nobis erit, quod æquales inuenimur in operibus, his qui propter ignorantiã condemnantur, & nullam ſpem futuri ſeculi habuerunt. Et uere digna confuſio eſt, ubi nihil amplius geſſimus ab his quibus amplius intelleximus. Quod ſi confuſio nobis erit, æquales his inueniri in operibus bonis, quid erit nobis ſi inferiores nos ac deteriores examinatio futura reperiat? Audite ergo quomodo de his nos ipſe uerus propheta docuerit, ad eos autẽ qui negligenter audiunt uerba ſapiẽtiæ ita ait: Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione hac, & cõdemnabit eã, quia uenit à finibus terrę audire ſapientiã Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic, & nõ audiunt. Ad eos uero qui de malis actibus gerere pœnitentiã detrectabant, ita ait: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & cõdemnabunt eam, quia pœnitentiã egerũt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Iona hic. Videtis ergo quomodo eos qui erudiebanẽ ex lege, adductis ad exemplũ illis qui ex gentili ignorantia ueniebant, & oſtendens eos nec illis æquales eſſe qui in errore poſiti uidebantur, ex ipſa tantum cõparatione condemnat. Ex quibus omnibus, ſermo quem propoſuimus approbaẽ, ut caſtimonia quæ aliquatenus etiã ab his qui in errore ſunt poſiti, cuſtoditur, multo purius & attentius, & per ſingulas quaſq; ſicut ſuprà oſtendimus, ſpecies à nobis qui ueritatem ſequimur teneatur, eò magis quo apud nos obſeruantiæ eius præmia æterna ſunt poſita. Aliter enim nemo ſaluus eſſe poterit, niſi obſeruationibus pro uiribus operam dederit. Deus uos in ſuauoluntate, unumquęq; in ſuo ordine ſemper cuſtodiat fratres, & ſibi placere in omnibus concedat, Amen.

Matth.12.

IN TERTIAM EPIST. DIVI CLEMENTIS ARG. PER IOAN. SICHARDVM.

Contra inſidias hæreticorum, quibus iam tum cœperant omnia eſſe infeſta, attentos iubet Clemens eſſe epiſcopos, ut doctrina ueritatis obſtruatur aditus lupis, qui poterant per occaſiones in gregem domini graſſari. Eos uero qui aliò iam fuerant quorundam perſuaſionibus traducti, quàm Chriſtianæ regulæ præſcriptum ferret, &c

ret, & palàm quorundam pſeudoprophetarum decretis ſubſcripſerant, obteſtatur, ne tanquam tranſfugæ, ab eorum ſtent partibus, quorum tota profeßio, ignorantiæ nebulis adumbrata, nullò pertineat, niſi ut ſubuertantur qui iam pulchre uidebantur ſibi in cognitione ueri prophetæ promouiſſe. Atq; hic in ignorantiam, ut qua uix ſit peſtis ulla capitalior, totis uiribus inuehitur, eiq; deberi dicit, quod à uero, ergà quod noſtropte ſumus ingenio melius affecti, abhorreamus, & noſtra culpa æternis nos ſupplicijs obnoxios faciamus. Per cõtentionem uero cognitionem ueritatis nobis ita commendat, ut putet parentum, quibus alioqui uita debeatur, reſpectum non tanti eſſe oportere, ut in eorum gratiam diutius quàm ſit noſtræ ſaluti integrum, in ignorantia permaneamus. Ne uero habeant cõtentionum ſtudioſi, quod morbo ſuo prætexant, addit, eam diſſidij anſam non eos, qui iam uero prophetæ nomen dederint, quæſituros, ſed qui ignorantiam præoptantes, alijs hoc ipſum inuident, unde inuiti licet, coguntur tamen profiteri ſalutem pendere.

DIVI CLEMENTIS AD IVLIVM ET IVLIANVM EPISCOPOS EPISTOLA TERTIA.

CLEMENS Romanæ urbis epiſcopus, chariſſimis fratribus Iulio & Iuliano, ac reliquis conſodalibus noſtris gentibuſq; quæ circa uos ſunt. Oportet fratres omnes doctores, qui ad ſalutem animarum inſtituti ſunt, & ad lucrandas animas epiſcopi ſunt conſecrati, pro cunctis ſolicitudinem gerere, & errantes ad uiam ueritatis, & ad portũ ſalutis reducere. Et licet propter gentes quæ circa uos ſunt, in modico uos erraſſe contigerit, melius tamen eſt redire ad ueritatis uiam, quàm diutius in ipſo errore perdurare. Quoſcunq; enim de his, qui uos errare fecerunt, uel de his, qui adhuc uerbum prædicationis non audierunt, poteſtis, uobiſcum adſumite, & ad uiam ueritatis reducite, ne infructuoſi, ſed fructuoſi domino inueniamini. Quoniamquidem ſicut terra cultore neglecta, ſpinas & tribulos neceſſariò producit, ita ſenſus ueſter longi temporis incuria, multas & noxias opiniones rerum, & intelligentias falſæ ſcientiæ germinauit. Opus eſt nunc multa diligentia, ad excolendum rus mentis ueſtræ, ut hic ſermo ueritatis, qui eſt uerus & diligens cordis colonus, aſſiduis excolat diſciplinis. Veſtrũm ergo eſt præbere obedientiam, & occupationes, ac ſolicitudines ſuperfluas amputare, ne bonum uerbi ſemen, enecet noxium germen. Poteſt enim fieri, ut multi temporis negligentiam, breuis & aſſidua reparet diligentia. Incertum nanq; eſt uniuſcuiuſq; uitæ tempus, & ideo feſtinandum eſt ad ſalutem, ne fortè cunctantes mors repentina præueniat: & hoc acrius adnitendum eſt temporis ſpatio, ut dum eſt tempus, collecta malæ cõſuetudinis dediſcamus: quod non aliter facere poteritis, niſi ut iraſcamini quodãmodo aduerſum uoſmetipſos, pro his quæ inutiliter geſſiſtis ac turpiter. Hæc enim eſt utilis uita, & iuſta & neceſſaria iracundia, ut unuſquiſq; in his quibus errauit & perperàm geſſit indignetur, & ſemetipſum accuſet: ex qua indignatione accẽditur in nobis ignis quidam, qui uelut agro ſterili immiſſus, conſumptis & excoctis radicibus peſſimæ uoluntatis, bono ſemini uerbi dei fœcundiorẽ cordis præparet glebam. Puto autem quod ſatis dignas habeatis cauſas iracundiæ, ex quibus iuſtiſſimus ignis concaleſcat, ſi conſideretis in quantos uos errores deduxerit ignorantiæ malum, quantoſq; lapſus, & quanta præcipitia ad peccandum dederit, à quantis uos bonis abſtraxit, & in quæ præcipitauit mala, & quod eſt ſuper omnia grauius, quod uos in futuro ſeculo æternis pœnis obnoxios fecit. Nonne pro his omnibus ubi uobis ueritatis lumen effulſit, ignis iuſtiſſimæ indignationis accenditur? & iracundiæ deo placitæ intra uos conſurgit incendium, quo cõſummatur & radicitus intereat omne ger-

Animus humanus confertur agro, qui incuria ſordeſcit.

men, si quod forte in terra malæ concupiscentiæ pullulauit. Vnde & ipse qui misit nos, cum uenisset, & omnem mundum uidisset ad malitiam declinasse, non continuò ei pacem in erroribus posito dedit, ne eum confirmaret in malis, sed ignorantiæ eius ruinis, scientiã ueritatis opposuit, ut si qui forte resipiscerẽt, & lumen ueritatis aspicerent, deceptos se & in præcipitia erroris abstractos meritò dolerent, & iracundię salutaris ignem aduersum deceptricem suam conciperent ignorantiam.

Matth.12. Ob hoc itaq; dicebat: Ignem ueni mittere in terram, quem uolo ut accendatur. Est ergo pugna quædam quæ gerenda nobis est in hac uita: sermo enim ueritatis & scientiæ, necessariò separat homines ab errore & ignorantia. Sicut sæpe uidemus putrefactas & emortuas corporis carnes, à connexione uiuentium membrorũ ferro secãte separari, tale ergo aliquid est, quod agit ueritatis agnitio. Necesse est enim ut salutis causa filius, uerbi gratia, qui sermonem receperit ueritatis, à parentibus separetur incredulis, aut rursum pater separetur à filio, aut filia à matre. Et hoc modo inter propinquos & cõsanguineos credentes atq; incredulos, scientiæ atq; ignorantiæ, ueritatisq; & erroris pugna cõsurgit. Et ob hoc iterum dicebat qui nos misit:

Matth.10. Non ueni pacem mittere in terram, sed gladiũ. Quod si dicit aliquis, & quomodo iustum uidetur separari filios à parentibus? Audi quomodo: quia si cum ipsis in errore permaneant, neq; illis proderũt, & ipsi cum illis pariter interibunt. Iustum igitur & ualde iustum est, separari eum qui saluari uult, ab eo qui non uult. Sed & illud aduerte, quia non ex illis qui rectius intelligunt, uenit ista separatio, ille enim uult interesse pariter & prodesse his, & docere meliora: sed est istud propriũ ignorantiæ uitium, ut confutantem se ueritatis lucem, non ferat habere de proximo, & ideo illis ista nascitur separatio. Nam qui scientiam ueritatis accipiunt, quia bonitatis plena est, tanquam à bono deo datam, cupiunt eam, si fieri potest, cum omnibus habere communem, etiam cum his qui oderunt eos, & persequuntur: sciunt enim peccatum ipsorum causam ignorantiæ esse. Propterea idem ipse magister, cum ab his qui ignorabant eum duceretur ad crucem, orabat patrem pro interfectoribus suis, & dicebat:

Luc.23. Pater, dimitte his peccatũ, nesciunt enim quid faciunt. Imitantes quoq; discipuli magistrum, etiam ipsi cum paterentur, similiter pro interfectoribus suis orabant. Quod si disciplina nobis est orare etiam pro interfectoribus & persecutoribus nostris, quomodo non etiam parentum, & propinquorum persecutiones ferre, & pro conuersione eorum orare debemus? Tum deinde etiam illud diligentius consideremus, quę sit nobis causa parentis diligendi. Pro eo, inquiunt, quod uitæ nostræ uidentur autores. Autores quidem uitæ nostrę parentes non sunt, sed ministri: non enim uitam præbent, sed ingrediendi nobis ad hanc uitam exhibent ministerium: autor autem uitæ unus & solus est deus. Si autem autorem uitæ diligere uolumus, illum nobis esse diligendum sciamus. Sed illum, inquiunt, cognoscere nõ potuimus, istos autem & nouimus, & in affectu habemus. Esto non potueritis cognoscere quid sit deus, quid tamen nõ sit deus perfacile scire potuistis: nam quomodo latêre potuit hominem, quod lignum, aut lapis, aut æs, uel alia huiusmodi materia non sit? Quod si in his quæ facile deprehendere potuistis, animum ad discutiendũ noluistis intendere, certum est quia in agnitione dei impediti estis, non impossibilitatis, sed ignauiæ uitio. Nam si uoluissetis, ex ipsis inutilibus simulacris profecto accepissetis intelligentiæ uiam. Certum est quia per ferrum facta sunt simulacra, ferrum uero per ignem confectum est, qui ignis aqua extinguitur, aqua autem per spiritũ mouetur, spiritus autem à deo initium habet.

Gen.1. Sic enim dicit Moyses propheta: In principio fecit deus cœlum & terram, terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus dei erat super eam. Spiritus iussu dei quasi in ipsa conditoris manu lucem separauit à tenebris, & post illud inuisibile cœlum, istud uisibile produxit, ut superiora quidem

Parentes ministri sunt ad uitã.

quidem habitaculum faceret angelis, inferiora uero hominibus. Propter uos ergo iussu dei aqua quæ erat super faciem terræ secessit, ut terra uobis produceret fructus: cui etiam humorum uenas latenter inseruit, ut uobis ex ea profluerent fontes, & flumina. Propter uos producere iussa est animantia, & omnia quæ uestro usui, uoluntatiq; seruirent. Aut non propter uos uenti spirant, ut ex ipsis concipiens fructus uobis terra parturiat? Non propter uos imbres perfluunt, & tempora uicissitudines mutant? Non propter uos sol oritur & occidit, & mutationes luna perpetitur? Non propter uos mare exhibet famulatum suum, ut uobis ingratis cuncta subiaceant? Nónne pro his omnibus iusta erit ultionis pœna, quia horum omnium largitorem, quem ante omnia & agnoscere, & uenerari debuistis, solum præ cæteris ignoratis? Sed & nunc uos ad hanc intelligentiam eius duco. Videtis etenim quod omnia gignuntur ex aquis, aqua uero per unigenitum ex initio facta est, unigeniti uero omnipotens deus caput est, per quem tali ordine, ut suprà diximus, peruenitur ad patrem. Cum autem peruenerit is, agnoscite hanc esse uoluntatem eius, ut per aquas quæ primæ creaturæ sunt, denuò renascamini. Qui enim regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus repletus, hæres efficitur eius à quo in incorruptionem generatus est. Propter quod paratis animis accedite quasi filij ad patrem, ut peccata uestra diluantur, & causa eorum sola ignorantia fuisse probetur apud deum. Nam si post agnitionem horum permanetis in incredulitate, uobis iam perditionis uestræ causa, & non ignorantiæ reputabitur. Nec putetis quod etiamsi omnem pietatem colatis omnemq; iustitiam, baptismũ uero non accipiatis, spem possitis habere apud deum, imò maiori pœna digni eritis, qui bona opera non bene operati estis: confertur enim meritum boni hominis, ex bonis gestis, sed si ita gerantur sicut deus iubet. Deus autem iussit omnem colentem se baptismo consignari: quod si renueritis, & uestræ uoluntati magis quàm dei obtemperetis, contrarij sine dubio & inimici estis uoluntati eius. Sed dicitis fortasse: Quid confert aquæ baptismus ad dei cultum? Primo quidem, quia quod deo placuit impletur: secundo, quia regenerati ex aquis & deo, renouata fragilitas prioris natiuitatis, quæ uobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum peruenire poteritis ad salutem, aliter impossibile est. Sic enim nobis cum sacramẽto uerus propheta testatus est dicens:

Baptismus quid prosit.

Ioan.3. Amen dico uobis, nisi quis denuò renatus fuerit ex aqua uiua, non introibit in regnum cœlorum. Et ideo accelerate, est enim in aquis istis misericordia eius quædam, quæ ex initio ferebatur super eas, & agnoscit eos qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, & eripit eos de supplicijs futuris, quasi donum quoddam offerens deo, animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solæ sunt enim quæ possunt uim futuri ignis extinguere: ad quas qui moratur accedere, constat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere, & ab ipso prohiberi ad aquas, quæ salutem conferunt, properare. Sicue enim iustus, siue sit iniustus, baptismum per omnia necessarium est: Iusto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio, & regeneretur deo: iniusto uero, ut peccatorum quæ gessit, remissio concedatur. Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci deo, & demum consignari ab episcopo, id est, septiformem gratiam spiritussancti percipere, quia incertus est uniuscuiusq; exitus uitæ. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi spiritus gratia ab episcopo, ut memoratum est, confirmatus (quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut uoluntate remanserit) ut habeat quod à Petro accepimus, & cæteri sancti apostoli præcipiente domino docuerunt, & demum ex operibus bonis ostendit in se similitudinem eius, qui eum genuit patris. Post hæc uero agnoscat deum honorare: honor

Id uulgò hodie appellamus confirmationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem eius est, ut ita uiuat, sicut ipse uult. Vult autem unumquenq; ita uiuere, ut homicidium & adulterium nesciat, odium & auaritiam fugiat, iram, superbiam, iactantiam respuat, & execretur: inuidiam quoq;, & cætera his similia, penitus à se ducat aliena. Est sanè propria quædam nostræ religionis obseruantia, quæ non tam imponitur hominibus, quàm proprie ab unoquoq; deum colente causa puritatis expetitur. De castimoniæ dico cautela, cuius species multæ sunt, sed prima, ut obseruet unusquisq; ne menstruatæ mulieri misceatur, hoc enim execrabile dicit lex dei: quod etsi lex de his non admonuisset, nos ut canterij libenter uolueremur in stercore? Debemus aliquid amplius habere animalibus, utpote rationabiles homines, & cœlestium capaces sensuum, quibus summum studium esse debeat, ab omni inquinamento cordis conscientiam custodire. Bonum est autem & puritati conueniens, etiam corpus aqua diluere. Bonum uero dico, non quasi principale illud in quo mens purificatur, sed quod sequela sit illius boni hoc in quo caro diluitur. Sic enim & magister noster quosdam pharisæorum & scribarum, qui uidebantur esse cæteris meliores, & à uulgo separati, increpabat, dicens eos hypocritas, quia ea solummodo quæ hominibus uidebantur purificabant: corda uero, quæ solus deus aspicit, inquinata relinquebant & sordida. Ad
Matth.23. quosdam ergo ex ipsis non ad omnes dicebat: Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis calicis & paropsidis quod deforis est, intus autem plena sunt sordibus: pharisæe cæce munda prius quod intus est, & quod deforis est erit mundum. Vere enim si mens mundetur luce scientiæ, cum ipsa fuerit munda ac splendida, tunc etiam eius qui deforis est hominis, ipsa necessariò curam gerit, id est carnis suæ, ut & ipsam purificet. Vbi autem ista quæ foris est purificatio carnis negligitur, certum est ibi neq; de puritate mentis ac munditia cordis curam geri. Ita ergo fit ut is qui intrinsecus mundus est, mundetur sine dubio & extrinsecus: non semper is qui mundatur extrinsecus, etiam intrinsecus mundus est, uidelicet cum agit hęc ut hominibus placeat. Sed & illa species castimoniæ obseruanda est, ut ne passim & libidinis solius causa fœminis coëat quis, sed posteritatis reparandæ gratia: quæ obseruantia cum etiam in nonnullis pecudibus inueniatur, pudori est si non ab hominibus rationabilibus, & deũ colentibus obseruetur: ergo omnes peccauerunt, & egent auxilio dei. Propter quod charissimi sectamini semper charitatem, & æmulamini meliora & spiritualia, & adiuuate uos inuicem, ut deo semper in omnibus placere ualeatis, Amen.

IN QVARTAM DIVI CLEMENTIS EPISTOLAM ARG. PER IOAN. SICHARDVM.

Miremur uero, si libet, quædam tanto seculorum interuallo aliò decidisse, quàm sunt instituta, quædam uero penitus in desuetudinem abijsse, cum ex hac epistola non obscure liceat cognoscere, illam mensæ, totiusq; cultus rationem, quam inter se Christiani peculiarem habuere, paulatim senuisse, ipsis etiam Clementis temporibus: apparetq; eam obsoleuisse citius, quàm esset paulò propius cognita: magna enim epistolæ pars in eo consumitur, ut in memoriam redigat id uictitandi genus, quod non temere à dilectione apud Græcos nomen inuenit, qua refrigescente sensim precia uitæ pessumiere, & ut quidq; fuit honestius institutum. At deum immortalem quantulo post apostolos tempore? Eiusmodi autem tum fuit Christianorum uita, quemadmodum in actis apostolicis describitur, ut sublata priuatarum rerum nomenclatura, in publicum quicquid uspiam esset abierit, indeq; ut uisa fuit cuiusq; necessitas postulare, expensum ab episcopo tanquam œconomo. Res fuit per se honesta, ut uix alia æque, sed quæ lucri cupidioribus fenestram quodãmodo aperuerit, qua ad diuitias, quas pro ruderibus ducere debebant, per fas atq; nefas aspirarent. Dispertiebant enim ueteres illi pontifices, ut de quorum fide nemini esse dubium

Mensa enim illa Christianorũ ἀγάπη dicitur

bium posset, prout omnium ratio tulit, tantumq; abfuit, ut eorum quicquam abraderent, ut etiam uitam si quo opus fuisset, impendere nihil essent grauati. Vt sunt re honestissima posteriores aliquot pontifices ad quæstus aucupium, & quod in hunc usum publico addiceretur, cœptum est primo decimari, paulò post, ubi res succesit, & uita illa lautior arrisit, & sordium eos piguit, abiecta fronte palàm pro suo omne id habuerunt, quod erat usibus omnium destinatum. Nihil addam amplius, ne argumentum scribens, imprudentius hic, quod nolim, Camarinam istam commoueam.

DIVI CLEMENTIS EPISTOLA QVARTA AD ECCLESIAM HIEROSOLYMITANAM.

DILECTISSIMIS fratribus & condiscipulis, Hierosolymis cũ charissimo fratre Iacobo coëpiscopo habitantibus, Clemens episcopus. Communis uita fratres omnibus est necessaria, & maxime his qui deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & uitam apostolorum, eorumq; discipulorum imitari uolunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem, alius hoc suum dicit esse, & alius illud, & sic inter mortales facta diuisio est. Denicq; Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse ait, Communia debere esse amicorum omnia: & sicut non potest, inquit, diuidi aër, neq; splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, diuidi debere, sed habenda esse communia. Vnde & dominus per prophetam loquitur, dicens: Ecce quàm bonum, & quàm iucundũ habitare fratres in unum. Istius enim *Psal.132.* consuetudinis more retento, etiam apostoli, eorumq; discipuli, ut prædictum est, unà nobiscum & uobiscum cõmunem uitam duxere. Vnde ut bene nostis, erat *Acto.4.* multitudinis eorum cor unum, & anima una, nec quisquam eorum aut nostrûm, de his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis & nobis erant communia, nec quisquam egens erat inter nos. Omnes uero qui domos uel agros possidebant, uendebant eos, & precia eorum, & reliquas res quas habebant, afferebant, ponentes ante pedes Apostolorum, sicut nobiscum quidam uestrûm cognouerunt, & uiderunt, & diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat. Ananias autẽ uir austerus, & Zaphira uxor eius, qui mentiti sunt apostolis de precio agro- *Acto.5.* rum suorum quos uendiderant, nobis præsentibus in conspectu omnium circunstantium, à conspectu apostolorum, propter peccatum eorum & mendacium quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Cætera quæ de talibus cognouimus & uidimus, nec recordatione, nec demonstratione digna sunt: quapropter hæc uobis cauenda mandamus, & doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcipimus, quia hi qui mandata eorum postponunt, non solum rei, sed extorres fiunt: quæ non solum nobis cauenda, sed & omnibus prædicanda sunt. Relatum est etiam nobis, quod quidam uestris in partibus cõmorantes, aduersantẽ sanis doctrinis, & prout eis uidetur, non secundũ traditionem patris, sed iuxta sensum suũ docere uidentur. Multas enim quidam, ut audiuimus, uestrarũ partium, secundum ingenium hominũ, ex his quæ legunt ueri similitudines capiunt: & ideo diligenter obseruandum est, ut lex dei cum legitur, nõ secundũ propriam ingenij intelligentiam legatur uel doceat: sunt enim multa uerba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisq; sponte præsumpsit: sed fieri non oportet: non enim sensum quẽ extrinsecus attuleris alienũ, & extraneum debetis quæ-

rere, aut quo modo ipsum scripturarum autoritate confirmare, sed ex scripturis sensum capere ueritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiã discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum ueritatem sibi traditam seruauit, & ipse possit ea quæ recte susceperit competẽter asserere. Cum enim ex diuinis scripturis, integram quis & firmam regulam ueritatis susceperit, absurdum non erit si aliquid ex eruditione communi, ac liberalibus studijs, quæ fortè in pueritia attigit, ad adsertionem ueri dogmatis conferat, ita tamen ut ubi uera didicit, falsa & simulata declinet. Incertum est enim, etiam iuuenibus uitæ tempus, senibus autem nec incertum est: non enim dubitatur quin quantumcunq; est quod putatur supereſſe, breue sit. Et ideo tam iuuenes, quàm senes oportet de conuersione & pœnitentia ualde esse solicitos, & satagere, ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est dogmatibus ueritatis, decore pudicitiæ, splendore iustitiæ, candore pietatis, alijsq; omnibus quibus comptam decet esse rationabilem mentem. Vnde consilium dantes, uestram prudentiam hortamur, ut ab apostolicis regulis non recedatis, sed cõmunem uitam ducentes, & scripturas sacras recte intelligentes, quæ domino sunt placita, uos ea salubrè adimplere satagatis, ut oratione assidua, cum dei gratiam merueritis, tunc sine suspicione mali interitus, uota possint celebrari festiua. Deus autem pacis sit cum omnibus uobis, Amen.

IN DIVI ANACLETI EPISTOLAM ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

MAgni referre D. Paulus non ab re existimat, quem quisque suæ doctrinæ habeat autorem. Nec ita multo secus Tertullianus, de præscriptionibus contra hæreticos, hoc plus esse cuiq; defrendum censet, quo sanior sit is, atq; meliore nixus suæ sententiæ principe. Indeq; esse quod Clementem pro se quisq; pluris facere debeat: nam is ut doctrinæ suæ instituta è Petro hausit, ita prærogatiuam quodammodo docendi ab eo tulerit. Atque ita demum cuiuslibet ecclesiæ dignitatem esse colligendam, si quamplurimos autorum habuerit similes. Ea in re quis non uidet, Anacletum esse, qui cum Clemente sit antiquior, quem hoc nomine uel maxime suspicere debeamus? Eius enim episcopatus, cui magna innocentia XII. annis præfuit, cum in Domitiani cruentissimi Imperatoris tempora incidisset, qui hanc sibi operam poposcerat, ut ferro igneq;, quod in se erat, Christianorum pernuriam ad internitionem redigeret, essentq; non pauci defectionem iam, ob diutinum periculorum metum, cogitantes: eos ad patientiam Anacletus animat, adfirmans eam esse, qua ueluti militari tessera, eius nos Imperatoris esse milites testemur, ad cuius sumus imaginem creati. Vbi autem hoc se euicisse putat, dilectionem proximi, ut quæ patientiæ umbra sit, illis commendat, exemplo Christi, qui cum fratrum nomen unice nobis conciliare studeret, ex æquo uoluit & dici, & esse omnium parens.

DIVI ANACLETI EPISTOLA OMNIBVS ECCLESIIS SCRIPTA.

ANACLETVS seruus Christi Iesu, in sede apostolica domino seruiens, episcopis omnibus & cæteris cunctis fidelibus, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem. Gratia uobis, & pax, atq; consolatio multiplicentur à domino in ecclesia. Benedictus deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui secũdum magnã misericordiã suã, regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionẽ Christi Iesu ex mortuis, in hæreditatem incorruptibi-

lem, & incontaminatam, & inmarcessibilem, conseruatam in cœlis, in uobis qui in uirtute dei custodimini per fidem & salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo, in quo exultabitis, etsi modicum nunc oportet contristari in uarijs tentationibus, ut probatio uestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur: si tamen in tribulationibus experti, probati inueniamini. Patientes estote dilectissimi, quia patientia probationem operatur, probatio uero spem, spes autem non confundit. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Si agricolæ hæc patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis uos pro æternis patientes esse debetis? Estote ergo patientes & confirmate corda uestra, ut adueniente iudice Christo, lęti & probati esse ualeatis. Nolite ingemiscere in alterutrum, ne iudicemini: ecce iudex ante ianuam assistit: exemplum capite charissimi laboris & patientiæ, prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini, etenim beatificamus qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem domini uidistis, quoniam misericors & miserator est deus. Tribulationes uestras audiuimus fratres tam per uestros, quàm & per alio rum apocrisiarios, super quibus ualde dolemus, uobisq; compatimur, & auxilium ferre, prout ipse largitus fuerit, qui pro nobis non solum tribulatus, sed etiam passus est, parati sumus. Nolite mirari charissimi, qui persequutiones patimini, quasi noui uobis aliquid contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius, gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & uirtutis dei, & qui est eius spiritus, super uos requiescet. Nemo autem uestrũm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, nõ erubescat, glorificet autem deum in isto nomine, quoniam tempus est ut incipiat iudicium de domo dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt dei euangelio? & si iustus uix saluabitur, impius & peccator ubi apparebunt? Itaq; & ij qui patiuntur secundum uoluntatem dei, fideli creatori commendant animas suas in benefactis. Nam & ait Clemens beatus antecessor noster, similis est omnis ecclesiæ status naui magnæ, quæ per undosum pelagus, diuersis è locis & regionibus uiros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo nauis autor huius, dominus ipse omnipotens deus, gubernator uero sit Christus, tum domini prorę officiũ episcopus impleat, presbyteri nautarũ, diaconi dispensatorũ locum teneant, hi qui catechizant nautologis conferantur, epibatis autem totius fraterni tatis multitudo sit similis. Ipsum quoq; mare hic mundus habeatur, uentorũ uero uarietates & turbinũ, diuersis tentationibus cõferantur. Persequutiones, tribulationes, siue pericula, fluctibus exequentur. Terreni uero spiritus, qui de torrentibus uel cõuallibus spirant, pseudopropherarũ, & seductorũ, seu prauæ doctrinæ uerba docentes. Promontoria uero & loca cõfragosa, hi qui in potestatibus sunt, seculi iudices, & pericula minanť ac mortes. Bithalassa uero quæ duplicibus undæ fallacis æstibus uerberantur, dubijs mente & repromissionũ ueritate nutantibus cõferantur, atq; his qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ uero & dolosi piratis similes habeanť. Iam uero rapidus uortex, & tartarea charybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt quàm peccata? Restat igitur ut hęc nauis cursu prospero tuta possit portum desiderate urbis intrare, & ita deo precem fundere, ut nauigãtes mereantur audiri. Audiuimus fratres quod quidam & detrahunt & accusant sacerdotes dei, cupientes eos damnari, nõ intelligentes forsitan, quod iniuria sacerdotum, ad Christum pertinet, cuius uice funguntur: nec hoc aspiciunt, quod beatus princeps apostolorum instructor noster ait: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes ratio-

Rom.5.

Libro nono recognitionum.

1.Pet.4.

1.Petr.2.

nabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Et dominus per pro
Psal.33. phetam inquit: Qui uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coërceat linguam
suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Qui autem ista transgrediuntur,
profecto transgressores legis dei, & contemptores, atq; inobedientes eius præce-
Iaco.2. ptis existūt. Vnde & beatus Apostolus ait: Si diligitis proximos sicut uosmetipsos,
bene facitis: si autem personas accipitis, peccatū operamini, redarguti à lege qua-
si transgressores. Et beatus apostolus ac præcessor noster Clemens, uir apostoli-
cus, & spiritu dei plenus, cum reliquis sanctis collegis suis statuit dicens: Accusan-
di uel testificandi licentia denegetur omnibus, qui Christianæ religionis & nomi-
nis dignitatem, & suæ legis, uel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, ne
Apostatæ. glexerint: transgressores enim sponte legis suæ, eiusq; uiolatores, apostatæ nomi-
nantur: omnis enim apostata refutandus est, & ante reuersionem suam non in ac-
Prouer.6. cusatione recte agentium, aut testimonio suscipiendus, quia uir duplex animo in-
Iaco.2. constans est in omnibus uijs suis. Quicunq; autem, ut ait Iacobus apostolus, totam
legem seruauerit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit,
non mœchaberis, dixit & non occides: quod si non mœchaberis, occides autem,
factus es transgressor legis. Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis inci-
pientes iudicari: iudicium enim sine misericordia, illi qui non fecit misericordiam:
Ezech.33. superexcellit autem misericordia iudicio. Et dominus ait: Nolo mortem peccato-
ris, sed ut conuertatur & uiuat. & multa alia horum similia. Nemo enim, inquit
Rom.14. Apostolus, nostrûm sibi uiuit, & nemo sibi moritur: siue ergo uiuimus, siue mori-
mur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & reuixit, ut & mortuo-
rum & uiuorum dominetur: tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare
spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal dei. Scriptū est enim,
Viuo ego dicit dominus, quoniam in eo flectetur omne genu, & omnis lingua
confitebitur deo. Itaq; unusquisq; uestrûm per se rationem reddet domino. Non
ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendicu-
lum fratri uel scandalum. Scimus enim quia multum derogatio prævalet, quan-
do derogator creditur fide dignus. Ideo fratres uarijs detractationibus non opor-
tet labefactari iudices, & primates ecclesiæ, sed magis apostolorum & doctorum
regulis informari & roborari. Vnde iustum est, omnes in uniuerso Romanorum
orbe doctores legis, ea quæ legis sunt, recte sapere, & operari, & non regulas na-
scentis ecclesiæ confundere, aut fidem, ac doctrinam apostolorum uarijs macula-
re doctrinis, nec fratres infestare. Si autem omnia in hoc seculo uindicata essent,
locum diuina iudicia non haberent: superuacuis enim ad beneficia laborat impen
dijs, qui solem certat facibus adiuuare. Ideo si aliquis putat deo in hoc placere,
quod seruos suos accusat, & ut meliores fiant, dicit se hoc agere, in uanum labo-
rat, & plus inuidiæ stimulis agitatur, quàm charitatis, quoniam gratiæ plenitudo
adiectione non indiget, nec ulla requirit commendationis augmenta. Erigunt er-
go doctores conscientias suas, & si quando incertis temporum flatibus opponun-
tur, sustinent mala, quæ seculis magis sunt adscribenda quàm meritis. Datam enim
scimus satanæ potestatem, ut seruos Christi cribraret, ut quod de tritico inueniri
possit, horreis ingereretur, & quod de paleis ad ignium alimenta transiret. Ad uos
Luc.2. specialiter dictum est: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro, da
re uobis regnum. Venit inter uos gladius perfidorum, ut marcida ecclesiæ mem
bra resecaret, & ad cœlestem gloriam perduceret. Quos habeat Christus milites,
Milites Christi certamen ostendit: qui triumphū mereantur, per bella cognoscuntur. Scimus au-
certamẽ palàm tem multos ob id infestare doctores, ut eos perdāt, & propriæ uolūtatis placita ad-
faciet. impleant. Nō propterea tamē doctores, in quantū uires suppetūt, à recta ęmulatio
ne & bona intẽtione recedere debẽt, sciẽtes quia beati pauperes qui persequutionẽ
patiun-

patiuntur propter iustitiam. Nihil autem pastore miserius, qui luporum laudibus
gloriat̃, quibus si placere uoluerit, atq; ab his amari delegerit, erit hinc ouibus ma-
gna pernicies. Nullus ergo pastorū placere lupis & gregibus ouium potest, perdit
enim laboris memoriā, mens terrenis obligata carceribus. Sicut artiū in suo quæq;
opere inuenitur mater instantia, ita nouerca eruditionis est negligentia. Nullus er- *Negligẽtia no-*
go præiudicium alteri faciat, neq; quod sibi fieri non uult, exerceat. Nemo dictum *uerca eruditio-*
de aliquo inueniat, quod in eius actibus non agnoscat. Ego autem labefactatā non *nis.*
solum quietem meam, sed & salutem iniquorū ualetudine, & rumorum procellis
agnosco: potens est diuinitas, immensæ tempestatis incerta, bono serenitatis amo-
uere. Et quid aliud Christus passus est pro nobis, nobis relinquēs exempium, nisi *1.Pet.2.*
ut sequamur tam doctrinā eorum, quàm & exemplum? & patiamur aduersa pro
Christo, & cum patribus atq; cum fratribus crucem portemus, eorumq; tribulatio
nibus compatiamur, ut Christi ueri discipuli inueniamur, qui dicit: Qui uult ueni- *Luc.9.*
re post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Præsum-
ptio est, si dominorū beneficia famuli nō sequantur: obsequium ergo æstimandum
puto, quod pariturus impendo. Quid est hoc, quod plus creditur filij uocabulum
ualere, quàm obsequium? & non quæritur quid in amoris lance promoueas, sed
quale ad præiudicium æstimanti nomen apponas, cum apud prudentes frustra so-
bolem dicimus, nisi exhibeat quod uocatur. Ego uero uolo errore meo alienas cul
pas asserere, ut factū quod doleo, admisisse conuincar. Odisti, inquit dominus per *Psal.54.*
prophetam, omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium. Virum
sanguinum & dolosum abominabitur dominus, ego autem in multitudine mise-
ricordiæ tuæ introibo in domum tuam, adoraboq; in templo sancto tuo in timore
tuo. Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos, dirige ante faciem
meam uiam tuam. Non est in ore eorum rectum, interiora eorum insidiæ. Sepul-
chrum patens est guttur eorum, linguam suam lenificant, cōdemna eos deus. De-
cidant à consilijs suis iuxta multitudinē scelerum eorum, & expelle eos, quoniam
prouocauerunt te. Et lætentur omnes qui sperant in te, in seculum laudabunt te.
Et proteges eos, & lætabuntur in te qui diligunt nomen tuum, quia tu benedicis
iusto. Domine ut hasta placabilitatis coronabis eum. Deo enim perfecte sacrifican
tes, non debent uexari, sed portari, consolari, atq; ab omnibus uenerari. Ipsi autem
quando domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant,
ut domino perfecte, in sacratis deo sacrificare locis probentur: ait nanq; autoritas
legis diuinæ: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem uideris, sed quem
elegit dominus deus tuus. Episcopus deo sacrificans, testes, ut præfixum est, secum
habeat, & plures quàm alius sacerdos: sicut enim maioribus honoris gradibus fun
gitur, sic maiori testimonij incremēto indiget. In solennioribus quippe diebus, aut
VII. aut V. aut III. diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos atq; reliquos *Diaconi, ab ocu-*
ministros secum habeat, qui sacris induti uestimentis, in fronte & à tergo, & pres- *lis sunt episco-*
byteri è regione dextra lęuaq;, contrito corde & humiliato spiritu, ac prono stent *porum.*
uultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & cōsensum eius præbeant sacri-
ficio. Peracta autem cōsecratione, omnes cōmunicent, qui noluerint ecclesiasticis *Omnes commu-*
carere liminibus, sic enim & apostoli statuerunt. Seruite, inquit dominus per pro- *nicent.*
phetam Dauid, in amore & exultate ei cum tremore. Adorate purè, ne fortè irasca *Psalm.2.*
tur & pereatis de uia: ille enim nō perit de uia, qui rectè gradītur, & pręcepta custo
dit maiorum. Doceri ergo omnes oportet, qui domini sacerdotio funguntur, ut &
cęteros instruant, & sibi proficiant. Scriptū est autem. Qui docti fuerint, fulgebunt *Dan.12.*
quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellę in per-
petuas æternitates. Et alibi: Populus autem sciens deum suū, obtinebit & faciet, & *Dan.11.*
docti in populo docebūt multos. Ipsa enim ueritas per se infert, & dicit: Beatus est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.11. qui nō fuerit ſcandalizatus in me. Ille proculdubio ſcandalizatur in deo, qui recte non docet, & qui eius ſcandalizat epiſcopum, uel ſacerdotem: impie nanq; agentes ſunt impij: neq; intelligent omnes impij, porrò docti intelligēt, omnes enim in in-
1.Ioan.4. uicem humilitatē inſinuate, quia deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Nolite, inquit Ioannes apoſtolus, omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex deo ſint, quoniam pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Et idem ipſe alibi ait: Vos quod audiſtis ab initio, in uobis permaneat: ſi in uobis permanſerit, quod ab initio audiſtis, & uos in filio & patre manebitis: & hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, uita æterna. Hæc ſcripſi uobis de his qui ſeducūt uos, & unctio quam accepiſtis ab eo, maneat in uobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat uos, ſed ſicut unctio eius docet uos de omnibus, & uerum eſt, & non eſt mendaciū, & ſicut docuit uos, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduētu eius. Scitis quoniā iuſtus eſt, ſcitote quoniā & omnis qui facit iuſtitiā, ex ipſo natus eſt. Videte qualē charitatē dedit nobis pater, ut filij dei nominemur, & ſimus: propter hoc mūdus nō nouit nos, quia nō nouit eum. Chariſſimi nūc filij dei ſumus, & nondū apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet ſpē hanc in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Omnis qui facit peccatū, & iniquitatē facit, & peccatū eſt iniquitas, & ſcitis quia ille apparuit, ut peccata tolleret, & peccatum non eſt in eo. Omnis qui in eo manet, non peccat, & omnis qui pec-
Ioan.8. cat, non uidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo uos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Qui facit peccatū, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat: in hoc apparuit filius dei, ut diſſoluat opera diaboli. Omnis qui natus eſt ex deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniā ex deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filij dei, & filij diaboli: omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex deo, & qui nō diligit fratrem ſuum: quoniam
1.Ioan.3. hæc eſt annūciatio quam audiſtis ab initio, ut diligamus alterutrū. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occîdit fratrē ſuū, & propter hoc occîdit eū, quoniā opera eius maligna erant, fratris autem eius iuſta. Nolite mirari fratres, ſi odit uos mundus: nos ſcimus, quoniā translati ſumus de morte in uitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis, quoniā omnis homicida nō habet uitam æternam in ſe manentem. In hoc cognouimus charitatē dei, quoniā ut ille pro nobis animā ſuam poſuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiā mundi, & uiderit fratrem ſuum neceſſitatē habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Filioli mei, nō diligamus uerbo neq; lingua, ſed opere & ueritate. In hoc cognoſcimus quoniam ex ueritate ſumus, & in conſpectu eius ſuademus corda noſtra: quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrū non reprehēderit nos, fiduciam habemus ad deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. Et hoc eſt mandatū, ut credamus in nomen filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatū nobis: & qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo, & in hoc ſcimus quoniā manet in nobis, de ſpiritu quem dedit nobis. Et ſicut deus creator, qui hominem ad ſimilitudinē ſuam creauit, charitas eſt, bonus, iuſtus, patiens, atq; mitis, & miſericors, & reliqua uirtutum ſanctarum inſignia, quę de ipſo leguntur: ita homo creatus eſt ut charitatem haberet, ut bonus & iuſtus, ut patiens atq; mitis, mundus, & miſericors foret. Quas uirtutes quanto plus quiſq; in ſeipſo habet, tanto propior eſt deo, & maior eſt, atq; ſui conditoris gerit ſimilitudinem. Si uero, quod abſit, aliquis per deuia uitiorū, & diuortia criminum, ab hac nobiliſſima ſui cōditoris ſimilitudine

Conſciētia noſtra arguit nos delinquentes.

Imago dei multarum nos uirtutū admonere debet.

litudine deuius aberrat, tunc fiet de eo quod ſcriptum eſt: Homo cum in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quis maior honor potuit homini eſſe, quàm quod ad ſimilitudinē ſui factoris condereturꝰ & eiſdem uirtutum ueſtimentis ornaretur, quibus & cōditorꝰ de quo legitur: Dominus regnauit, decorem indutus eſt, id eſt, omnium uirtutum ſplendore, & totius bonitatis decore ornatus. Vel quod maius homini poteſt eſſe dedecus, aut infelicior miſeria, quàm ut hac ſimilitudinis gloria ſui conditoris amiſſa, ad informem & inrationabilem brutorum iumentorumq; delabatur ſimilitudinemꝰ Quapropter quiſq; diligentius adtendat primæ conditionis ſuæ excellentiam, & uenerandam ſanctæ trinitatis in ſeipſo imaginem agnoſcat, honoremq; ſimilitudinis diuinæ, ad quam creatus eſt, nobilitatē morum, executionem uirtutū, dignitatem meritorum habere contendat, ut quando apparuerit qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat, qui ſe mirabiliter ad ſimilitudinem ſuam in primo Adam condidit, mirabiliusq; in ſecūdo reformauit. Omnis igitur homo qui ad imaginē dei factus eſt, illum debet imitari, cuius ad imaginē cōditus eſt: illius debet ſequi ueſtigia, qui eum ad imaginem ſuam condidit. Conſiliariū uero ac protectorem meliorem reperire non poterit, quàm illum qui eum ad imaginē ſui condidit, qui eum precioſo ſanguine ſuo redemit, & propter eum homo fieri non eſt dedignatus. Quem procul dubio inueniet, ſi in eum totam ſpem ſuam, iuxta Pſalmiſtæ uocem proiecerit: ait nanq;: Proijce ſuper dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, nec dabit in æternum fluctuationem iuſto. Omnis enim homo ſua cauſa deficiens, & in ſuis hæſitans conſilijs, quærit ſibi amicum fidelem, in cuius conſilijs confidat, qui in ſuis diffidebat, & talem fiduciam habet in illo, ut omne ſecretum ſui pectoris ei pandat & aperiat. Quid dulcius eſt, quàm habere illum cum quo omnia poſſis loqui ut tecum? Si iſta cum hominibus fiunt, quanto magis cum deo hoc eſt agendum, qui omnes uult ſaluos fieri, & neminē perire? Nam ſi ueraciter deum credimus, eumq; diligimus ut debemus, & proximū ſicut noſmetipſos, in eumq; totam ſpem proiecerimus noſtram, ipſe nos eripiet, & conſolabitur. Et ſicut per angelum ſuum, Abacuc prophetam cum prandio in lacum leonum ad Danielem uatem miſit, & Philippum unum de ſeptem diaconibus, ad eunuchum: ita dabit uobis liberationē & conſolationem. Hęc ſectamini chariſſimi, & nulli unquam nocete. Fratres eſtis, inuicem uos diligite, ut ueri dei diſcipuli dici & eſſe mereamini: nam qui rancida corda uiuorū inficit, malitiam inter homines ſpargit: & qui detrahit fratri ſuo, homicida eſt: & qui abſtulerit aliquid patri uel matri, dicitq;, hoc peccatū non eſt, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio deus eſt, qui nos creauit: mater uero noſtra eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias, & eccleſiæ rapit, aufert, uel fraudat, homicida eſt, atq; homicida ante conſpectum iudicis eſſe deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, uel res eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit. Priuilegia enim eccleſiarū & ſacerdotum, ſancti apoſtoli, iuſſu ſaluatoris, intemerata & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus. Leges eccleſiæ apoſtolica firmamus autoritate, & peregrina iudicia ſummouemus. Vnde & dominus mētionem faciens Loth, per Moyſen loquitur, dicens: Ingreſſus es, inquiūt, ut aduena, nunquid ut iudices? Vnaquæq; enim prouincia tam iuxta eccleſiaſticas quàm iuxta ſeculi leges, ſuos debet iuſtos, & non iniquos habere iudices: & non externos, niſi apoſtolicæ huius ſedis decreuerit autoritas, quatenus quicunq; cauſam habuerit, apud ſuos iudices iudicetur, & non ad alienos cauſa uagandi ſtimulante proteruia, ſuam deſpiciens patriam tranſeat, ſed ad duodecim eiuſdem prouinciæ iudices, ad quorum iudicium omnes cauſæ ciuitatum referūtur, deferatur negocium. Si autem fuerit eccleſiaſticū, apud epiſcopos, interueniente primate, ſi maior cauſa

Pſal.48.

Pſal.92.

Pſal.54.

Dan.14.

Act.8.

Gen.19.

xij. iudices cuiuſq; prouinciæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit: si uero minor, metropolitano: si uero fuerit seculare, apud eiusdem ordinis uiros, iudicio tamẽ Episcoporum: cum apostolus priuatorum Christianorum causas, magis ad ecclesias deferri, & ibidem sacerdotali iudicio terminari uoluit. Omnis enim oppressus, libere sacerdotum, si uoluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur. Si autẽ difficiles causæ, aut maiora negocia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur. Et si illic facile discerni non poterint, aut iuste terminari, ubi fuerit summorum congregatio cõgregata, quod per singulos annos bis aut ter fieri solet & debet, iuste & deo placite coram patriarcha, aut primate ecclesiastico, & coram patritio, secularia iudicentur negotia in commune. Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporũ uel maiorum iu-
†referantur dicia, aut maiores causæ fuerint, ad sedem apostolicam, si appellatũ fuerit † appelletur: quoniam hoc apostoli statuerunt, iussione saluatoris, ut maiores & difficiliores quæstiones semper ad sedem referantur apostolicã, super quam Christus uniuersam construxit ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem apostolorum Pe-
Matth. 16 trum: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Sit ergo fratres constantia uestra aduersus contentiones eorum, qui aduersa sapiunt, &
Matth. 10 non quæ dei sunt, & erit fortior petra, cõstantia uestra, sicut scriptum est: Ne timueritis ab eis, & neq; terreamini à facie eorum qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quod autem in aure auditis, prædicate in lumine, illum ti-
2. Cor. 10 mentes qui potest animã & corpus occidere, & mittere in gehẽnam. Fratres mei, in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus, arma enim militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia ad destructionẽ munitionũ, cõsilia destruentes, & omnem exaltationẽ extollentem se aduersum scientiam dei, & in captiuitatem redigentes, omnem cogitationem in obsequium Christo perducentes. De cætero fratres confortamini in domino, ut in potentia fortitudinis eius, & pax uobis multa, & gratia à deo & domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur & osculamur, ac si præsentes, charitatem uestram, in unitate spiritus, & in uinculo pacis et charitatis Christi: propter quod charissimi expectantes satagite immaculati, & inuiolati inueniri in pace, & domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. Si-
Epistolæ Pauli. cut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiã scripsit uobis, sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædã difficilia intellectu, quę indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientiũ errore transducti, excidatis à propria firmitate: crescite uero in gratia & cognitione domini nostri Iesu Christi & saluatoris. Vos autem charissimi, memores estote uerborũ quæ
In epist. Iudæ. prædicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant uobis, quoniam in nouissimo tempore uenient illusores, secundũ sua desideria ambulantes in impietate, hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritũ non habentes. Vos autem charissimi superędificantes uosmetipsos sanctissimæ uestrę fidei, in spiritu sancto orantes, ipsos uos in dilectione dei seruate, expectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi, in uitam æternam. Et hos quidẽ arguite iudicatos, illos uero saluate de igne rapientes, aliis autẽ miseremini in timore, odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Ei autẽ qui potens est uos cõseruare sine peccato, & constituere ante conspectũ gloriæ suæ immaculatos, in exultatione soli deo saluatori nostro, per Iesum Christum dominum nostrum, gloria, magnificentia, & imperiũ, & potestas ante omnia secula, & nunc & in omnia secula seculorum, Amen.

IN PRIMAM EVARISTI EPISTOLAM ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

Diu multumq; de receptis ecclesiæ institutis cogitantem, torsit me aliquandiu illa in speciem ambitiosa, de diaconis ceremonia, præsertim cui ne ullæ ueteris illius functionis reliquiæ apparerent. Eam tamen ut non libuit

libuit indicta causa condemnare, ita uisa est insolentior, quàm ut credi à quoquam facile posit apostolos habuisse autores. Reliqua enim ecclesiæ ex magna parte eius sunt loci, ut etiamsi otiosa plerisq; uideantur, ipsæ tamen quales cunq; ruinæ satis declarant, quàm ab honesto principio degenerauerint. Hæc autem sola, extra cæterarũ propè omnium sortem, regium quendam imitata apparatum, in eo tantum occupata est, ut non modo episcoporum, eos dico qui in ecclesijs hodie sacrificant, iussa capessant, uerum & ad nutum inseruiant. Deosculantur enim manus, Leuitæ hodie
mouent capita, deducunt, reducunt ad altaria, atq; demum hic omnia licet conspicere, quæ uel in potentissimi regis uocantur.
aula poterant accidere. Anacleti autem epistolam cum legissem, & eam quæ nunc in manibus est Euaristi, statim animaduerti circa diaconos usu uenisse, quod nusquam non, nimirum ab honestis partibus, rem in mollitiem quandam decidisse, & à loco quem poterat cum dignitate tueri, in nugas quasdam plus quàm pueriles uocatam. Præter alia enim quæ essent diaconorũ curæ credita, hoc erat non postremũ, ut obseruarent tanquam excubitores, episcopos omnibus modis rebus sacris intentos, atq; hac de causa de se parum solicitos, ne aduersariorum incursione, id quod factum fuisse uerisimile est, sacra turbarẽtur, aut aliquà ipsis rei sacræ operantibus noceretur. Proinde istusmodi insidijs cum essent omnia suspecta, fuere aliquandiu ab oculis episcoporum. Nunc cum altissima sit, quod huc pertinet, securitas, poterant illa pulchre abrogari, ne, quod solet fieri, dum illa paulò acutioribus risum mouent, dent etiam occasionem, qua de maximis quibusq; nihilo melius sentiant. Hactenus de diaconis. Cæterum quod ad matrimonium pertinet, docet Euaristus ea tantummodo rata esse debere, quæ teste populo, solenni ritu essent peracta, oblatione antea facta. Hic non dubito exorituros, qui tanquam anile, hoc quicquid est rei, putent abijciendũ. His uelim in memoriam ueniat nostrorum seculorũ sinisteritas, quo uix utcunque durant nuptiæ his auspicijs quæ ab Euaristo præscribuntur exorsæ. Quid ergo futurum existimamus, si clandestino id fiat assensu, remotis arbitris? cum facile cuique esset, quod recepisset uxori inficiari, aut pro re nata excludere omnino quam habuisset usurariam. Oblationum uero eiusmodi quæ fiebant nuptiarum die, meminit etiam Tertullianus in eo libello cui titulũ fecit, de corona militis, cum scilicet quædam conferrent in mensam, quæ in ecclesia tum publice pauperibus seruiebat, ut & ad illos tanquam partes celebritatis huius peruenirent, unde reficerentur. Eius nimirum rei sunt in hunc usque diem, nisi fallor, in Germania, ex ipsa uetustate durantia uestigia. A sacro enim ut primum fuerint cum noua nupta reuersi domum, pro ipsis foribus, missilia quædam in confluentem turbam, quæ officij gratia comitatur, pro cuiusque facultatibus mittunt.

PRIMA EVARISTI EPISTOLA AD ECCLESIAM AFRICANAM.

DILECTISSIMIS fratribus, uniuersis Africę regionis episcopis, Euaristus. Consulentibus uobis fratres charissimi, quid super his quæ in uestris continebantur scriptis, uisum nobis esset, uel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à beatis apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret, optantes, ut retulistis, nostris instrui documentis. Siquidem dilectio uestra normam sequuta prudentium, ad sedem apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubijs custodire, potius quàm usurpatione præsumere. Diaconi, qui quasi oculi uidentur esse episcopi, in unaquaq; ciui- VII. diaconi in
tate, iuxta apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant episcopum *qualibet ciuitate.*
prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur à suis, aut uerba diuina detrahendo, aut insidiando polluantur, uel despiciantur, sed ueritas spiritali redoleat feruore, pax prædicata labijs, animi cum uoluntate cõcordet. Similiter custoditum & traditum habemus, ut uxor legitime uiro iungatur: ali- Coniugia quæ
ter enim legitimum, ut à patribus accepimus, & à sanctis apostolis, eorumq; suc- *sint legitima*
cessoribus traditũ inuenimus, non fit coniugiũ, nisi ab his qui super ipsam fœminã dominationẽ habere uidentur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, propinquioribus, sponsetur, & legibus detur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut cõsuetudo docet, custodita, & sociata à proximis, tempore congruo peti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta,legibus detur, & ſolenniter accipiatur, & biduo uel triduo orationíbus uacent, & caſtitatẽ cuſtodiant,ut bonæ ſoboles generentur,& domino ſuis in actibus placeant. Taliter enim & domino placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos atq; hæreditabiles generabunt. Quapropter filij chariſſimi, & merito illuſtres,fide catholica ſuffragante, ita peracta legitima ſcitote eſſe coniugia: aliter uero præſumpta,non coniugia,ſed aut adulteria,aut contubernia,aut ſtupra,uel fornicationes, potius quàm legitima coniugia eſſe non dubitate, niſi uoluntas propria ſuffragata fuerit,& uota ſuccurrerint legitima: nam fructus diuinus eſt, præcepta diuina cuſtodire,ea quoq; deſerere præſumptionẽ fieri nulli dubium eſt. Cur ergo indignũ eſt unitatẽ eccleſiæ cuſtodire,cum idem omnes pariter & ſentiamus & pronũciemus? Si aliter enim præſumpta fuerint, perdunt profecto ipſi tranſgreſſores ſeipſos,qui ſemetipſos decipiunt.Hæc cuncta, recitanda per omnes Africanas eccleſias,ſcripta dirigite, & iſtis connectite quas adiunximus literas præfectorum,ut de his quæ inique laudantur,ſi quid tale probari poterit, iudiciũ fiat, & inhibita coërceantur,& præterita mala,& illicita coniugia ſi doceantur admiſſa,digna ſeueritate corripiantur.De cætero uero caueantur talia per omnes eccleſias,ne eccleſię ſanctitas,per noſtram fatigata negligentiam,perdat priuilegia,quæ eſt per uiros uenerabiles conſequuta. De his uero quibus ab inſidiatoribus fatigamini, unde & nos cõſulere,& à nobis edoceri inter cætera uoluiſtis,eo quod ſint quidã qui arbitrantur de patre ſolo dictum eſſe, quia ipſe ſolus habet immortalitatẽ, & lucem habitat inacceſſibilem, ita eos apoſtolicis repercutite ferulis, & diuinis redarguite præceptis.Non enim ſolus pater ſine filio,lucem inacceſſibilem habitat,quia ubi pater eſt, ibi etiã filiũ eſſe indubitabili fide credendũ eſt: nam ſi ſolus pater ſine filio, quod dicere nefas eſt,lucem habitat inacceſſibilẽ,neceſſe eſt ut ſequeſtratam pater à filio habeat manſionẽ. Quod ſi ita eſt,quonã modo idem filius ad dexterã patris ſtans, Act.7. à beato martyre Stephano dicitur conſpici? ſi ſecundũ eos ſolus dicitur ſedibus lucis cõtineri. Abſit hoc à ſenſu fideliũ, Chriſto in unitate fidei adhærentiũ: quoniã ſicut non obeſt filio, cum ſolus pater dicitur lucem inacceſſibilẽ habitare, ita non obeſt patri,cum ſapientia,quæ eſt filius, gyrũ cœli ſola dicitur circuire. Pater itaq; cum ſit inuiſibilis,& ingenitus in ſe, in filio uiſus apoſtoli teſtimonio cõprobatur, & in filio,à ſe inenarrabiliter genito, manſiſſe ac requieuiſſe monſtratur, ipſo filio Eccl.24. in propheta loquente: Qui genuit me,requieuit in tabernaculo meo. Et in euan- Ioan.14. gelio: Pater in me manens facit opera hæc. Et: Deum nemo uidit unquã, niſi unige- Ioan.1. nitus filius,qui eſt in ſinu patris. Si in ſinu patris erat filius ab initio,& ex corde pa- Pſal.44. tris uerbũ bonum eructatũ eſt, quomodo non ex corde paterno cõſiſtens,lucem cum eodem inacceſſibilem habitaſſe credendus eſt? Nunquid pater abſq; ulla luce in filio potuit cõmanere, aut in tabernaculo filij ſine eadem potuit requieſcere? cum idem filius candor ſit æternæ lucis, & ſpeculũ ſine macula deitatis, quam Salomon ſuper ſalutem ſuam dilexiſſe ſe dicit, in cuius ſpecie ſemper delectari geſti- Sap.17. uit: Super ſalutem & ſpeciẽ,inquit,dilexi illam,& pro luce propoſui habere eam, quoniã inextinguibile eſt lumen eius. Hanc igitur lucem Dauid propheta deſide- Pſal.42. rans,anxius proclamabat dicens: Emitte lucem tuam & ueritatẽ tuam. Et iterum: In lumine tuo uidebimus lumen. In huius igitur luminis claritate,filius ſeipſum in Ioan.17. monte tribus diſcipulis præoſtendit,qui metu mortis perterriti, proſtratiq; in faciem,finem ſibi uitæ adeſſe ſenſerunt. Hanc inquam lucem in ſe fuiſſe demonſtrans Ioan.12. filius proclamabat,& ut in eadẽ incederent,diſcipulos præmonebat: Dum lucem habetis,inquit,ambulate in luce. Et iterũ: Ego ſum lux huius mundi, qui ſequitur Ioan.1. me,nõ ambulat in tenebris,ſed habebit lumen uitæ æternæ. Et Euangeliſta: Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ. Si hæc lux quæ credentibus promittitur, in filio eſſe probaẽ, & cum æterno æterna eſſe dicitur,

Hæreſis de luce inacceſsibili.

tur,quomodo à uobis ab inacceſſibili luce patris filius ſeparaẽ? Si enim filius deus uerus, & uita æterna eſt, ſine dubio in hac luce ſimul cum patre habitare credendus eſt, quam nullus modo noſtrũ, in hoc mortali corpore cõſtitutus, potis eſt aliquatenus cõtueri, ſed cũ apparuerit,tũc uere illũ uidebit ſicuti eſt, qui eius cõſpectibus dignus fuerit coaptari: & nõ ſicut Moyſes,cæteriq; prophetæ per ęnigmata & figuram,ſed ipſam ueraciter in filio,ſecundũ apoſtolũ,contuebitur deitatis imaginem. Nam ſi hunc eundemq; prophetæ teſtimonio ſubſequenter ſereno mentis intutu inueſtigare uolueris, inuenies filium nõ poſſe ab hac luce patris penitus ſeparari: quoniam cum ſolum filium dixerit in terra cum hominibus conuerſatum, patrem ab illo non eſt credendum fieri alienum. Si teſtimonium enim hominũ accipimus,teſtimonium dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium dei quod maius 1.Ioan.5. eſt,quia teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium dei, habet teſtimoniũ quod teſtificatus eſt de filio: & hoc eſt teſtimonium, quoniam uitam æternam dedit nobis deus,& hæc uita in filio eius eſt. Qui habet filium,habet uitam: qui non habet filium dei,non habet uitam. Hæc ſcribo uobis,ut ſciatis, quoniam uitam æternam habebitis,qui creditis in nomine filij dei: & hęc eſt fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunq; petierimus, ſecũdum uoluntatem eius,audit nos, & ſcimus quia audit nos quicquid petierimus. Scimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortẽ,petat,& dabitur ei uita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis: omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus eſt ex deo, non peccat, ſed generatio dei conſeruat eum, & malignus nõ tangit eum. Scimus quia ex deo ſumus,& mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus quoniam filius dei uenit,& dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus uerũ deum,& ſimus in uero filio eius: hic eſt uerus deus,& uita æterna. Hæc uero fratres prædicate,hæc omnibus nunciate,uos uero inuicẽ exhortamini,perfecti eſtote,ſemperq; gaudete: pacem autem ſectamini in omnes, & deus pacis & dilectionis erit uobiſcum. Deo autem & patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Data IX. Calend. Aprilis, Valente & Vetere VV. CC. COSS.

Lego doctiſſimorũ uirorum iudicio, Viris clariſſimis conſulibus.

IN ALTERAM EVARISTI EPISTOLAM ARGVMENTVM, PER IOAN. SICHARDVM.

Eccleſiæ,cuius ſancti modulatiſſima inter ſe proportione membra ſunt, Chriſtum conſtituit hæc epiſtola caput & ſponſum,cuius dicto ita per omnia iubet ſponſam eſſe audientem,ut in animum nihil ſibi facere inducat,niſi id ex ſumma mariti uoluntate fiat. Eius uero ſponſæ paranymphos quodammodo,epiſcopos facit, quibus hoc datum eſt negotij,dent operam ne ullæ adulterij ſpeciei obnoxia fiat. Adulterij autem tum de ſe præbet ſuſpicionem,cum præ nugis quibuſdam hominum,ſegnius obit quod à uero marito in mandatis habet, aut cum paſtorum partes his credas,quorum fidem in leuiuſculis non ſis ad plenum ante periclitatus. Qui cum hoc maxime ſpectare debebãt,ut à procorum lenocinijs tuta eſſet ſponſa,uolentes accerſunt diſcrimina,ex pernicie ouium, Chriſtiq; coniuge conſtuprata precium, atq;, ſi dijs placet, popularem etiam plauſum ſperantes. Cæterum accuſationis epiſcoporum,quoniam nulla epiſtola non meminit,& propediem aliàs erit opportunior locus,quo id tractem exquiſitius, ſatis fuerit ſi in præſentia rem ueluti ſuſpenſa manu attingam. Non quilibet temere eſt ad eorum inſectationem admittendus, niſi illuſtria quædam bene actæ ſuperioris uitæ extent exempla, ne litem aliqui malevolentia non re ipſa adducti,intendere malint,quàm iuſto ſacramento contendere. Quod autem circa epiſcopos obſeruari uult Euariſtus,uelim poſſet eadem opera perſuaderi omnibus iudicibus: quemadmodum enim innocens eſſe nullus poterit,dicente Iuliano Cæſare,ſi accuſaſſe ſufficiet, ita tranquille uiuere nunquam ſatis licebit, ſi quibuslibet promiſcue ſit præbitum hoc accuſationis tanquam telum, quod impune in optimos quoſque pro libidine detorqueant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERA EVARISTI EPISTOLA
AD FRATRES AEGYPTI.



EVARISTVS urbis Romæ episcopus, omnibus per Aegyptum conglutinatis fratribus in domino salutem. Vnum nos fratres sentire oportet & agere, ut sicut legimus, in nobis unum cor, & una anima esse probetur. Scimus nanq; sicut à patribus accepimus, Christum esse caput, cuius & membra sumus: ipse enim sponsus, & ecclesia sponsa, cuius filij nos sumus, & ideo unum patrem habemus deum in cœlis. Sacerdotes uero uice Christi legatione funguntur in ecclesia: & sicut ei sua est coniuncta sponsa, id est ecclesia, sic episcopi iunguntur ecclesiæ unicuiq; proportione sua. Et sicut uir non debet negligere uxorem suam, sed diligere, & caste custodire, sic & episcopus debet ecclesiam suam & amare, atq; prudenter regere. Et uelut uxor quæ sub manu est uiri, obedire debet uiro suo, eumq; amare, & diligere: ita debet etiã ecclesia episcopo suo in omnibus obedire, eumq; amare, & diligere ut animam suam debet, quia illud fit carnaliter, istud spiritualiter. Et sicut uir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est, absq; ineuitabili necessitate, aut apostolica uel regulari mutatione, & alteri se ambitus causa coniungat. Et sicut uxori non licet dimittere uirum suum, ut alteri se, uiuẽte eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit uir eius, sed iuxta apostolum, aut uiro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita ecclesię non licet dimittere, aut ab ea segregare episcopum suum, ut alterum uiuente eo accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est, ne alterum Episcopum suo uiuente accipiat, ut fornicationis aut adulterij crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se alteri episcopo iunxerit, aut super se alterum episcopũ adduxerit, aut esse fecerit, uel desiderauerit, per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur episcopo, aut innupta permaneat. Vnde & dominus in euangelio loquitur, dicens: Si quis uiderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Episcopum uero oportet opportune & importune, atq; sine intermissione ecclesiam suam docere, eamq; prudenter regere, & amare, ut à uitijs se abstineat, & salutem consequi possit æternam. Et illa cum tanta reuerentia, eius doctrinam debet suscipere, eumq; amare & diligere, ut legatum dei & præconem ueritatis: quia attestante ueritate, quodcunq; ligauerit super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunq; soluerit super terram, erit solutum & in cœlis. Nimis timenda est fratres hæc sententia, & præuidendum uobis, ne offendatis eos, qui tam à domino habent potestatem. Et ideo potius obediendi, diligendi, & summopere sunt uenerandi, non detrahendi, uel lacerandi, aut eijciendi, sed amandi, ipso dicente domino: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Ideo hæc uobis omnibus fidelibus scribimus fratres, ut ab his uos caueatis, & posteris uestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis, quoniam iniuria episcoporum ad Christum pertinet, cuius uice funguntur. Audiuimus enim quosdam à uobis infamatos, & dilaceratos episcopos, à ciuitatibus propulsos, quia alibi episcopi constitui non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis, & alios in eis ipsis uiuentibus constitutos: Ideo hæc uobis scribimus, ut sciatis hoc fieri nõ licere, sed proprios reuocari, & integerrime restitui debere: illos uero qui adulterina fœditate suas sponsas, quas & uxores eorum præfixo tenore esse intelligimus, tenent, eijci ut adulteros atq; infames fieri, eosq; ab ecclesiasticis honoribus arceri iubemus. Si autem aduersus eos aliquam querelam habueritis, his peractis, inquirendum erit & autoritate huius sanctæ sedis terminandũ. Et ne omnia nunc singillatim dicamus, omne bonũ, si ipsa per se in uobis fuerit, charitas facere uos docebit, sicut è contrario eos qui

Collatio episcopi & boni mariti.

Matth.5

Matth.16

Luc.10

Charitas optimus bonorum præceptor.

qui à salute alieni sunt, omne malũ facere odium docet. Vnde & uos qui ueri dei estis discipuli, abijcite à cordibus uestris ante omnia discordias, & animorũ dissensiones, ex quibus omne opus malum procedit, & benignitatẽ ac simplicitatẽ tota mente seruate. Veruntamen scitote cuncti, quia supra omnes uos laboret episcopus: quia unusquisq; uestrũm suum proprijũ fert laborẽ, ille uero & suum, & singulorum. Et ideo sicut ille pro uobis omnibus, ita & uos omnes pro eo summopere laborare debetis, in tantũ ut si etiam necesse fuerit, animas uestras pro eo ponatis, sicut & ipse animã suam pro uobis, si necesse fuerit, ponere debet, ipso dicente saluatore: Bonus pastor animã suã dat pro ouibus suis. Vos uero obedite eis, & uigilate pro eis, quia ipsi peruigilant, quasi rationẽ pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes. Nõ est itaq; à plebe, aut uulgaribus hominibus arguendus, uel accusandus episcopus, licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorũ, disponitur à deo uita doctorũ, exemplo Dauid peccantis, ad cõparationem principũ, qui ex merito plebis præuaricãtur. Sacerdotes enim exquirere debent peccata populorũ, & sagaci solicitudine unumquenq; probare, iuxta testimoniũ domini ad Hieremiã dicentis: Probatorẽ, inquit, dedi te populo meo robustum, ut scias & probabis uiam eorũ. Ideo ista dico, quia insidiator bona sæpissime solet cõuertere in malũ, & in electis ponit maculã. Vnde si qui sunt uituperatores, aut accusatores episcoporũ, uel reliquorũ sacerdotũ, nõ oportet eos à iudicibus ecclesiæ audiri, ante quàm eorũ discutiat̃ æstimationis suspicio, uel opinio, qua intentione, qua fide, qua ueritate, qua cõscientia, quóue merito, si pro deo, aut pro uana gloria, aut inimicitia, uel odio, aut cupiditate ista sumpserint nec ne. Hæc omnia fideliter sunt perscrutanda, & diligenter pertractanda. Nam sunt nõnulli qui prępositos suos peruerse reprehendũt, si uel parũ ipsis molesti extiterint: idcirco recto oculo primatibus ecclesiarũ præuidendũ est, ne quisquã eorũ innocens uexetur, aut scandalizetur, intendentes sententiæ domini, quæ ait: Si quis scandalizauerit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendat̃ mola asinaria in collo eius, & demergat̃ in profundũ maris, & reliqua. Deus omnipotens ut nos à præcipitatæ sententiæ prolatione cõpesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, prius quàm manifeste agnosceret, quę dicebantur. Vnde ipse ait: Descendã & uidebo utrum clamorẽ qui uenit ad me opere cõpleuerint, an nõ est ita, ut sciam. Deus omnipotens cui nihil absconditũ est, sed omnia ei manifesta sunt, etiã ante quàm fiant, non ob aliud hæc & alia multa, quæ hic prolixitatẽ uitantes, non inseruimus, per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplũ daret, ne præcipites in discutiendis & iudicandis negotijs essemus, & ne mala quorundã prius pręsumamus credere, quàm probare. Cuius exẽplo monemur, ne ad proferendã sententiã unquã pręcipites simus, aut temere, indiligẽterq; indiscussa quæq; quoquomodo iudicemus, dicente ueritatis uoce: Nolite iudicare, ut nõ iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nã mala audita nullũ moueant, nec passim dicta absq; certa probatione quisquã unquã credat, sed ante audita, diligẽter inquirat, ne præcipitando quiddã aliquis agat. Si enim dominus omniũ Sodomorũ mala, quorũ clamor ad cœlum usq; peruenerat, omnia sciens, prius nec credere, nec iudicare uoluit, quàm ipse ea cum fidelibus testibus diligẽter inuestigans, quæ audierat, opere ueraciter cognosceret: multo magis nos humani & peccatores homines, quibus incognita sunt occulta iudicia dei, hęc prę cauere, & nullũ ante uerã iustamq; probationẽ iudicare, aut dãnare debemus, manifeste apostolo dicẽte Paulo, qui ait: Tu quis es, qui iudicas alienũ seruũ? suo enim domino stabit aut cadet. Vnde per prophetã Dauid dominus loquit̃, dicẽs: Nolite exaltare in excelsum cornu uestrũ, loquẽtes in ceruice ueteri. Quia neq; ab Oriente, neq; ab Occidente, neq; à solitudine montiũ: sed deus iudex hũc humiliabit, &

Ioan.10

Hiere.6

Mar.9

Gen.18

Ne simus ad iudicandũ præcipites.

Matth.7

Rom.14

Psal.74

Universidad de Deusto
Biblioteca

hunc exaltabit, quia calix in manu domini, & uino meraco ad plenum mixtus, & propinabit ex eo. Veruntamen feces eius potabunt bibentes omnes impij terræ. Ego autem annunciabo in sempiternum, psallam deo Iacob. Et alibi idem ait pro-
Psal.75. pheta: Ab increpatione tua deus Iacob, consopitus est & currus & equus. Tu terribilis, & quis stabit aduersum te? extunc ira tua. De cœlo auditum fecisti iudicium, terra timuit & tacebit. Cum surrexerit ad iudicandũ deus, ut saluos faciat omnes
Rom.12. mites terræ. Et Apostolus ait: Mihi uindictam, ego retribuam. Et alibi idem inquit
2.Cor.2. Apostolus: Sufficit unicuicq; obiurgatiõ, quæ fit à pluribus, ita ut magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur is qui in angustia est. Propter quod obsecro uos, ut confirmetis in illo charitatem. Et dominus in euangelio
Matth.22. ait: Diliges dominũ deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum: dilectio enim proximi ma-
Rom.2. lum non operatur. Propter quod, iuxta Apostolum, inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipsum cõdemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium dei est secundum ueritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agũt, & facis ea, quia tu effugies iudicium dei? an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secũdum duritiam autem tuam, & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuicq; secũdum opera eius: his quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus uitam æternã: his autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credũt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Glo-
Rom.3. ria autem & honor & pax omni operanti bonũ. Et alibi idem Apostolus: Causati enim sumus omnes sub peccato, esse sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, nõ est requirens deum. Omnes declinauerũt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, uenenũ aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infelicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, non est timor domini ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quæcunq; lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus deo, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo: per legem enim cognitio peccati. Nunc autẽ sine lege iustitia dei manifestata est, & testificata à lege & prophetis. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi super omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiã ipsius, per redemptionem quæ in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionẽ præcedentiũ delictorum in sustentationẽ dei, ad ostensionẽ iustitiæ eius in hoc tẽpore, ut sit ipse iustus & iusti-
Rom.8. ficans eum qui ex fide est Iesu Christi. Item idem: Quis accusabit aduersus electos dei? deus qui iustificat. Quis est qui cõdemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imõ & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neq; mors, neq; uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, poterit nos separare à chari-

charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Debemus autem nos (ut ait idem apostolus) firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; uestrũm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur ipsi à deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur, pro uestra exhortatione & salute: siue exhortamur, pro uestra exhortatione quæ operatur in uobis tolerantiam eorundem passionum quas & nos patimur, & spes nostra firma est pro uobis, scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & cõsolationis. Fidelis autem deus qui non patietur uos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum ut possitis sustinere. Propter quod charissimi sectamini charitatem inuicem, & æmulamini meliora & spiritualia, & adiuuate uos inuicem, ut deo semper in omnibus placere ualeatis. Deus autem pacis sit cum omnibus uobis, Amen. Data Calend. Nouembris, Gallio & Bradua Consulibus.

EPISTOLA PRIMA ALEXANDRI DE SACERDOTIBVS NON VEXANDIS, NEC SCRIPTIS AB EIS PER METVM AVT ALIquam fraudem exigendis: de passione Domini in consecratione corporis eius miscenda: de aqua cum sale populis benedicenda; de fide sanctæ Trinitatis.

ALEXANDER episcopus omnibus orthodoxis per diuersas prouincias, Christo domino famulantibus. Cogitantibus nobis metũ diuini iudicij, fratres charissimi, & post uitam hanc unumquenq; prout gesserit recepturum, quid ueniat in querelam, tacere non licuit, sed nobis uobis loqui necessitas imperauit, dicente propheta: Exalta ut tuba uocem tuã: & cui om-
Esa.40. nium ecclesiarum cõmissa est cura, si dissimulem, audiam, domino dicẽte: Reiecistis mandatum dei, ut statuatis traditiones uestras. Quid enim
Matth.15. aliud est reijcere mandatum dei, quàm priuato consilio, iudicio humano nouis rebus constituendis liberius delectari? Vnde & alibi scriptum est: Ne transgredia-
Prouer.22. ris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Terminos indubitanter transgreditur qui statuta patrum postponit atque confundit. Peruenit nanque ad conscientiam apostolicæ sedis, quod nonnulli sunt tam stolidi qui dominica præcepta & apostolorum, eorumq; successorum statuta minime obseruant, & eos de quibus dominus ait: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei: non solum tan-
Zach.2. gere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. Et licet nos persequantur, quia nec nos sine illis, nec illos sine nobis persequi possunt, quoniam illius sumus discipuli qui animas pro fratribus præcepit ponere, tamen eis pericula & perditiones eorũ nõ sumus ausi celare, ne prophetica (quod absit) damnemur sentenEzech.3. tia, quę ait: Si annunciaueris iniquo iniquitatẽ suam, animã tuã liberasti. Si autem nõ annunciaueris ei, sanguinẽ eius de manu tua requirã. Est etiam & hoc ad hanç

sanctam sedem perlatum (quod pudet dicere) & non solum sacerdotali, sed etiam omni christiano nomini est inimicum, id est, quod nonnullos episcopos uel sacerdotes aut metu compellunt, aut ui extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ in alteram partem quàm debeant, aut pro suarum nõ requisitione rerum, aut quod deterius est alieni erroris secta, scripturas facere & proprijs manibus roborare, & coram populis recitare atq; confiteri. Aliquos dicunt carceribus & ergastulis recludi, ut saltem his territi insidijs deuient domini sacerdotes, & suis faueant uoluntatibus. Relatum insuper est ad huius sanctæ & apostolicæ sedis apicem, cui summarũ dispositiones causarum & omnium negotia ecclesiarũ ab ipso domino tradita sunt, quasi ad caput, ipsoq; dicente principi apostolorum Petro: *Matth.16* Tu es Petrus, & super hanc petram ecclesiam meam ædificabo: quod quidã æmuli Christi, eiusq; sanctæ ecclesiæ insidiatores, sacerdotes dei ad iudices publicos accusare præsumant, cum magis apostolus christianorum causas ad ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat. Taliter præuaricantes præuaricati sunt in dominum suum, & non obediunt præceptis eius, de quibus dominus per prophetam *Osee.4* Osee loquitur, dicens: Quasi uaccæ lasciuientes declinauerunt, & dilexerunt affer *Cap.7.* re ignominiam protectoribus suis. Et idem: Væ eis quoniam recesserunt à me, uastabuntur, quia pręuaricati sunt in me, & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia, & non clamauerunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis, super triticum & uinum ruminabant & recesserunt à me. Ego erudiui & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam. Reuersi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus. Abijciet eos dominus (ait idem propheta) quia non audierunt eum, & erunt uagi in nationibus. De his enim clericis uel laicis qui episcopos uel reliquos sacerdotes prius tam ad primates eorum quàm ad reliquos accusant iudices, quàm auribus eorum à quibus se læsos æstimant, inculcent, ut ab eis aut ius suum aut iustam recipiant apologiam. Item per eundem ait *Cap.5* dominus prophetam: Audi domus Israël, & domus regis ausculta, & attendite sacerdotes, quia uobiscum iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi & & rete expassum super Thabor, uictimasq; declinastis in profundum. Et ego eru *Cap.5* ditor omnium uestrũm. Et alibi: Omnes calefacti estis quasi clibanus, quia deuoratis iudices uestros. Ipsi autem declinant uictimas domini in profundum, qui eos deuorant uel iniuste lacerant, quia oculi domini dicũtur. Nam si modo quisquam principis secularis oculos laceraret aut amoueret, esset reus maiestatis an non? profecto aut morti traderetur, aut perpetua notaretur infamia. Si pro seculi potestatibus talia ab hominibus fiunt, quid pro his fieri putatis, de quibus dominus ait: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Proculdubio hi qui eos persequuntur & amouere nituntur iniuste, contra apostolicam autoritatem, si à morte prohibentur, dicente domino, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, perpetua tamen notantur infamia, & exilio digni iudicantur finitimo, de quibus à temporibus apostolorũ & infra ista tenemus, atq; decreta habemus, eorũ accusandi episcopos, uel testificandi in eos uocẽ obstruimus, quos non humanis sed diuinis actibus mortuos esse scimus: de quibus dominus loquitur per eundẽ prophetã: Caliginiam patiẽs Ephraim fractus est iudicio, quoniã cœpit abire post sordẽ, & ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda. Et uidit Ephraim languorẽ suum & Iudas uinculũ suum, & abijt Ephraim ad Assur, & misit ad regẽ ultorẽ, & ipse non poterit sanare uos, nec soluere poterit à uobis uinculũ. Qui enim sacrilega persequunt̃ persuasione, & lacerare nituntur episcopos, uel eos qui domino recte sacrificant, indubitanter eum persequunt̃ & dilaniant cuius uice funguntur, ut ait dominus per Iohel prophetã: Nũquid ultionẽ reddidistis mihi? Et si ulciscimini uos contra me, citò uelociter reddam uicissitudinẽ uobis super caput uestrũ. Et per Osee *Cap.5* *Cap.3.*

prophe-

prophetam dominus inquit: Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens & sciet ea? *Osee.14.* Quia rectę uiæ domini, & iusti ambulabunt in eis, prævaricatores uero corruent in eis. Et ipsa per se ueritas ait: Qui uos audit me audit, & qui uos spernit me sper- *Luc.10* nit. His & alijs fulti quamplurimis dominicis præceptis uetantes hominum perditiones, cũ omnibus huius sanctæ sedis, quam dominus caput totius ecclesię constituit membris, talia fieri prohibemus, ne cõfundatur populus domini in ęternũ. Nam & à prædecessoribus nostris inhibitum legimus, ut nemo contristet doctores, neq; accusationem aduersus eos suscipiat. Ipse nanq; apostolorum princeps in ordinatione beati Clementis populum instruens ait: Quicunq; contristauerit do- 10 ctorem ueritatis peccat in Christum, & patrem omnium exacerbat deum, propter quod uita carebit. Et doctor gentium inquit: Si præoccupatus fuerit homo in ali- *Gala.6.* quo delicto, uos qui spirituales estis, sustentate illum, in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris: alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi. Has considerantes pietates, & pericula uitantes animarũ, unà cum omnibus domini sacerdotibus, qui uobiscũ in hanc sacram conuenerũt urbem, & cum omnibus huius capitis membris, sicut à beatis apostolis, & à reliquis sanctis patribus, & à successoribus eorum accepimus, statuentes decreuimus, omnes qui sanctos patres persequuntur, aut amouere, uel dilacerare manifeste nituntur, infames esse, & alienos à liminibus ecclesię, usq; ad satisfactionẽ fieri: quia sic odit deus eos, 20 qui aduersus patres armantur, ut patrum inuasores, uel destructores: qui ideo infames efficiuntur, quia patres persequũtur. Quod si nec loqui eis licet, quibus doctores summi (quos episcopos uocamus) propter eorũ scelera aduersantur, quanto magis eis, qui eos infestant, nec consentiendũ est, nec loquendum, ne participes eorum inueniantur sceleribus, quia non solum qui faciunt, sed qui cõsentiunt facientibus rei sunt. Vnde & beatus princeps apostolorum Petrus in ordinatione sancti prædecessoris nostri Clementis instruens clerum & populum ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, uos nolite expectare ut ipse uobis dicat, cum illo nolite amici esse: sed prudenter obseruare debetis, & uoluntati eius absq; communicatione obsecundare, & auertere uos ab eo cui ipsum sentitis aduersum, 30 sed nec loqui his quibus ipse nõ loquitur, ut unusquisq; qui in culpa est, dum omnium uestrũm cupit amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest, & per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si uero quis amicus fuerit his quibus amicus non est, & locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est & ipse ex illis qui exterminare ecclesiam dei uolunt, & cum corpore uobiscum esse uideatur, mente & animo contra uos est, & est multo nequior hostis hic, quàm illi qui foris sunt, & euidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, & ecclesiam dispergit, ac uastat. Similiter si huiusmodi personis, quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per uim extortę fuerint, uel ut se liberare possent, quocunq; modo ab eis 40 conscriptæ uel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, aut nocumentum peruenire censemus, neq; ullam eius infamiam, uel calumniam, aut à suis sequestrationem bonis unquam, autore domino & sanctis apostolis eorumq; successoribus, sustinere permittimus. Confessio uero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait: Ex corde enim procedunt homi- *Matth.25* cidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, & cætera quæ sunt ad hæc pertinentia. Nec tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant: quorum exempla, si omnia scribere cœperimus, ante dies quàm exempla deficient. Vnde & illud est quod dominus ad munera Abel respexit, & non ad Cain, quia magis intendit ad offerentes animum, quàm ad ea quæ offeruntur. Inde & dominus per Prophetam inquit: Dominus scit cogitationes hominum. Et per *Psal.93*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.8. Osee ait: In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domũ domini, & reliqua. Et do-
Matth.6. minus inquit in euangelio: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio ora patrem tuum. Omnis enim confessio quæ fit ex necessitate, fides non est.
Rom.10. Et Apostolus ait: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Amplius autem respicit deus ad cogitationes, & spontaneas uoluntates, quàm ad actus qui per simplicitatẽ, aut per necessitatem fiunt. Cõfessio enim non extorqueri debet in talibus, sed potius sponte profiteri: pessimũ est enim de suspicione, aut extorta confessione quenquã iudicare, cum magis inspector cordis sit dominus quàm operis, & potius requirit dominus cogitationes puras, & uoluntates bonas, quàm labia mendacia. Vnde & dominus per prophetã loquens ait: Po-
Esa.29. pulus iste labijs me honorat, cor eorũ autem longe est à me. Peius malum fore nõ æstimo, q̃ christianos suis inuidere sacerdotibus. Nouit enim dominus qui sunt eius. Non potest autem humano condemnari examine, quem deus suo reseruauit iudicio. Si omnia nanq; in hoc seculo uindicata essent, locum diuina non haberent iudicia. Quod autẽ ad alios iudices prius non debeant, quàm ad sacerdotes, uel auditores ecclesiæ accusare, ita à tempore apostolorũ & infra obseruatum & diffinitum inuenimus. Si quis erga episcopũ uel actores ecclesiæ quãlibet querelam aut actionem iuste habere crediderit, ipse redemptoris sui (cuius actio nostra est institutio) uiarũ non immemor, sed sectator egregius, qui cum malediceretur, nõ maledicebat, sed tanquã ouis coram tondente se obmutuit, ac pro suis persecutoribus in cruce pendens apud patrem intercessit, non prius primates, superiores, aut alios iudices adeat, quàm ipsos à quibus se læsum æstimat conueniat familiariter, & non semel, sed sępissime, ut ab eis aut suam iustitiam accipiat, aut iuste excusationẽ. Boni nempe & uere christiani hominis est rem ipsam omnibus amicitiæ, ac pacis legibus prius tentare quàm in iudicio (ubi frequenter amarissimus animæ rancor innascitur) suum ius pertinaciter experiri. Si quis enim cum deo, qui pacis est autor, habitare cupiat, ei necesse est ut pacem inquirat. Si ergo secus egerit, ab ipsis & ab alijs cõmunione priuetur, tanquam apostolorũ, patrumq; aliorum contemptor, de quibus ait propheta: Erunt quasi non sint, & peribunt uiri, qui contradicunt uobis. In sacramentorũ quoq; oblationibus, quæ inter missarum solennia domino offeruntur, passio domini miscenda est, ut eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur: ita ut repulsis opinionibus superstitionũ, panis tantum & uinum aqua permixtum, in sacrificio offerantur. Non debet enim, ut à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice domini aut uinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrunq; permixtum, quia utrunq; ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Ipsa uero ueritas nos instruit calicem & panem in sacramento offerre, quando ait: Accepit Iesus panem & benedixit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum, quod pro uobis tradetur. Similiter postquam cœnauit, accepit calicem, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro uobis fundetur in remissionem peccatorum. Crimina enim atq; peccata, oblatis his domino sacrificijs delentur: idcirco & passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atq; hæc domino offerenda: talibus hostijs delectabitur, & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificijs maius esse potest quàm corpus & sanguis Christi. Nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. Quę pura conscientia domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus ueneranda. Et sicut potior est cæteris, ita potius excoli & uenerari debet. Aquam enim sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis uitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat atq; mundabat

bat atque mundabat: multo magis aqua sale aspersa diuinisq; precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale aspersо per Helisæum prophetam, sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus, sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atque mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis uersutijs hominum defendit. Nam si tactu fimbriæ uestimenti saluatoris, saluatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis uirtute sacrorum eius uerborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas. His ergo & alijs instructi documentis, uota singulorum domini sacerdo-
10 tes respicite, & in uirtute spiritus sancti diuinis precibus, per ministerium uobis diuinitus collatũ perficere certate. Elementa quoque tam ea quæ prædiximus, quàm cętera diuinis apta usibus & humanis necessaria infirmitatibus sacrate, infirmos curate, & cætera quæ ad uos pertinent diligenter perficite, ipse eũ saluator tribuendo nobis exemplum, discipulis suis ait: In nomine meo dæmonia eijcite, infirmos Luc.10
curate, ægros sanate leprosos mundate &c. Super infirmos etiam manus imponite & bene habebunt. Fidem quoque sanctæ trinitatis sic docendam à patribus accepimus, uobisq; tradendam subditis destinamus. Esaias nanq; propheta ait: Vi- Esa.6
20 di dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum, & seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus uelabant faciem, duabus autem
25 uelabant pedes, & duabus uolabant, & clamabant ad alterutrũ, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth. Si trinitas non est, quare tertio sanctus dixerũt? Aut si unitas non est, quare sub trina repetitione unum deum ac dominum intimarunt? Si trinitas non est, cur in Genesi dicitur, dixit deus, fecit deus, & bene dixit deus? Si unitas non est, quare tertio deus, & deos plurali numero non commendauit? Si trinitas non est, quare in Exodo dictum est tertio: Domine, domine, Exod.34
domine miserator et misericors? Si unitas nõ est, quare dum tertio domine diceret, postea miserator & misericors, singulariter dicit, & nõ miseratores, ut plures ostenderet, intimauit? Si trinitas nõ est, cur Abrahã ad ilicem Mambræ sedens, tribusq; Gene.18
occurrens, uni domine dixit, & non ut uiderat, tribus salutationis obsequium red-
30 didit? Si unitas non est, cur cum Moysi deus Abrahã, deus Isaac, & deus Iacob tertio diceretur, unitatẽ ostendens, hoc mihi nomen est dixit, non hęc sunt nostra nomina designauit? Si trinitas non est, quare Dauid tertio dixit: Benedicat nos deus Psalm.66
deus noster, benedicat nos deus? Si unitas non est, quare cum deũ tertio nominasset, benedicat dixit, & non benedicant adiunxit? Si trinitas non est, cur Esaias denuò dicit, dominus deus sabaoth, deus Israël, qui sedes super cherubim? Si unitas non est, quare qui sedes dixit, et non qui sedetis astruxit? Si trinitas non est, quare in Regnorum libro dicitur, dominus deus omnipotens, dominus deus Israël, sermones tui fideles sunt? Si unitas non est, quare tui dicitur, & non uestri potius intimatur? Si trinitas non est, cur in psalmo cantatur: Domine deus uirtutum deus Israël, Psalm.59
40 intende ad uisitandas omnes gentes? Si unitas nõ est, quare intende posuit, & non intendite intimauit? Si trinitas non est, quare in Apocalypsi tertio dicit, sanctus dominus deus omnipotens, qui est, & qui erat? Si unitas non est, quare non qui sunt, & qui erant pluraliter designatur? Si trinitas non est, quare in Deuteronomio dic- Deut.4.
tum est: Dominus deus tuus misericors est, & audiet uocem tuam? Si unitas non est, quare audiet, & non audient intimauit? Si trinitas non est, quare in Hiesu dicitur libro, deus deus eorum est? Si unitas nõ est, quare est dixit, & nõ sunt, more locutionis induxit? Si nõ trinitas est, quare Helias adorando, domine domine deus 3. Reg.18
Israël, ostende quia tu es deus meus, dixit? Si unitas non est, quare ostende, & non ostendite posuit? Si trinitas non est, cur Mardochæus orãdo domine domine deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt, dixit? Si unitas non est, quare in tua po-

ſuit,& non in uestra ſignificauit? Si trinitas non eſt, cur etiam Iudith orando dixit,
Iudith.6 domine domine deus omnipotens omnium uirtutũ reſpice in orationẽ meam? Si
unitas nõ eſt, quare reſpice, & non reſpicite deſignauit? Si trinitas non eſt, quare in
Hiere.10 Hieremia dicitur, dominus deus ueſter deus uerax eſt? Si unitas non eſt, quare ue-
rax eſt dixit, & non ueraces potius intimauit? Si trinitas non eſt, cur in Apocalypſi
Apoc.1 ſcriptum eſt, dominus deus & ſpiritus prophetarum miſit angelum ſuum, oſten-
dere ſeruis ſuis quę oportet fieri citò? Si unitas non eſt, quare cum patrem & filium
& ſpiritum ſanctum nominaſſet, miſit dixit, & non miſerunt, ſub prætaxato trium
perſonarum & nominum numero introduxit? Si trinitas non eſt, quare in Deute
Deut.6 ronomio dicitur, dominus deus ueſter hic eſt deus? Si unitas non eſt, quare hic eſt,
& non hi ſunt, plurali numero deſignauit? Si trinitas nõ eſt, quare in eodem dicitur
libro, dominus deus tuus, deus magnus & potens eſt? Si unitas non eſt, quare ma-
Tob.7. gnus et potens ſingulariter nominantur? Si trinitas non eſt, cur Tobias cum filium
ſuũ in Rages ciuitatẽ, cum Raphaële angelo mitteret, benedicens eos ita dixiſſe do
cetur: Deus Abraham, deus Iſaac, deus Iacob, ipſe impleat benedictionem ſuam in
uobis? Si unitas nõ eſt, quare ipſe impleat dixit, & nõ ipſi impleãt intimauit? Poſtre-
Matth.ult. mo ſi trinitas nõ eſt, quare dominus diſcipulos ſuos in nomine patris, & filij & ſpi-
ritus ſancti uniuerſas gentes miſit baptizare? Si unitas non eſt, quare in nomine di
xit, & non nominibus præcipiendo perdocuit? Si trinitas nõ eſt, quare Apoſtolus
Rom.11. Paulus ait: Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia? Si unitas non eſt, quare ex
ipſo poſuit, & non ex ipſis aſtruxit? Si enim certo certius uolueritis unitatem trini
tatis agnoſcere, à ſępe dicto doctore gentiũ apoſtolo poteritis uniuerſa condiſcere,
2.ad Cor.ult. & ſequi catholicam fidem, & horum reſpuere prauitatẽ. Gratia domini noſtri Ieſu
Chriſti, inquit, & charitas dei, & cõmunicatio ſpiritus ſancti, ipſe eſt patris & filij
& ſpiritus ſancti gratia, & ſic fidem ſanctæ trinitatis, & intelligere, & diſcere, domi
no adiuuãte, pleniter poteſtis. Idcirco ergo chariſſimi, fidei regulas iuxta huius epi
ſtolæ finem poſuimus, ut in eius cõfeſſione fideliter perſeueremus, & domino au-
xiliante bonam fidem habere mereamur. Quicũq; ergo uoluerit amicus eſſe ſeculi
huius, inimicus dei conſtituitur. Aut putatis, quia inaniter ſcriptura dicit? Ad inui
diam concupiſcit ſpiritus qui habitat in uobis, maiorem autẽ dat gratiam: propter
1.Pet.5. quod dicitur: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã. Subditi igitur eſtote
deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à uobis. Appropinquate domino, & appro-
pinquabit uobis: & mũdate uobis manus peccatores, & purificate corda uobis du
plices animo. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate, riſus ueſter in luctũ conuertatur,
& gaudiũ in mœrorem. Humiliamini in conſpectu domini, & exaltabit uos. No-
Iacob.4. lite detrahere alterutrũ fratres mei, quia qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem
ſuum, detrahit legi, & iudicat legem: ſi autem iudicat legem, nõ eſt factor legis, ſed
iudex. Vnus eſt enim legislator & iudex, qui poteſt perdere & liberare: tu autem
Iacob.5 quis es qui iudicas proximũ? Agite nunc diuites, plorate ululantes in miſerijs ue-
ſtris, quæ aduenient uobis: diuitiæ ueſtræ putrefactæ ſunt, & ueſtimenta ueſtra à
tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum ueſtrum ęruginauit, & ęrugo eorum in
teſtimoniũ uobis erit, & manducabit carnes ueſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis uo-
bis iram in nouiſſimis diebus. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones
ueſtras, quæ fraudata eſt à uobis clamat, & clamor eorũ in aures domini Sabaoth
introibit. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxurijs enutriſtis corpora ueſtra, in die
occiſionis condemnaſtis & occidiſtis iuſtum, & nõ reſiſtit uobis. Væ fratres his qui
tribulant, uos uero quanto amplius tribulamini, tanto purgatiores atq; beatiores
efficiamini, ſi tamen ipſa tribulatio patienter fuerit ſupportata. Vnde & ipſa ueri-
Matth.5 tas per ſe dicit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Et alibi: Beati
eritis cum uos oderint homines, & perſequuti fuerint, & eiecerint nomen ueſtrum
tanquã

tanq; malũ: gaudete in illa die & exultate, quoniã merces ueſtra multa eſt in cœlo.
DATA IX. CAL. AVGVSTI, Traiano & Eliano VV. CC. COSS.

IN SECVNDAM ALEXANDRI EPISTOLAM ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

ORationum quanti ſint fructus, declarat hæc epiſtola, ad quas magnopere nos inuitat: eam tamen magis celebrat, quæ communi multorum inter ſe adfectione fit. Si enim Chriſtianis debent omnia eſſe cõmunia, uotis etiam communibus, quibus impetremus quod uolumus, opus eſſe docet. Si qui uero, ut neceſſe eſt in promiſcua multitudine aliquando accidere, epiſcopos in miniſterio importunius interpellãt, aut turbant, eos arcendos aliquandiu à Chriſtianorũ commercio ducit, ut uel iſthoc pacto ad cor reuerſi, Chriſto lucrifiant. Proinde ad dilectionem mutuam hortatur, cum alios, tum ipſos maxime epiſcopos, ut communibus auxilijs, ſcuto fidei, & gladio uerbi hoſtes profligant, aut in ditionẽ redigant. In eo certamine, ut humanitus fermè fit, ſi quem ex fratribus uiderint durius acceptum, aut ab aduerſarijs prævalentibus proſcriptum, iubet eos qui integri etiam dum ſunt condolere, ut ethnicos, ſi nullis alijs machinis debellare poſſint, patientiæ tamen & concordiæ inter ſe glutino labefactent. Non enim raro patientia plus proficitur, quàm ſi uel omnia omnium generum tormenta adhibeas, præſertim ſi animus nullius mali ſibi conſcius, innocentia pro muro uti poterit.

SECVNDA ALEXANDRI EPISTOLA OMNIBVS FRATRIBVS SCRIPTA.

DILECTISSIMIS fratribus, omnibus epiſcopis, per diuerſas conſtitutis regiones, Alexãder epiſcopus. Nulli fratres dubium eſt, quia boni à malis ſemper perſecutionẽ patiuntur & tribulãtur, propter quod nos humiliari oportet ſub potẽti manu dei, ut liberet nos in tempore tribulationis: Nam ſicut leo 1.Petri 5.
rugiens circuit, quærens quem deuoret, ſic diabolus nõ ceſſat circuire & quærere, quos ex fidelibus perdat, & maxime illos, quos ardentiores in ſeruitio ſaluatoris, eiq; familiariores inuenerit. Familiariores dico eos quos ſibi ſacrari, & in ordine apoſtolatus conſtitui uoluit. Ipſi enim pro populo interpellant, & peccata populi comedũt, quia ſuis precibus & oblationibus ea delent atq; conſumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro neceſſitatibus quibus clamant exaudiuntur. Multum enim, ut ait beatus apoſtolus Iacobus, ualet deprecatio iuſti aſſidua: qui enim uos perſequitur, ipſum, cuius uice lega Iacobi 5.
tione fungimini, perſequitur. Quia ſicut ipſe filius dei mediator fuit dei & hominũ, ita & uos eius uice, in eccleſia eſtis conſtituti, ut inter deũ & homines legatione fungimini. Si quis autem ueſtrã legationẽ impedit, non unius, ſed multorum profectum auertit. Et ſicut multis nocet, ita à multis arguendus eſt, & bonorum ſocietate coërcendus: & quia dei cauſam impedit, & ſtatum conturbat eccleſiæ, ideoq; ab eius liminibus arceatur. Ab omnibus hominibus quoq; talis eſt cauẽdus, & nõ Excõmunicatio
in cõmunionem fideliũ, uſque ad ſatisfactionem recipiendus. Eſt enim ſtatutum olim, ut qui ſtatum conturbat eccleſiæ, ab eius liminibus arceat, nec cum fidelibus cõmunicet, qui eorũ bona auertit. Vos ergo ſi dilectionẽ habueritis ad inuicem, & unanimes fueritis, facile tales ſuperare poteritis. Si uero, quod abſit, diſcordes fueritis, & canino dente uos derodere cœperitis, nõ ſolũ eos nõ ſuperabitis, ſed & uobis Canino dẽte alterodere.
ipſis nocebitis, atq; ab eis ſuperabimini, & innocenter forte peribitis. Qui autẽ ex ueſtro collegio fuerit, & ab auxilio ueſtro ſe ſubtraxerit, magis ſchiſmaticus quàm ſacerdos eſſe probabitur. Ecce, inquit propheta, quàm bonũ & quàm iocundum habitare fratres in unum. Illi uero non in unum habitant, quia fratrũ ſe ſolatio ſubtrahunt, & quod deterius eſt, fratribus inſidias præparant, aut laqueos ponũt. De his enim & eorum ſimilibus dominus per Oſeam prophetã loquitur dicens: Pro Oſee 4.
pter uos lugebit terra, & infirmabit omnis qui habitat in ea. In ea beſtiæ agri, & uo-

lucres cœli, sed & pisces maris congregabuntur. Veruntamen unusquisq; non iudicet, & non arguatur uir. Populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti, et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecũ. Nocte tacere feci matrem tuam, conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellã te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et quia oblita es legis dei tui, obliuiscar filiorum tuorum qui peccauerunt mihi: gloriam eorum & ignominiam commutabo, peccata populi comedent, et ad iniquitatẽ eorum subleuabũt animas eorum, & erit sicut populus, sic sacerdos, & uisitabo super eum uias eius, & cogitationes eius reddam ei, & comedent, & non saturabũtur, fornicati sunt, & non cessauere, quoniam dominum dereliquerunt in non custodiendo. Hæc cauete fratres, & bona semper agere festinate, quia in hoc cognoscẽt omnes, dicit dominus, quoniam
Ioan.13. mei estis discipuli, si dilectionẽ habueritis ad inuicem. Bonum est nanque procul dubio, & omnibus timentibus deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes, fratribusq; subuenire, & inuicem non ridere, sed adiuuare. Nos ergo qui discipuli domini, & dici & esse cupimus, portare crucẽ Christi, & compati fratribus debemus, & non quascunque eis insidias aut foueas præparare, quia tale no-
Galat.6. men non meretur, qui fratribus foueam parat. Nolite errare fratres, quia deus non irridetur. Huius rei gratia uobis dominus commisit ecclesiã suam, ut pro omnibus laboretis, & cũctis oppressis opem ferre nõ negligatis. Vnde & dominus per pro-
Hiere.22. phetam loquitur dicens: Hæc dicit dominus, iudicate mane iudicium, & eruite uiolentum de manu calumniantis, ne fortè egrediatur quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & nõ sit qui extinguat. Vos ergo qui in summa specula à domino constituti estis, attendere eos, & opprimere oportet, qui inter fratres seditiones & scandala excitant, ne simul cum eis pereatis. Salutate omnes qui recte laborant in euangelio Christi, & iuste gubernant nauem eius, ne cohabitantes in ea mergantur, aut suffocẽtur. Salutat uos omnis apostolica ecclesia in domino, Amẽ. DATA IX. CAL. NOVEMBR. Traiano & Eliano VV. CC. COSS.

IN TERTIAM ALEXANDRI EPISTOLAM ARGVMENTVM, PER IO. SICHARDVM.

Quale debeat esse episcoporũ officium, docet hæc Alexandri epistola, nempe ut omne uitæ tempus in cognitione diuinarum scripturarum collocent, atq; ex ea leges uitæ hominibus præscribant. Sicuti enim ut credam facile adducor, ex inscitia scripturarũ quædã in ecclesiam redundasse, nõ ita ex præscripto Christi, ita insperatum ueniorem christianam & melius & constantius habituram, si id studium quod in prophanis quibusdam rebus consenescit, incipiant episcopi atq; presbyteri legi diuinæ addicere, ut qui Christi legatione funguntur, eius etiam mandata in procinctu habeant, cuius titulo præ cæteris apud homines conspicui sunt.

TERTIA ALEXANDRI EPISTOLA OMNIBVS PRESBYTERIS SCRIPTA.

1.Cor.15. ALEXANDER episcopus omnibus diuino sacerdotio fungentibus, pax & misericordia multiplicetur, & sapientia atq; bona uoluntas in omnibus augeat, & fructificetur à domino. Gratia dei sumus, fratres charissimi, id quod sumus, idcirco nobis prouidendum est, & oppidò decertandum, ne in ea ua cui inueniamur, sed eadem nobis cooperante gratia, fructum domino plurimum reportemus: quod aliter fieri non potest, nisi sapientiam scrutando, eiusq; præcepta lectionibus & hymnis meditando, atq; eo ad-

eo adminiculante implendo, orando, uigilando, et uoluntatẽ eius in quantum ipse largitus fuerit, perficere studeamus. Nec enim negligendam gratiam nobis dominus dedit, sed fideliter exercendã tribuit. Dilectio enim sine simulatione in nobis esse & apparere debet: quia omnis qui odit fratrem suum, homicida est: qui uero diligit eum, in deo manet, & deus in eo. Vnde Apostolus ait: Nolite iudicare fra-
Rom.14. tres in inuicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus uel scandalum. Et dominus inquit: Quod tibi non uis fieri, alteri ne facias. Et alibi: In hoc
Ioan.13. cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et Salomon ait: Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab omni
10 iniquitate. Summa enim iniquitas est fratres, detrahere & accusare. Vnde scriptũ
1.Ioan.3. est: Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est, & omnis homicida non habet par-
Ephes.5. tem, aut hæreditatem in regno dei. Et alibi: Cauete uos fratres charissimi, ne particípes efficiamini, quod absit, malis eorum: & non solum uos cauete à talibus, sed & alios cauere ab eis, et auertere docete. De his enim dominus ait per prophetam Mi-
Mich.1. chæam: Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus uestris, in luce matutina faciunt illud, quoniam contra deum est manus eorum. Et concupierunt agros, & uiolenter tulerunt, & domos rapuerunt, & calumniabantur uirum & domum eius, uirum & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit dominus: Ecce ego cogito
20 super familiam istam malum, unde non auferetis colla uestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. In die illa sumetur super uos parabola, & cantabitur canticũ, cum suauitate dicentium: Depopulatione uastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet à me cum reuertatur qui regiones nostras deuorat? Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu domini. Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicit domus Iacob. Nunquid abbreuiatus est spiritus domini, aut tales sunt cogitationes eius? Nónne uerba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et è contrario populus meus in aduersarium consurrexit. Desuper tunicam pallium sustulistis, eos qui transiebãt simpliciter, conuertistis ad bellum. Et contrà de his qui accusantur uel tribulantur, per Naum prophetam confortans eos, sic loquitur domi-
30 nus: Et confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. Et diluuio præte-
Naum.1. reunte consummationem faciet loci eius, & inimicos eius persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra dominum? consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio, quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium. Consumentur quasi stipula ariditate plena. Ex te exibit cogitans contra dominũ malitiam, mente pertractans præuaricationem. Hæc dicit dominus: Si perfecti fuerint & ita plures, sic quoque attondentur & pertransibit. Afflixi te, & non affligam te ultra. Facile est fratres uerbo fallere hominem, sed non deum: sapiens non est qui nocet, nec uir linguosus in malum se diriget in terra. Nihil uero mali uult qui fidelis est, malo enim & prauo ingenio fides aliena est. Ait a-
40 postolus de infidelium ignorantia: Si enim cognouissent, nunquã dominum gloriæ crucifixissent; crucifigunt enim dominũ qui eum in sacerdotibus suis persequuntur: quia crux à cruciatu dicitur: magnum uero cruciatum sustinet qui uim patitur. Sed tamen beati qui persequutionẽ patiuntur propter iustitiam, ecce, ait Iudas apostolus, ueniet dominus in sanctis millibus suis facere iudicium, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem de omnibus operibus impietatis eorum. Hæc fratres ualde timenda sunt, & perpendenda, ne ueniens unusquisq; ad iudicium, pœnam cum impijs recipiat, sed cum iustis gloriã: quod pius dominus præstare dignetur, qui uiuit & regnat per secula cuncta. DATA CAL. MAII, Eliano & Vetereo VV. CC. CONSVLIBVS.

IN XISTI EPISTOLAM ARGVMENTVM, PER IO. SICHARDVM.

XIstus ab apostolis sextus Rom. episcopus, trinitatis mysterium paucis attingit uerius quàm tractat, cui tanquam rei peruulgatæ, & quæ extra controuersiæ aleam esse debeat, ab omnibus, quotquot Christiano censemur uocabulo, assentiendum docet, aperte hoc præ se ferens, ut de rebus, quarum agnitio non ad plenum nostræ imbecillitati constare possit, potius pie & liberaliter suspicemur, quàm ut curiosius & ob id incautius inuestigemus. Quod enim nostræ salutis interest, id fermè totũ situm est loco illustri, ut nec possit ignorari etiam ab his qui uel huius professionis limen ingressi fuerint. Trinitati autem sacrosanctæ, indiuiduã coniungit unitatem, ita ut tantundem deferatur filio, quantum patri, nec sit quicquam honorificum patris, quod non idem filio competat: quod usque adeo uisum est indignum Ebionitis, ut gradibus aliquot superiorem fecerint: patrem, filium autem interuallo quodam sequentem. Porrò nec desunt alij, qui dum anxie magis quàm pie huic rei insudant, in admirabilem illam trinitatem, tanquam in scopulos impegerunt. Iudiciorũ uero quia hucusque ex industria non meminimus, & nulla est omnino epistola, quæ nõ obiter saltem eorum mentionẽ iniiciat, dicam semel, sed prolixius paulò. A secularibus, ita enim loquuntur, nõ donant alicuius criminis insimulari episcopũ, nisi de accusatoris iam antea fide, integritate, sit apud nos testatum. Est hoc equidem uel maximum ueteris innocentiæ argumentum, quod cum à bonorum essent criminationibus suapte innocentia satis muniti, secularibus uero tantum occurrendũ ducerent. Ne uero hic quenq; secularium nomen torqueat, uideo eos hoc uocabulo dicere uoluisse, quos ferè sycophantas hodie appellãt, qui cum à fide christiana essent remoti, magni quiddã se consequutos existimabant, si confecto pro tempore crimine, negociũ episcopis facesserent, & tanquã remoram inijcerent, quo minus possent ex animi sententia ministerio uerbi inseruire.

Ebionitarum hæresis.

Seculares qui appellentur.

XISTI EPISTOLA DE VNITATE DEI OMNIBVS FRATRIBVS SCRIPTA.

OMNIBVS in deo patri & domino nostro Iesu Christo dilectis fratribus, in charitate domini nostri Iesu Christi, Xistus Romanæ urbis archiepiscopus, salutem. Charissimi fideliter agite in omnibus, ut fideles & non infideles inueniamini. Nolite imitari malũ, sed quod bonum est agite, quia qui bene agit ex deo est, qui autem male, non ex deo, sed ex diabolo est. Fidem enim rectam uos tenere oportet, ut dissentientes ab apostolica nõ sitis doctrina. Vnum enim uerũ deum, patrẽ & filium à prophetis & apostolis ostendimus prædicatũ, à quibus etiam spiritum sanctum credimus non esse discretum, Esaia propheta dicente: Ego sum deus, & non est alius præter me. Et per meipsum iuro, quia exiuit ex ore meo ueritas, & sermo meus non reuertetur, quia mihi inclinabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur per dominum, dicens: Iustitia & gloria ad eum ueniet. Et ut in hoc testimonio patrem simul & filium fuisse cognoscatis, Paulum apostolum audite dicentem: Vt in nomine Iesu omne, inquit, genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei omnipotentis. Quod si secundum aliquos filius minor est patre suo, ergo minorata est & gloria patris in filio. Et ubi est quod in Salomone scriptura loquit̃, dicens: Sicut etiam in conspectu eorum, inquit, magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis, ut cognoscant te sicut & nos cognouimus, quoniam non est deus præter te domine. Diligenter attende, & agnosce filium esse, qui magnificabitur in iudicio, dum uenerit uiuos & mortuos iudicare. Item Esaias: Audite domus Iacob & residui domus Israël, qui egredimini ex utero, & erudimini à puero usque ad senectutẽ, ab initio ego sum, & quousq; senescatis ego sum, ego uos feci, & ego sustineo, ego remittã, ego suscipiam dicit dominus. Et iterum: Ego sum deus, præter me non est alius deus, annuncians nouissima priusq̃ fiant. Audite me Iacob & Israël quem ego feci, ego sum dominus deus tuus, & nõ est alius præter me. Item alibi: Ego sum dominus primus, & ego

Esaiæ. 45

Philipp. 2.

Esaiæ. 46

Esa. 41.

ego nouissimus, & in ea quę superuentura sunt in nouissimo ego sum. Itẽ ibi: Ego sum deus qui te creaui, qui te adiuui, & cõmuniui dextera mea. Et unitatẽ patris & filij assignans, loquit̃ dicens: Ego testis uester dicit dominus deus, & puer meus tu quem ego elegi, ut sciatis & credatis, quia ego sum, & ante me nõ fuit alius deus, et post me nõ erit. Vnũ hi, qui non sanè sapiũt, eligant è duobus: aut fateãtur patrẽ & filiũ unum deũ, aut si solũ patrem deũ esse contendũt, ergo illis dominus Iesus Christus deus filius, non erit deus, quia scriptũ est: Ante me nõ est alius deus, & post me non erit. Si secundũ tales ita est, cur apostolus talia prædicat, & eundẽ filium deum super omnia benedictũ insinuat: quorũ patres, inquit, ex quibus Christus secundum carnẽ, qui est super omnia deus benedictus in secula. Item Esaias dicit: Dominus deus Israël qui liberauit eũ de Aegypto: ego sum primus, & ego post hæc, & prẽter me nõ est deus sicut ego sum, qui stet & uocet, & præparet mihi, ex quo hominẽ feci in seculo. Item alibi: In te est deus, et nesciebamus, et nõ est alius prẽter te. Tu eñ es deus, & nesciebamus, deus Israël saluator. Vnus deus nõ sunt pater & filius: Quis est hic deus, in quo esse dicit̃ deus pater, quẽ alium deum nõ esse propheta sæpenumero protestatur? Et Hieremias: Hic deus noster, ait, & non adplicabitur alter ad eũ, qui inuenit omnẽ uiam scientię, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo, post hęc in terris uisus est, & inter homĩes cõuersatus est. Et in Salomone habet̃: Miserere nobis deus omniũ, et ostende nobis lumẽ miserationis, & immitte timorẽ tuum super gentes, quæ nõ exquisierũt te, ut cognoscant quoniã non est alius deus, nisi tu. Item alibi: Domine deus Israël, nõ est tibi similis in cœlo sursum. Et in psalmo: Quoniã quis deus prẽter dominũ, aut quis deus præter deũ nostrũ? Et in Genesi: Et pluit dominus à domino ignẽ & sulphur super Sodomã et Gomorrhã, & euertit ciuitates illas. Si solus pater deus est, quis pluit ignem & sulphur à domino super prædictas ciuitates, uel eas euertit? quæso respõde. Et in Deuteron. Dominus solus deducebat eos, & nõ fuit cũ illis deus alienus. Et Paulus apostolus: Vnus deus qui iustificat circuncisionẽ ex fide, & præputiũ per fidem. Et ad Corinth. Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi. Et iterum: Non est deus nisi unus. Et ad Gal. Mediator autẽ unius non est, deus autẽ unus est. Et unitatem patris & filij & spiritus sancti demonstrans, Ephesijs scribens, ita cõfirmat: Sufferentes inuicem in charitate, soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis, unũ corpus & unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ, unus dominus, una fides, unũ baptisma, unus deus. Si non sanè sapientes, unitatẽ fidei uoluerint simplici corde recipere, ex hoc itaq; testimonio, in uno spiritu poterũt simul patris & filij unitatem cõdiscere. Patrẽ igitur, ut superius cõprehensum est, in diuinis literis genitum proprie positũ, nec legere possunt penitus, nec probare: sed quia id ipsum fides exigit Christiana, absq; ulla dubitatione ingenitus credit̃, qui tamen secundũ seriem scripturarum, in filio à se genito † uisus esse monstratur. Cęterum placuit propter malorum hominẽ infestationẽ, ut in accusatione domini ministrorũ, primo persona, fides, uita, & cõuersatio blasphemantiũ enucleatim perscrutet̃. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino est credendũ, qui ueritatis fidem ignorant, nec recte cõuersationis uitã ducunt, quoniam tales facile et indifferenter lacerãt, & criminãtur recte & pie uiuentes. Ideo suspicio eorũ discutienda est primum & corrigenda, necq; accusatoribus suspectis uel de inimicorũ domo pdeuntibus est credendũ. Erãt enim quidam qui prius uidebant̃ esse ex nobis, sed nõ erãt ex nobis: si uero essent ex nobis, manssissent utiq; nobiscũ, & nõ cõturbassent fratres. Exacuerũt eñ, ut ait propheta, linguas suas sicut serpentes, uenenũ aspidũ sub labijs eorũ. Quapropter hi respuendi sunt, si incorrigibiles apparuerint, & uitandi, ne domino decipiãt famulantes. State ergo dilectissimi super uias, aspicientes & interrogãtes de semitis domini antiquis,

Esa. 43.

Ecclę. 36.

Deut. 4.

Psalm. 17.

Gen. 19.

Deut. 32.

Rom. 3.

2. Cor. 5.

Gal. 3.

Ephe. 4.

† *unus*

In accusantibus quæ sint speculanda.

Psal. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& uidete quæ est uia domini bona & recta, & ambulate in ea, & inuenietis requiē animabus uestris. DATA XVII. CAL. MAI. sub Adriano & Vero.

IN EPISTOLAM HYGINI ARGVMENTVM, PER IOANNEM SICHARDVM.

COmmendaturus nobis humilitatem, animiq; submissionem Hyginus, ut auspicatius id faciat, à capite Christo rem repetit, qui cum esset in forma dei, non rapinam arbitratus est, ut esset deo similis, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit seipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis: dicente diuo Paulo ad Philippenses: Eius autem cum omnis uita, rerumq; gestarum series, sit nobis ad imitationem proposita, tamen ægre reperies aliud, in quo propius ergà nos diuinæ uolunatis affectum agnoscas, quàm quod extra omnem huius mundi iniuriam positus, uolens tamen pro hominum salute, omnes calamitates subierit, suo nos exemplo inuitans, ut quo sumus superiores, hoc nos geramus submissius.

PRIMA HYGINI EPISTOLA CATHOLICA.

HYGINVS in Christi nomine almæ urbis Romæ episcopus, cunctis Apostolica fide & doctrina uigentibus, salutem. Charissimi, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur. Filius non secundū deitatem solam à patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer & pie pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum (exinanita
Philip.2. maiestatis suæ potentia) id est, se filius miserit, Apostolus testatur, qui ait: Semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, & humiliauit semetipsum, factus obediēs
Esaiæ.35. usq; ad mortem, mortē autem crucis. Et Esaias: Non legatus neq; angelus, sed ipse
Esaiæ.65. dominus ueniet, & saluabit eos. Item alibi: Palàm apparui non quærentibus me.
Hiere.20. Et Hieremias: Dereliqui domum meam, & dimisi hæreditatem meam, ueni & factus sum illis in obprobrium. Et in Michæa: Ecce dominus ueniet, & cōmouebun
Zach.1. tur montes sub eo. Et in Zacharia: Gaude et exulta filia Sion, quia ecce uenio ego,
1.Tim.2. & commorabor in medio tui, dicit dominus. Et Apostolus ad Timoth. Humanus sermo, et omni acceptione dignus, quoniā Christus Iesus uenit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Et Michæas: Ecce subitò ueniet in templo sancto suo dominus quem uos quæritis, & angelus testamenti quē uos uultis. Et in euangelio:
Lucæ.5 Nō ueni uocare iustos, sed peccatores in pœnitentiā. Itē alibi: Quid nobis, et quid
Matth.8. tibi Iesu fili dei, uenisti ante tempus perdere nos? Item alibi: Ego ueni ut uitam ha-
Ioan.10. beant, & abundantius habeant. Item alibi: Nemo ascendit in cœlū, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo. Nunquid in his tantis ac talibus testimoniis, quibus se filius dei à semetipso uenisse testatus est, poterit quis dicere, ab alio, & non à semetipso uenisse? dum manifestū est eum qui carnem nostrā dignanter assumpsit, uolūtarie & nō ab alio missum aduenisse: nam qui in patre manēs, ubiq; potentia sua cōsistit, quô à patre mitteret omnino non habuit. Quoniā nulla pars cœlorū ac terrę, à cōspectu patris excipitur, ubi secundū uos à patre filius mitteret.
Ephes.4. Et Paulus: Renoua miui, inquit, spiritu mentis uestræ, & induite nouū hominem,
Hebr.2. qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Et ad Hebræos: In eo enim in quo passus est, ille tentatus est, nam potens est ei qui tentatur auxiliari. Vnde sanctæ uocationis semper cœlestis participes, considerate apostolū, & pontificē confessionis nostrę Iesum fidelē existentem ei qui creauit eum. Et ad Colos.
Colos.3. Nunc autem deponite & uos uniuersa, iram, indignationem, malitiaq; ex ore uestro non procedat. Nolite mentiri inuicem, expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, & induite nouum, eum qui renouatur in agnitione secundum imaginem

imaginem eius qui creauit eum. Nunquid is qui uniuersam creaturam, uisibilia & inuisibilia, propria potestatis uirtute procreauit ac fecit, seipsum ante aut postmodū, quod dicere nefas est, creauit uel facere potuit? Et dominus in Euāgelio ait:
Ioan.14. Qui me uidet, uidet & patrem. Et iterum: Qui me odit, & patrem meū odit. Et iterum: Vt omnes honorificēt filiū, sicut et honorificāt patrē. Et iterū: Vt sint in nobis
Ioan.15. unum, sicut & nos sumus unū: tu in me, et ego in eis. Et iterū: Omnia mea tua sunt.
Ioan.5. Et iterum: Ego in patre, & parer in me. Et iterum: Pater in me manens, facit opera
Ioan.14. hæc. Et Ioannes Euangelista ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud
Ioan.1. deum, & deus erat uerbum. Et iterum ipse alio loco: Tres sunt, inquit, qui testimo-
1.Ioan.5. nium perhibent in terra, aqua, sanguis, et caro. Tres in nobis sunt qui testimonium perhibent in cœlo, pater, uerbum, & spiritus, & hi tres unum sunt. Nos itaq; in natura deitatis, quia unum sunt pater & filius & spiritus sanctus, nec patrē credimus aliquo tempore præcessisse, ut maior sit filio, nec filium postea natum esse, ut deitate patris minoretur. Cæterum fratres, saluo in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegio, nullus metropolitanus absq; cæterorū omnium cōprouincialium Episcoporū instantia aliquorum audiat causas eorum, quia irritę erunt aliter actę quàm in conspectu eorum omniū uentilatę, & ipse si fecerit coërceatur à fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamē ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint, omni se suspicione carere & inimicitia, atq; irreprehensibilem fidem ac cōuersationē ducere, necnon & peregrina negotia & iudicia prohibemus: quia indignum est, ut ab externis iudicentur, qui prouinciales & à se electos debent habere iudices. Nos quidem ex omni parte carpendo occasiones abscidimus. Nos enim supernæ memores disciplinæ, quibuscunq; cadentibus dexteram porrigimus, & à ruinæ præcipitio quos possumus releuamus, & defensiones atq; admiculum totis uiribus præbere cupimus. Certe uel si mens sit recti conscia, uindicta dignus est qui alij existit causa periculi: qui uero innocentem uel fratrem quocunq; ingenio persequitur, ipse in iugulum mortis impingit, ut ait diuinus & beatus præco: Noli detrahere ne eradiceris: noli accusare, ne accuseris: noli iudicare, ne iudiceris: quia in quo iudicio iudicaueris, iudicabitur de te. Nemo creditur nos odisse, quorum relatione non læditur. Dicit enim dominus: Omne regnū in se diuisum, nō stabit: & omnis sciētia & regula aduersum se diuisa, non stabit. Ideoq; necesse est ut cōcorditer salubres suscipiatis hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis, unanimes diuinis & apostolicis cōstitutionibus pareatis. DATA XVII. CALEND. OCTOBRIS, Magno & Camerino COSS.

IN ALTERAM HYGINI EPISTOLAM ARGVMENTVM, PER IO. SICHARDVM.

ATheniensis, quos etiā dum circa idola pueriliter ineptire uidit, familiariter admonet Hyginus hac epistola, *ut tandem dediscant idolorū cultum, & à putribus, ut Lactantius appellat, dijs gentium, ad uerū deum animos adplicent. Quos uero eousq; in fide promouisse cognouerat, ut præ uero deo idola contemnerent, certo consilio ab eorum commercio, qui admoniti ad ueri prophetæ cognitionem proficere nollent, sibi temperare iubet, ne mali huius contagio ex conuictus familiaritate clanculū serpens, eos etiam inficiat, qui Christum quidem amplexi, quauis tamen persuasione poterant aliorsum impelli. Si enim abluti baptismo, ex professionis præscripto cum illotis non uescebantur: etsi commissum est apostolis, ut prædicationis gratia uenientes in ciuitates, uideant qui sint digni apud quos cibum capiant: quanto magis conuenit, ab eorum communione esse nos immunes, quibus gratum esse nihil planè potest, nisi quod morem suum respiat? Et quia plerique Christianorum grauiter ob id audirent, atq; asperius in idola loquuti, passim etiam exularent, iubet bono animo diem iudicij expectare, ut tanta mercedis spe, leuiora fiant, quæ ethnici, ridiculis suis dijs excæcati, in Christianos statuebant.*

ALTERA HYGINI EPISTOLA ATHENIENSIBVS SCRIPTA.

HYGINVS EPISCOPVS Athenienſibus ſalutem. Multa mihi fiducia eſt apud uos fratres, & multa gloriatio pro uobis: repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Tribulor enim quando de uobis audio quod non oportet. Conſolor uero quoties ea inter uos fieri cognouero, quę bonos Chriſtianos decet implere. Nolite fratres iugum ducere cum infidelibus. Vnde doctor gentium loquitur, dicens: Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quis autem templo dei conſenſus cum idolis? Vos enim eſtis templum dei uiui, ſicut dicit dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum deus, & ipſi erunt mihi in populos. Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, ſed catenis noctis in infernum detractos, in tartarum tradidit ad iudicium cruciandos reſeruari, & originali mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhęorum in cinerem redigens, euerſione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi ſunt ponẽs: quid putatis iniquis & impijs perſeuerantibus in nequitia eorum erit? Iuſtum uero Loth oppreſſum à nefandorũ iniuria & conuerſatione eruit, aſpectu enim & auditu iuſtus erat, habitans apud eos qui in diem de die animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. Nouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicij cruciandos reſeruare, magis autem eos qui poſt carnem in cõcupiſcentia immũditiæ ambulant, dominationemq; contemnũt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt facere, blaſphemantes. Vnde alieni erroris ſocium à ſui propoſiti tramite recedentẽ, aut Apoſtolicæ ſedis iuſſionibus inobedientem ſuſcipere non poſſumus inter fideles, nec impedire recte credentes, uel ſanctorum patrum ſuorum iuſſionibus obtemperantes, permittimus: quia inter fideles & infideles magna debet eſſe diſtinctio. Si deus, fratres, iuſtis nõ pepercit, quid de nobis peccatoribus fieri putatis? Cuſtodite uos ab omni inquinamento carnis & corporis ut ſalui ſitis in aduentu domini. Illud autẽ hoc non lateat uos, ut ait Apoſtolus, chariſſimi, quia unus dies apud deum ſicut mille anni, et mille anni ſicut unus dies: non tardat dominus promiſſis, ſed patienter agit propter uos, nolens aliquos pereat, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies domini ut fur, in qua cœli magno impetu tranſient, elementa uero calore ſoluentur. Cum hæc igitur omnia diſſoluenda ſunt, quales oportet uos eſſe in ſanctis cõuerſationibus, & pietatibus? expectantes & properantes in aduentu diei, per quem cœli ardentes ſoluuntur, & elementa ignis ardore tabeſcent. Nos uero cœlum & nouam terram, & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicũ paſſos ipſe perficiet, cõfirmabit, ſolidabitq; ipſi gloria & imperiũ in ſecula ſeculorum, Amen.

2. Cor. 6.
2. Petri. 2.
2. Petri 3.
1. Theſſ. 5.

DATA X. CAL. MAR. Magno & Camerino coss.

IN SOTERI EPISTOLAM, ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

Diuerſitas naturarum in Chriſto efficit, ut proprie loquentes alio atq; alio modo de humana natura, atq; diuina dicant. Eò enim quod deus eſt, in ſcripturis genitus, homo uero factus dicitur. Ea autem prædicata, ut ſcholaſticorum more loquar, maxime huc conducunt, ut intelligamus de rebus diuinis circumſpecte pronunciandum eſſe. Sunt enim omnium profeſſionum uſq; ad carbonariam, ſolennes dicendi ritus, quos miſcere graue ſit: piaculum

eſt. Etſi quælibet ars etiam mechanica conſecrata quædam & peculiaria habet nomina, quibus inter ſe ijſdem artibus initiati utuntur, multo religioſius profecto obſeruandum eſt in ſacris, ne dum illoto de tantis rebus ore loquimur, ipſis uideamur etiam cerdonibus ſtultiores, qui de artis ſuæ myſterijs, non niſi uerecunde loqui conſueuerunt.

SOTERI EPISTOLA EPISCOPIS CAMPANIAE SCRIPTA.

SOTER apoſtolicæ ſedis archiepiſcopus, Campanis omnibus ſalutẽ in domino. Gaudere uos oportet fratres, quod diuina largiente gratia, familiares domini uocamini, eiusq; ſacerdotij dignitate fungimini. Nunc autẽ rogo uos, ut circa plebes uobis commiſſas laborare dignemini, & fructuoſos manipulos domino reportare nitamini. Paulus enim apoſtolus de fide loquitur, ita dicens: Quod ante promiſerat per prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundũ carnem. Item ipſe ad Galatas: Poſtquam autem uenit plenitudo temporis, miſit deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege. Et ad Philippenſes: In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Et Pſalm. Infirmata eſt in paupertate uirtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt, & ſuper omnes inimicos meos factus ſum obprobrium. Item: Obliuioni traditus ſum tanquam mortuus à corde, factus ſum tanquam uas perditum. Et idem: Tanquam prodigiũ factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Et idem: Vt iumentũ factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Et idem: Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Et idem: Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. Et idem: Et factus ſum obprobriũ illis, uiderunt me, & mouerunt capita ſua. Et idem: Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Et in euangelio: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Filius igitur ſecundum carnem dicitur factus: nam ſecundum diuinitatem, à patre nuſquam legitur factus, ſed genitus. Dum enim pater loquitur, filius loquitur, & cum filius loquitur, pater in illo loquens documentis cœleſtibus comprobat, Paulo atteſtante, qui ait: Multis partibus, multisq; modis olim deus loquutus eſt patribus in prophetis, nouiſſime autem loquutus eſt nobis in filio. Et ut eundem filium, excepto patris præcepto, doceam fuiſſe locutũ, ex Eſaiæ prophetæ uolumine proferimus documentum. Hæc dicit dominus, in illa die ſciet populus meus, quoniam ego ſum ipſe qui loquebar in ſeruis meis prophetis, euangelizans auditum pacis, & ecce adſum. Item alibi: Cogitaui & locutus ſum, & adduxi, & creaui, & feci. Et apoſtolus: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſti? Et in pſalmo: Loquebar in teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar. Et ipſe dominus in euangelio cæco à ſe inluminato dicit: Et uidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. Et Samaritanæ mulieri ait: Ego ſum qui loquor tecum. Et ad diſcipulos inquit: Verba quæ ego locutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt. Et ad patrem: Ego ad te uenio, & hoc loquor in mundo. Et iterum Iudæis dicit: Loquor uobis, & nõ auditis, ſi autem uenerit alius, illum audietis. Et iterum: Hæc loquutus eſt dominus in gazophylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius. Ecce in his omnibus quæ ſuperius iam enarrata ſunt, non docetur filius præcepto patris fuiſſe loquutus, ſed multo magis proprium exercuiſſe in loquendo ſermonem. Eſaias quoq; propheta ait: Hæc dicit dominus, ego feci terram ſenſu meo, & hominem ſuper eam, ego ſolida ui cœlum manu mea, ego omnibus ſyderibus mandaui ut lucerent in cœlo. Item ibi: Ego omne conſiliũ meum ſtatui, & omnia quæcunque cogitaui, ego feci. Item ibi ſic dicit dominus: Qui conſtituit cœlum & terrã, & fecit eam, & fundauit eam,

Rom. 1.
Gal. 4.
Philip. 2.
Pſalm. 30.
Pſalm. 70.
Pſalm. 72.
Pſalm. 86.
Pſalm. 87.
Pſalm. 109.
Pſalm. 101.
Ioan. 1.
Heb. 1.
2. Cor. 13.
Pſalm. 118.
Ioan. 6.
Ioan. 8.
Eſaiæ 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item alibi: Ego primus, & ego in æternum, manus mea fundauit terram, dextera mea solidauit cœlum. Item ibi: Ego feci terram in fortitudine mea magna, & in brachio meo excelso. Et in Hieremia: Dominus fecit terram in uirtute sua magna, & erexit orbem terræ in sapientia & prudentia sua, extendit cœlum et posuit sonum aquæ in cœlo. Defendite charissimi rogamus contra maleuolos homines incõcussum ecclesiæ statum, ut uos Christi dextera defendat in æuum. DATA NON. MAII, Aquilino, & Aquilino IIII. VV. CC. COSS. Hiere. 51

IN EPISTOLAM VICTORIS ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

DE sacramentorum administratione non satis conuenerat Episcopis Africæ, ob id post longas easq; capitales dissensiones, res uidebatur in apertum bellum eruptura. Necesse est enim quotiescunq; de rebus summis controuertitur, & quæ uenerari nos decebat, scurriliter deridenda propinemus, ut quod mutuæ inter nos concordiæ causa donatum sit, simultatum fiat seminarium. Nam cum per baptismi, corporisq; dominici, atq; aliarum rerum communionem, Christus amicitias uellet coalescere, atque in omnem posteritatem propagari, accidit ut inexpiabilium odiorum fierent initia. Quod tum maxime solet contingere, quando de administratione pugnatur, & usus rei in dubio est. Quamobrem eos qui proprium sibi quendam administrationis sacramentorum modum excogitauerant, abhorrentem ab Euangelij regula, hortatur Victor, ueluti in nullam orbis partem, pro hominum salute non intentus, ut depositis cõtentionibus in gratiã redeant, potiusq; cogitent sacramentorum commoda, quàm litium studiosi aucupentur causas, quibus ex industria dißideant.

VICTORIS EPISTOLA EPISCOPIS AFRICANIS SCRIPTA.

VICTOR Rom. ecclesiæ & urbis archiepiscopus, uniuersis episcopis per Africã constitutis, in domino salutem. Semper enim in æterno consilio dei mansit, humani generis incõmutabiliter prædinata reparatio, sed ordo rerum per dominum Iesum Christum temporaliter gerendarum, dispositione uerbi diuini sumpsit exordium. Quapropter oportet uos fratres unanimes esse & adminiculum uicissim ferre: in recta ergo fide, & in sacramentis diuinis non discrepare, sed concordes esse: quia licet pauci sitis, malorũ comparatione, si tamen concordes fueritis, facile auxiliante domino uestros insidiatores superabitis: si uero discordes, quod absit, fueritis, non superabitis, sed superabimini. Perlatum est enim ad nostram sedem aliquos uestrûm nocere fratres uelle, & ut cadant decertare, similiter in sacramentis discrepare, & ob id contentiones & æmulationes inter uos fieri: à quibus dissensionibus uos auertere & in his omnibus concordare, & opem ferre uicissim mandamus. Nam si hoc agere citò neglexeritis, & uicissim reconciliari nõ studueritis, ab apostolicæ sedis, & totius ecclesiæ cõmunione uos pellere non dubitetis. Nec adtenditis charissimi, qualiter dominus talibus per Esaiam prophetam cõminatus est, dicẽs: Dominus enim loquutus est uerbum hoc: luxit & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, & infirmata est altitudo populi terræ, & terra interfecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerũt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio uorabit terram, & peccabũt habitatores eius. Ideoq; insanient cultores eius & relinquentur homines pauci. Luxit uindemia, infirmata est uitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent uinum, amara Esa. 24

amara erit potio bibentibus illam. Attrita est ciuitas uanitatis, clausa est omnis domus, nullo introëunte, clamor erit super uino in plateis, deserta est omnis lætitia, & translatum est gaudium terræ. Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas: quia hæc erunt in medio terræ, & in medio populorum. Quomodo si paucæ oliuæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi cum fuerit finita uindemia. Hi leuabunt uocem suam atq; laudabunt, cum glorificatus fuerit dominus hinnient de mari. Propter hæc in doctrinis glorificate dominum, in insulis nomen domini dei Israël. Et dominus in oratione quam discipulos suos docuit orare, ait: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. In bonis & iustis hominibus sanctificatur nomen domini, & in malis blasphematur. Et ipsa per se ueritas ait: Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & postea offeres munus tuum. Nullis uero liceat doctrinam euangelicam deserere, & sacerdotali honore gaudere. Data Calend. Septemb. Latera no & Rufino XIIII. VV. CC. COSS. Matth. 6 Matth. 5

IN ZEPHYRINI EPISTOLAM ARGVMENTVM PER IOAN. SICHARDVM.

IN legibus non solum ueteribus, sed & nostratibus cautum est, ne quicquam nobis aut in rem, aut in dignitatem hominis permittamus liberius, priusquàm sit iudicio de his pronunciatum. Et cum in primis hoc sit legum ingenium, ut uno ore omnibus loquantur, erant qui Christianis hoc negari contenderent, tanquã his quos, cum noxam & in speciem ridiculam religionẽ inuehrent, merito suo dij hominesq; odissent. Atq; ob id à nummarijs quibusdam iudicibus, prædæ inhiantibus, conductitij quidam accusatores, & circumforanei allegabantur, qui simul atq; in uulgus absurdum aliquod commentum, domi per insidias confictum, sparsissent de Christianis, in eorũ fortunas mox fiebat impetus, qui non modo criminum non fuerant conuicti, sed ne litis quidem esset dies denunciata. Appellat Zephyrinus leges diuinas ac humanas, quibus tanquam uinculis cum publica tranquillitas confirmetur, non licere ait, ut eijciantur malis modis, mulctentur fortunis, conijciantur in carceres, quales quales fuerint professione, nisi de criminibus iam ante consliterit. Et quia tot essent ubiq; paratæ insidiæ presbyteris etiam innocentibus & eruditis, facile suspicans quid demum esset futurum de indoctis, & quorum uitæ ratio non constaret, admonet idem ut in electione nouorum presbyterorũ sint circumspecti, adhibeantq; iudicium, ne parum eruditos huc loci prouehant, aut indignos. Vellem equidem uel serò paterentur sibi episcopi nostræ tempestatis persuaderi, ut aduigilarent quoad fieri posset, ne sine delectu obuium quenque in presbyterorum numerum referrẽt, quibus, dicam libere, cum debemus optimarum quarunq; rerum interitũ, tum & ipsi episcopi contemptum, durius hoc fortaßis est, at uerum, in quem, dum gratiosi student uideri & clementes nimium, inciderunt. Quod ergo pro temporis ratione à Zephyrino de eruditione & uitæ innocentia est dictum, quid prohibet quo minus nostri seculi rationẽ considerantes, de numero statuatur? Quis enim non uidet ministrorum numerum? hoc enim est eorum nomen in sacris receptum, propemodum creuisse ultra eorum numerum quibus inseruire debebant. At hic interim usqueadeo nihil est uidere seruile, ut ipsis sint aliquando tyrannis nocentiores, mentiar uero nisi satis hoc ille status rerum per se clamet. Olim multitudo principum Cariam, hodie sacrificulorum indoctorum, totum fermè orbem in bella coniecerat, à quibus ita nos asseruit bonus quidam genius, ut uideantur de integro capitalius exoritura, nisi tandem episcopi hoc esse incipiant, quod nomine præ se ferunt.

ZEPHYRINI EPISTOLA DE PATIENTIA CATHOLICA.

ZEPHYRINVS Romanæ urbis archiepiscopus, omnibus fratribus per Aegyptum in domino militantibus, salutem. Tantam à domino huius sanctæ sedis & apostolicæ ecclesiæ fundatore, & beato Petro principe apostolorum, accepimus fiduciam, ut pro uniuersali, Christi sanguine redempta ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

domino famulantibus succurramus,& cunctis pie uiuentibus apostolica autorita te opem feramus. Omnes qui in Christo uolunt pie uiuere, necesse est ut ab impijs & dissimilibus patiantur opprobria,& despiciantur tanquã stulti & insani, ut meliores & purgatiores efficiantur, qui temporalia bona perdunt, ut percipiant æterna. Eorum uero despectio & irrisio in ipsos retorquebitur qui eos afflígunt,& con tumelijs afficiunt, cum & abundantia eorum in egestatem, & superbia transierit in confusionem. Nunciatum est enim nobis per apocrysiarios uestros, quosdã fratrum nostrorum, episcoporũ uidelicet, ab ecclesijs & sedibus propríjs pelli, suaq; ab eis auferri supellectilia, & sic nudos & expoliatos ad iudicia uocari, quod omni ratione caret, cum statuta Apostolorũ, eorumq; successorum,& præcepta imperatorum, ac constitutiones legum idipsum prohibeant, & apostolicæ sedis autoritas idipsum fieri nolit. Præceptum est ergo in antiquis statutis, episcopos eiectos atq; suis rebus expoliatos in ecclesijs proprijs recipi, & primo sua omnia eis reddi, & demum si quís eos iuste accusare uoluerit, æquo periculo facere: Iudices esse decernentes episcopos recta sapientes, & in ecclesia conuenientes, ubi testes essent singulorum qui oppressi uidebantur, nec prius eos respondere debere, quàm omnia sua eis & ecclesijs eorum legibus integerrime restituantur. Nec mirum fratres, si uos persequuntur, cum caput uestrum Christum dominũ nostrum, usq; ad mortem sint persequuti: ipsæ tamen persequutiones patienter portandæ sunt, ut eius discipuli esse cognoscamini, pro quo & patímini. Vnde & ipse ait: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. His suffulti suffragijs non multum debemus timere obprobrium hominũ, neq; eorum exprobrationibus uinci, quoniam hoc nos dominus iubet, per Esaiam prophetam dicens: Audite me qui scitis iudicium populus meus, in quorum cordibus lex mea est. Nolite timere obprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis. Considerantes quod in psalmo scriptum est: Nónne deus requíret ista? ipse enim nouit abscondita cordis,& cogitationes talium hominum, quoniam uanæ sunt. Vana autem loquuti sunt unusquisq; ad proximũ suum, labia dolosa,& in corde loquuti sunt mala, sed disperdet deus uniuersa labia dolosa & linguam magniloquam. Qui dixerunt, labia nostra à nobis sunt, quis noster est dominus? Nam si hæc in memoria retinerent, minime ad tantam prosilirent iniquitatem. Non enim propter probabilem & paternã doctrinam hoc faciunt, sed ut suam exerceant in seruos dei uindictam. Scriptum est nanque: Via stulti recta in oculis eius,& sunt uiæ quæ uidentur homini iustæ, nouissima autem earum deducunt ad mortem. Nos enim qui hæc patímur iudicio dei, hæc reseruare debemus, qui reddet unicuiq; secundum opera eius, qui etiam per ministros suos intonuit dicens: Mihi uindictam, ego retribuam. Vos enim in recta fide & operibus, bona uoluntate succurrite uicissim, nec aliquis à supplemento fratri subtrahat manum, quoniam in hoc, ait dominus, cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Vnde & ipse per prophetã loquitur dicens: Ecce quàm bonum & quàm iocundũ habitare fratres in unum. Spiritali dico habitaculo, & concordia quæ in deo est & unitate fidei, huius delectabilis secundum ueritatem inhabitaculi, qui uidelicet in Aaron magis decorabatur, atq; sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut ungentum super caput principalem intellectum irrigans, & usq; ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionis æternã uitam promisit dominus. Huius igitur prophetícæ uaticinationis meritum amplectentes, præsentem fraternam syllabam exposuimus, nostra propter charitatem minime quærentes, aut quæsituri: nõ enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo, secundum uulgarem fabulam, excutere palum. Absit, non sunt nostra ista, hęc enim auertat diuinitas. Iusto iudicio dei plerunq; datur peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritus

Accusandi, sunt in integrum restituenda.

Matth. 5

Esa. 51

Psal. 43

Prou. 12

Ioan. 13.

ritu dei iuuantur & aguntur, fiant per laborem exercitia clariores, ipsis tamen qui eos persequuntur, atq; detrahunt, erit proculdubio, uæ uæ uæ illis qui detrahunt seruis dei, quia detractio eorum ad eum pertinet, cuius ministerium agunt & uice funguntur. Oramus autem, ostium circunstantiæ, qui neminem perire, aut labijs suis pollui uolumus, eorum moribus imponi,& uerbum minime nociuum conci pere, nec ore proferre. Vnde & dominus per prophetam loquitur, dicens: Dixi custodiam uias meas ut non delinquam in lingua mea. Dominus omnipotens,& huius unigenitus filius,& saluator noster Iesus Christus, hoc uobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus, quibuscunq; tribulationum molestijs laborantibus, uiribus quibus potestis succurratis,& eorum, ut dignum est, iniurias, uestras æstimetis, maximum adminiculum eis uerbis & factis præbeatis, ut eius discipuli inueniamini ueri, qui fratres ut se, omnibus diligere præcepit. Ordinationes uero presbyterorũ & leuitarum tempore congruo,& multis coram astantibus solenniter agite,& probabiles ac doctos uiros ad hoc opus constituite, ut de eorum societate & adiumento plurimum gaudeatis. Ponite indesinenter corda uestra in uirtute dei,& enarrate hęc & cætera diuina uerba in progenies alteras, quoniam hic est deus noster in æternum,& ipse reget nos in secula. DATA VIII. CAL. NOVEMB. Saturnino & Gallicano CC.

Psal. 38

IN EPISTOLAM VRBANI ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

IN hunc usque diem fuere Christianis inter se omnia communia, eo modo quem Acta apostolorum præscribũt, nempe ut uendentes agros ac possessiones, id precij quod ex rebus diuenditis cõflauerant, pro se quisque in medium proferret, ne esset uspiam gentium quod cogitationes Christo per omnia destinatas auerteret. Ausus est Vrbanus, quàm feliciter ipse uiderit, nonnihil immutare hic, id tamen quod existimauit bono futurum Christianis, & non precium agrorum in cõmunem usum, ut solitum est fieri, deferri, sed agros ipsos satius putat incorporari, hoc enim uerbo utar, ecclesijs, ut nõ solum diurnos ex his caperent fructus, sed & contra ingruentem rerum penuriã, quod fortè poterat accidere, essent annuo prouentu securi. Episcopos autem tanquam patresfamiliãs constituerunt, qui diuiderent ea quæ annuò prouenirent pro cuiusque usu. Hic, ut opinor, non est difficile coniectatu, quã factum fuerit ut sensim ueteri obliterato more, omnia illa apud paucos quosdam subsederint, atque eiusmodi plerunque ad quos si recte ageretur omnia, ne quidem eorum minima portio peruenire debebat. Apparet & hic, nisi fallor, ratio, qua spes fiat posse quædam longe lateq; à ueteri instituto delapsa, reuocari ad frugem.

VRBANI EPISTOLA DE RERVM COMMVNIONE.

VRBANVS episcopus, omnibus Christianis in sanctificatione spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Christi, salutem. Decet omnes Christianos, charissimi, ut eum imitẽtur cuius nomen sortiti sunt. Quid prodest, fratres mei, ait Apostolos Iacobus, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumpturi simus: in multis enim offendimus omnes. Qui sapiens & disciplinatus est inter uos, ostendat ex bona cõuersatione operã suam in mansuetudine sapientię. Scimus uos nõ ignorare quia hactenus uita cõmunis inter bonos Christianos uiguit,& adhuc gratia dei uiget,& maxime inter eos qui in sorte dei sunt electi, id est clericos, sicut in actibus legit apostolorum: Multitudinis autẽ credentiũ erat cor & anima una, nec quisquã eorum quę possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia,& uirtute

Iac. 3.

Act. 4.

magna reddebant apostoli testimoniũ resurrectionis Iesu Christi domini, & gratia magna erat in omnibus illis. Neq; enim quisquã egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorũ aut domorum erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendebant, & ponebant ante pedes apostolorũ. Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat. Ioses autem qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum, filius consolationis, Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, uẽdidit illum, & attulit precium, & posuit ante pedes apostoli, & reliqua. Videntes autem sacerdotes summi, & alij, atq; leuitæ, & reliqui cõfideles, plus utilitatis posse afferre, si hęreditates & agros quos uendebant, ecclesijs, quibus præsidebant episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora possent ministrare fidelibus, cõmunem uitam ducentibus, quàm ex precio ipsorũ, cœperunt prædia & agros, quos uendere solebant, matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum uiuere. Ipsæ uero res in ditione singularũ parheciarum episcoporũ, qui locum tenent apostolorum, erant & sunt usq; adhuc, & futuris semper debent esse tẽporibus. E quibus episcopi & fideles dispensatores eorũ, omnibus cõmunem uitam degere uolentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia domino offerũtur. Non ergo debent in alijs usibus q̃ ecclesiasticis, & prædictorũ Christianorũ fratrũ, uel indigentium cõuerti, quia uota sunt fidelium, & precia peccatorũ, ac patrimonia pauperũ, atq; ad prædictũ opus explendum domino tradita. Si quis autem, quod absit, secus egerit, uideat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, ut reus sacrilegij efficiatur, sicut illi fuerunt, qui precia prędictarũ rerũ fraudabant, de quibus legitur in Apostolorũ actibus: Vir autem quidã nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, uendidit agrum & fraudauit de precio agri, conscia uxore sua, & afferens partem quandã, ad pedes Apostolorũ posuit. Dixit autem Petrus Ananię: Cur tentauit satanas cor tuum mentiri spiritui sancto, & fraudare de precio agri? Nonne manens tibi manebat, & uenundatũ in tua erat potestate? nõ es mentitus hominibus, sed deo. Audiens autem Ananias hæc uerba, cecidit & expirauit, & factus est timor magnus in omnes qui audierant. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt. Factum est quasi horarũ trium spacium, & uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introiuit. Respõdit autem ei Petrus: Dic mihi, si tanti agrum uẽdidistis? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autẽ ad eam: Quid utiq; cõuenit uobis tentare spiritũ domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt uirum tuum ad ostium, & efferent te. Cõfestim cecidit ante pedes eius & expirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerũt illam mortuam, & extulerunt ad uirũ suum. Et factus est timor magnus in uniuersam ecclesiã, & in omnes qui audiebant hęc. Hæc fratres ualde cauenda sunt & timenda, quia res ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut cõmunes, & domino oblatæ, cum summo timore non in alios quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegij reatũ incurrant, qui eas inde abstrahunt quò traditæ sunt, ne pœnam & mortem Ananiæ & Saphiræ incurrant. Et quod peius est, anathema maranatha fiant, & si non corpore ut Ananias & Saphira, qui mortui ceciderunt, anima tamen quæ potior est corpore, mortua & alienata à cõsortio fidelium cadat, & in profundũ barathri labatur. Vnde attendẽdum est omnibus, & fideliter custodiendum, & illius usurpationis cõtumelia depellenda, ne prędia usibus decretorum cœlestium dicata, à quibusquã inruẽtibus uexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis sacrimoniã, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & infernali carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis uratur: quoniã iuxta Apostolum, tradere oportet huiusmodi hominẽ satanæ, ut spiritus saluus sit in die domini. Memoratis ergo augmentationi-

Episcopi dispensatores erant rerũ cõmunium.

Res ecclesiarũ quò debeant insumi.

Act. 5

1. Cor. 5

tationibus ac cultibus, in tantum ecclesiæ, quibus episcopi præsident, domino adminiculante creuerunt, & in tantis maxima pars earum abundat rebus, ut nullus sit in eis cõmunem uitam agens indigẽs, sed omnia necessaria ab Episcopo, suisq; ministris percipit. Ideo si aliquis extiterit, modernis aut futuris tẽporibus, qui hoc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur de sede episcopi. Quod autẽ sedes in episcoporum ecclesijs excelsæ constitutæ & præparatę inueniuntur in throno, speculationem & potestatem iudicandi & soluendi atq; ligandi, à domino sibi data materiem docent. Vnde ipse saluator in euangelio ait: Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et alibi: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Ideo ista prætulimus charissimi, ut intelligatis potestatem episcoporũ uestrorũ, in eisq; dominum ueneremini, & eos ut animas uestras diligatis: & quibus illi non cõmunicant, non cõmunicetis: & quos eiecerint, non recipiatis. Valde enim timenda est sententia episcopi, licet iniuste liget aliquem, quod tamen summopere præuidere debet. Vos autem hortantes monemus omnes qui christianitatẽ suscepistis, & à Christo uocabulum christianũ suscepistis, ne in aliquo christianitatẽ uestram irritam faciatis, sed desponsionẽ, quam domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inueniamini. Et quicunq; uestrũm cõmunem uitam susceptam habet, & uouit se nihil proprium habere, uideat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi adquirat: quoniam satius est non uouere, quàm uotum prout melius potest, non perficere: grauius enim puniuntur, qui uotum fecerunt, aut fidem perceperunt, & uotum non perfecerunt, aut male uitam finierunt, quàm illi qui sine uoto aut fide mortui sunt, & tamen bona egerunt opera. Ad hoc enim sensum rationabilem naturæ munere & secundum natiuitatis reparationem suscepimus, ut secundum Apostolum, magis quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram, quia sapientia huius mundi, stultitia est apud deum. Quid autem suadet, charissimi, sapientia huius seculi, nisi nocitura quęrere, & amare peritura, negligere salutaria, pro nihilo reputare perpetua? Cupiditatem commendat, de qua dicitur, radix omnium malorum est cupiditas, quæ in primis hoc malum habet, quod dum ingerit transitoria, abscondit æterna, & dum foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit, & dum aliena quærit, sectatori suo semetipsum reddit alienum. Ecce quid suadet seculi sapientia? uiuere in delitijs. Vnde dicitur: Vidua quæ in delitijs est, uiuẽs mortua est. Suadet ergo mollissimis suauitatibus, peccatis, uitijs, & flammis nutrire carnẽ, cibi & uini intemperantia animam premere, ac uitam spiritus intercludere, & contra se hosti suo de se gladium ministrare. Ecce quid suadet seculi sapientia? ut qui boni facti sunt, mali esse malint, & per errorem mentis, fieri etiam studeant peccatores, & non cogitant illam terribilem dei uocem, cum exurentur peccatores sicut fœnum. Omnes enim fideles per manus impositionem episcoporum, spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inueniantur. De spiritu sancto accipimus ut spirituales efficiamur, quia animalis homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus dei, quia cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, ad cõstantiam dilatatur. De spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum malumq; discernere, iusta diligere, iniusta respuere, ut malitiæ ac superbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diuersis illecebris, & fœdis indignisq; cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accipimus, ut amore & gloriæ ardore succensi, erigere è terrenis mentem ad superna & diuina ualeamus. DATA NONIS SEPTEMB. Antonio & Alexandro VV. CC. COSS.

Episcoporũ sedes quia altiores sunt, admoneãt eos speculæ.

Votũ pauperta tis hinc habet à presbyteris ortã ginem.

Ad Coloss. 3

Sapiẽtia carnis.

1. Tim. 5.

IN EPISTOLAM PONTIANI ARGVMENTVM PER IOAN. SICHARDVM.

PAcis commoda enumerat in hac epistola Pontianus, atq; ad eam nos summo studio hortatur, eò quod angelorum hanc fuisse uocem in sacris legamus, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, ut quam Christus uoluerit nobis unicè cõmendatam. Præterea de officio episcopi in fine pauca quædam dicit, quæ abunde declarant, quàm sint alia ingressi uia ueteres illi & germani pontifices, atq; nostri.

PONTIANI EPISTOLA CATHOLICA.

PONTIANVS sanctæ & uniuersalis ecclesiæ episcopus, omnibus recte deum colentibus, & diuinum cultum amantibus, salutem. Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Hæc uerba, charissimi, non hominum sunt, sed angelorum, & non humano sensu excogitata, sed ab angelis in ortu saluatoris adnunciata. Quibus indubitanter ab omnibus intelligi potest, quod non malæ uoluntatis, sed hominibus bonæ, pax sit à domino data. Vnde & dominus per prophetã loquitur, dicẽs: Quàm bonus deus Israël, his qui recto sunt corde. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia æmulatus sum contra iniquos pacem impiorum uidens. De bonis uero ipsa per se ueritas ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Mundi enim non sunt corde, qui mala cogitant, aut nociua aduersus fratres suos, quia nihil mali uult qui fidelis est. Fidelis ergo homo magis amat audire quæ oportet, quàm dicere quæ non oportet. Et si quis fidelis est, uideat ne male loquatur, aut cuiquam insidias ponat. In hoc ergo discernuntur filij dei, & filij diaboli: filij nanq; dei, semper cogitant & agere contendunt quæ dei sunt, & fratres indesinenter adiuuant, & nulli nocere uolunt: & filij diaboli econtra mala & nociua semper meditantur, quia opera eorum mala sunt. De quibus loquitur dominus per Hieremiam prophetam, dicens: Loquere iudicia mea cum eis super omni malitia eorum, propterea iudicio adhuc uobiscũ, ait dominus, & cum filijs uestris disceptabo. Ecce ego fingo contra uos malum, & cogito contra uos cogitationem. Hæc, fratres, ualde sunt timenda, & ab omnibus cauenda, quoniam super quem iudicium dei ceciderit, non exiet impunitus. Et ideo unusquisq; præuideat, ne hoc machinetur aut agat in fratrem, quod ipse pati noluerit, & nec in suspicionem ueniat homo fidelis, ut dicat aut faciat ea quę pati nõ uult. Vnde suspectos aut inimicos, aut facile litigantes, & eos qui non sunt bonæ conuersationis, aut quorum uita est accusabilis, & qui rectam non tenent & docent fidem accusatores, & antecessores nostri apostolica repulerunt autoritate, & nos submouemus, atq; temporibus futuris excludimus, ne libenter labi possint, quos nos tenere & saluare debebus, ne, quod absit, prædictum dei iudicium, non tantum super utrosq; ueniat, sed nos eorum uitio, quod deus auertat, pereamus. Scriptum est enim: Rectorem te posuerunt, curam illorum habe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratię accipias coronam, & dignationem consequaris correctionis: uerbum enim nequam immutabit cor, ex quo quatuor partes oriuntur, bonum & malum, uita & mors, & dominatrix est assidua lingua. Pro talibus prædicti uitandi admodum sunt, & priusquam prędictæ enucleatim examinentur opiniones, & ab eis alieni inueniantur, non sunt suscipiendi: quoniam sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate; beneplacitum est domino recedere ab omni iniquitate,

Luc. 2.
Psal. 72
Matth. 5
Hier. 18
Eccl. 32

tate, & laudatio, recedere ab iniustitia. Quoniam scriptum est: Dilige proximum, & coniunge fidem cum illo, quoniam si denudaueris absconsa illius, non prosequêris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit auem de manu sua, sic qui dereliquisti proximum tuum, & non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longe abest: effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam uulnerata est anima illius. Vltra eum non poteris collígare, & maledicta est cõcordatio. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infidelis. Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abijciet. In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur. Nouissime autem peruertet os suum, & in uerbis tuis dabit scandalum. Multa audiui, & non coæquaui ei, & dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadit, & plaga dolosi diuidet uulnera. Qui fodit foueam, decidet in illam: & qui statuit lapidem proximo, offendit in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur, & non agnoscet unde adueniat illi. Illusio & improperium superborum & uindicta, sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt, qui oblectantur casu iustorum: dolor autem cõsumet illos antequam moriantur. Ira & furor utraq; execrabilia, & uir peccator continens erit illorum. Qui uindicari uult, à deo inueniet uindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tũc deprecanti tibi peccata soluẽtur. Homo homini seruat iram, & à deo quærit medelam? In hominẽ similem sibi non habet misericordiã, & de peccatis suis deprecatur altissimum? Ipse dum caro sit, seruat iram, & propitiationem petit à domino? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari, tabitudo enim & mors imminent in mandatis. Memorare timorem domini, & non irascaris proximo. Memorare testamenti altissimi, & despice ignorantiam proximi. Abstine te à lite, & minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, & uir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Secundum enim ligna syluæ, sic ignis exardescet, & secundum uirtutem eius hominis iracundia illius erit, & secundũ substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem, & lingua testificans adducet mortem. Si sufflaueris quasi ignis exardebit, & si spueris super illam extinguetur, & utraq; ex ore proficiscunt. Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates munitas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum cõcidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres † uiratas eiecit, & priuauit illas de laboribus suis. Qui respicit illam nõ habebit requiem, nec habebit cum quo requiescat. Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quomodo qui interierit per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, & qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non adtraxit iugum eius, & uinculis illius non est ligatus, iugum enim illius iugum ferreũ. Quia & uinculum illius uinculum æreum est, mors illius mors nequissima, & utilis potius infernus quàm illa. Perseuerantia illius nõ permanebit, sed obtinebit uias iniustorũ, & flamma sua nõ comburet iustos. Qui derelinquunt deum incidunt in illã, & exardescet in illis, & nõ extinguetur, & immittet in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguã nequã, & ori tuo fac ostia, & seras auribus tuis. Aurum tuum & argentũ confla, & uerbis tuis facito stateră, & frenos ori tuo rectos, & adtende ne fortè labaris in lingua tua, & cadas in cõspectu inimicorũ insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortẽ. Nõ tardes cõuerti ad dominũ, & ne differas de die in diem. Subito enim ueniet ira illius, & in tempore uindictæ

Eccl. 27
Eccl. 27
Eccl. 28
† unitas

disperdet te. Noli anxius esse in diuitijs iniustis, nihil enim proderũt tibi in die obductionis & uindictę. Non uentiles te in omnem uentum, & non eas in omni uia, sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in uia dei, & in ueritate sensus tui & scientia, & prosequatur te uerbum pacis & iustitiæ. Esto mansuetus ad audiendum uerbum ut intelligas, & cum sapientia fer responsum uerum. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in uerbo indisciplinato & confundaris. Honor & gloria in sermone sensati, lingua imprudentis subuersio ipsius. Non appelleris susurro, & in lingua tua ne capiaris, & confundaris, super furem enim cõfusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem. Susurratori autem odium & inimicitia & contumelia, iustifica pusillum & magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo, improperium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. Non extollas te in cogitatione animę tuę sicut taurus, ne fortè elidatur uirtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris uelut lignum aridum in heremo. Anima enim nequam disperdet qui se habet, & in gaudium inimici dat illum, & deducet in sortem impiorum. Charissimi oppressos erigere studete, & necesse habentes semper adiuuate: quoniam qui fratrem de relictum leuat, adprehensum eripit, mœrentem consolatur, ab illo sibi retribui cui totum impendit non dubitet, qui ait: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Talia enim bona indesinenter agere studete, ut fructum boni operis & hic cõsequamini, & in futuro gratia dei perfruamini, quatenus cœlestis regni aulam introire postea mereamini. DATA III. CALEND. MAII. Seuero & Quintiano VV. CC. COSS.

Matth.25

IN EPISTOLAM ANTHERI ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

QVemadmodum non est situm in cuiusuis potestate, seipsum ultro pro episcopo ecclesijs obtrudere, ita si uitæ sanctimonia, & eruditionis adiumento, demum populi suffragijs fretus quispiam in hunc locum peruenerit, non poterit, integra saltem officij semel suscepti dignitate, statione ista ueluti deserta, miseriarum satietate, aut amplioris spe lucri solicitatus, aliam ambire ecclesiam, nisi id publicæ utilitatis ratio, cui tota episcopum uita seruire debet, suaserit. Quæ si adparet re ipsa, non modo abitionis donanda erit gratia, uerumetiam nostrapte uoluntate, si uel nullum ea de re præceptum Euangelij extaret, id agere debemus, ut si nos feliciter iam in Christo adoleuerimus, eum per quem in tantum profecerimus cognitionis profectum, æquissimis animis patiamur aliò etiã properare, præsertim si causa sit, cur speremus non uulgare alibi posse eius præsentiam operæprecium adferre: id est, ubi messis iamiam matureſcens, plena spei, manus operariorum nobis desiderare uideatur. Eius enim rei nõ desunt exempla grauissimorum uirorum, quandoquidem inter omnes constat, D. Petrum ab Antiochia, cui annis aliquot egregiam operam nauasse uisus sibi erat, Romam iter instituisse, ut & isthic pro uirili sua aliquot Christo lucrifaceret.

ANTHERI EPISTOLA DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.

CHARISSIMIS atq; dilectissimis fratribus per Beticam atq; Toletanã prouincias episcopis constitutis, Antherus episcopus in domino salutem. Optarem fratres charissimi semper dilectionis & pacis uestrę syncerritatis gaudia audire, ita ut uicissim discurrentibus literis, sospitatis indicia iuuarentur, si quietos nos ab incursione sua uacare hostis antiquus

quus sineret, qui ab initio mendax, inimicus ueritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se antè decepit, pudicitię aduersarius, luxuriæ magister, crudelitate pasci tur, abstinentia punitur, odit ieiunia, ministris suis prædicantibus quædam superflua, spem non habentibus de futuris, apostoli sententia repercussit dicentis: Manducemus & bibemus, cras enim moriemur. O infelix audacia, ô desperata mentis astutia: ipse enim hortatur odia, & fugat concordiam, & quia facile ad deteriorem partem mens humana transducitur, uolens magis per spatiosam uiam ambulare, quàm arctæ uiæ iter cum labore trãsire. Quare fratres dilectissimi sectamini meliora, & semper relinquite deteriora, bona agite, mala uitate, ut ueri discipuli domini esse inueniamini. De mutatione ergo episcoporum, unde sanctam sedem apostolicam consulere uoluistis, scitote eam communi utilitate atq; necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam, aut dominatione. Petrus sanctus magister & princeps apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoq; de quadam parua ciuitate, apostolica autoritate mutatus est Alexandriam. Similiter Felix, de ciuitate qua ordinatus erat, electione ciuium propter doctrinam & bonam uitam quam habebat, communi episcoporum & reliquorum sacerdotum, ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de ciuitate ad ciuitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam aut necessitate, aliorũ hortatu & consilio potiorũ transfertur. Nec transfertur de minore ciuitate ad maiorem, qui hoc non ambitu, non propria uolũtate facit, sed aut ui à propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbe, sed humiliter ab alijs translatus & intronizatus est, quia homo uidet in facie, deus autem in corde. Et dominus per prophetam loquitur, dicens: Dominus scit cogitationes hominum quoniam uanæ sunt. Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem, nec mutat ciuitatem qui non sua sponte, sed consilio & electione aliorum mutatur. Non igitur migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causa, non sponte dimittit suam, sed, ut iam dictum est, aut pulsus à sua, aut necessitate coactus, aut electione & exhortatione sacerdotum & populorũ translatus est ad alteram ciuitatẽ. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos, & reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas aut necessitas expoposcerit, supradicto modo & mutare & intronizare potestatẽ habent. Hæc ut petistis, licet uobis ignota non sint, tenenda mandamus, ne ignorantia quorundã, meliora & utiliora uitentur, & inutiliora sumantur, sicut in sancto legitur euãgelio: Vę uobis hypocritæ, quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes: quod licet, non licet, & quod non licet, licet. Quemadmodum lamnes & Mambres restiterunt ueritati, sic & illi mente reprobi, amantes uoluptatem magis quàm deum, quod licet, docent non licere, id est, episcopos migrare de ciuitate ad ciuitatem, prætaxato modo. Et quod nõ licet, docent licere, id est, misericordiã nõ agere circa patientes necessitatẽ. Hoc tamẽ eis qui episcopũ non habent, & sacro episcopali indigent ministerio, episcopum de alia ciuitate causa utilitatis uel necessitatis tribui, & episcopis persequutionem aut necessitatẽ patientibus, aliam cathedram dari negant. Contradicunt etiam sacræ scripturæ, quæ testatur malle deum misericordiam quàm sacrificium. Quę precor maior charitas, aut efficacius pietatis patrocinium potest à quoquam alicui impendi, quàm si ignorantiæ tenebras, & imperitiæ caliginem ab eo repellat? Demum ueræ fidei doctrinæ pabulo, non ad quæstum, non ad ambitionẽ, sed eruditionẽ, & ędificationẽ reficere: tanquam enim mutilo fit manus, claudo pes, oculus cæco, qui ignorantiæ tenebris obuoluto sapientiæ & scientiæ th esaurũ reserat & candorem lucis, uiasq;

1.Cor.15

Petrus ab Antiochia translatus Romam est.

Psal.93

Matth.23

Exod.7

2.Tim.3

Osee.6

Osee.6 domini benigniter aperit. Vtrisq; autem, id est, & famem uerbi dei patientibus, & episcopis necessitatem quandam, quando intronizantur propter communem utilitatem in alijs ciuitatibus, nō modica exhibetur misericordia. Negantes autem hæc, licet speciem habeant pietatis, uirtutem tamen eius abnegant: nam in tali negocio prosapiam non agnosco. Si quis tamen sapientium, quos insipientibus tempestatis huius procella sociauit, alijs autoribus facinorum participatione maculatur, splendor sapientis etsi communionem criminum incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Alia est quoq; causa utilitatis & necessitatis, & alia auaritiæ & præsumptionis, atq; propriæ uoluntatis. Auaritiæ uero causa & præsumptionis, aut propriæ uoluntatis, non sunt Episcopi mutandi de ciuitate ad ciuitatem, sed utilitatis & necessitatis, quod nemo negat, nisi hi de quibus scriptū est:

Esa.28 Errauerunt in ebrietate, nescierunt uidentem, ignorauerunt iudiciū. Nam si enarrando conarer aperire transacta, offenderem uobis nullum euenire solatium de comparatione factorum. Cęterum state charissimi super uias, aspicientes & interrogantes de semitis domini antiquis, & uidete quæ est bona & recta uia, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus uestris. Et ut iuxta Sapientiæ uocem dicamus:

Sap.1 Diligite iustitiam qui iudicatis terram, sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Peruersæ enim cogitationes separāt à deo, probata autem uirtus corripit insipientes. Quoniam in maliuolam animam nō introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labijs suis, quoniam renum illius testis est deus, & cordis eius scrutator est uerus, & linguæ illius auditor. Quoniam spiritus domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet uocis. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad dominum ueniet, & ad correptionem iniquitates illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo uos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ. Quoniam sermo obscurus in uacuum non ibit, os quod mentitur occîdit animam. Nolite zelare morte m in errore uitæ uestræ, neq; adquiratis perditionem in operibus manuum uestrarum. Quoniam deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorū. Creauit enim ut essent omnia, & sanabiles esse uoluit nationes orbem terrarum. Non est in illis medicamentū exterminij, nec inferorū regnum in terra uigentiū. Iustitia perpetua est & immortalis, iniustitia autem mortis est adquisitio. Impij autē manibus & uerbis accersierūt illam, & æstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam, quoniā morte digni sunt qui sunt ex parte illius. Dixerunt enim apud se cogitantes nō recte: Exiguum & cum tædio est tempus uitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus. Quoniā fumus & flatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum. Quia extinctum est uelut cinis cor nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër. Et transibit uita nostra tanquam uestigium nubis, & sicut nebula diffundetur, quæ fugata est à radijs solis, & à calore illius aggrauata. Et nominis nostri obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo reuertetur. Propterea uniq; cuique prævidendum est, ut summopere se custodiat, & utiliter se prævideat, ut cum

cum dies extrema finisq; uitæ aduenerit, non transeat ad perpetuam mortem, sed ad uitam æternam. Facta enim subditorū iudicantur à nobis, nostra uero iudicantur à deo. Ex merito uero plebis nonnunquā episcopi deprauantur, quatenus pro cliuius cadant qui sequunt: capite languescente cętera corporis membra inficiuntur. Deteriores sunt qui uitam moresq; bonorum corrumpūt, his qui substantias aliorum, prædiaq; diripiunt. Caueat unusquisq;, ne aut linguam, aut aures habeat prurientes: id est, ne aut ipse alijs detrahat, aut alios audiat detrahentes. Sedens, inquit, aduersus fratrem tuum loquebaris detrahēdo, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, &c. Parcant singuli detractioni linguæ, custodientes sermones suos, & sciant, quia cuncta quæ de alijs loquuntur, sua sentētia iudicabuntur. Nemo inuito auditori libenter refert officij ministeriū: sic dilectissimi non solū oculos castos seruate, sed & linguam: nec quid in cuiusquā domo agatur, alia domus per eos unquā nouerit. Habeant omnes simplicitatē columbæ, ne cui machinentur dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplantentur insidijs. Non est humilitatis meæ neq; mensuræ iudicare de cæteris, & de ministris ecclesiarum siniſtrum quippiam dicere. Absit ut quicquam siniſtrum de his loquar, qui apostolico gradu succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes, ante iudicij deum iudicant. Veteri quidem lege habetur, quicunq; sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta contentum expiabant cruorem. Nūc uero inobediens spirituali animaduersione truncatur, aut eiectus de ecclesia rabido dæmonum ore decerpitur. Oportet enim, ut qui deum hæreditate possident, absq; ullo impedimento seculi deo seruiant, ut dicere possint: Dominus pars hæreditatis meæ. O quàm bonus & suauis est spiritus tuus domine in omnibus: parcis autem omnibus, quoniam tua sunt domine qui animas amas. Ideoq; hos qui errant ex partibus corripis, & de quibus peccant admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te domine. Tu autem deus noster suauis & uerus es, patiens, & in misericordia disponens omnia: etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, & si non peccauerimus, scimus quoniam apud te sumus computati: spiritus timentium deum quærentur ab eo, & in respectu illius benedicentur. Quapropter fratres charissimi omnis sermo malus ex ore uestro nō procedat, sed si quis bonus est spectet ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristari spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & deus in Christo donauit uobis. Estote ergo imitatores dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit uos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia non nominetur in uobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quę ad rem nō pertinet, sed magis gratiarū actio. Hoc enim scitote, intelligētes quod omnis fornicator aut immundus aut auarus, quod est idolorū seruitus, nō habet hæreditatē in regno Christi & dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis, propterea enim uenit ira dei in filios diffidētię: nolite ergo effici participes eorū. Eratis enim aliquando tenebrę, nūc autē lux in domino, ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate, probantes quid sit beneplacitū deo. Et nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebrarū, magis autē redarguite. Quę enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est dicere. Omnia autē quę arguūtur à lumine manifestantur, omne enim quod manifestatur lumē est: propter quod dicit, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaq; fratres, quomodo caute

Psal.49
Deut.17
Sap.12
Sap.15

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambuletis,non quaſi inſipientes,ſed ut ſapientes,redimentes tempus,quoniã dies mali ſunt.Propterea nolite fieri imprudentes,ſed intelligẽtes quæ ſit uoluntas dei: & nolite inebriari uino,in quo eſt luxuria: ſed implemini ſpiritu ſancto loquentes uobiſmetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti,deo & patri,ſubiecti inuicem in timore Chriſti. State itaq; fratres, & tenete traditiones apoſtolorum & apoſtolicæ ſedis, ut dominus noſter Ieſus Chriſtus,& pater noſter,qui dilexit nos,& dedit conſolationem ęternam,& ſpem bonam in gratia, exhortetur corda ueſtra, & confirmet in omni opere & in ſermone bono. De cætero fratres orate pro nobis ut ſermo domini currat & clarificetur ſicut & apud uos,& ut liberemur ab importunis & malis hominibus.Non enim omnium eſt fides. Fidelis autem deus eſt qui confirmabit uos, & cuſtodiet à malo.Quapropter ponite indeſinenter corda ueſtra in uirtute dei,& reſiſtite ſemper malis,& enarrate hæc,iuxta uocem prophetæ,in progenies alteras,quoniã hic eſt deus deus noſter in æternum,& ipſe reget nos in ſecula. Vnde uos qui in ſeculo à domino eſtis conſtituti,cõprimere & repellere eos ſummopere debetis,qui fratribus inſidias præparant, aut in eos ſeditiones, & ſcandala excitant: facile eſt enim hominem uerbo fallere,ſed non dominum.Ideo hos reprehendere,& ab his uos auertere oportet, quatenus extincta funditus huiuſmodi caligine luciſer eis reſplendeat,& lætitia oriatur in cordibus eorum. Confidimus autem de uobis fratres in domino,quoniam quæ præcepimus & facitis,& facietis. Quanto enim beneficia ueſtra his amplius exhibetis,tanto maiorem uiciſſitudinem ab omnipotenti deo, cui ſeruiunt, expectatis. Omnipotens deus ſua uos protectione cuſtodiat, honoremq; præceptumq; ſeruare concedat, & gloria honorq; deo patri omnipotenti, eiusq; unigenito filio ſaluatori noſtro cum ſpiritu ſancto ſit in ſecula ſeculorum, Amen.

IN EVTYCHIANI EPISTOLAM ARGVMENTVM PER IO. SICHARDVM.

SVb Felice pontifice Rom. quem mox Eutychianus ſequutus eſt, orta eſt Manichæorum hæreſis, neſcio fierio ſtior ne an ſtultior, de Chriſti diuinitate, & permixtione naturarum. In quos quantum eſt perexiguum illud uitæ tempus, quo præfuit Rom. eccleſiæ licitum, quod fuit, Euſebio teſte, X. menſium, ita Eutychianus inuehitur, ut appareat hoc quæſiſſe maxime optimum uirum, ut abiecto priſtino errore, ad unitatẽ eccleſiæ reuerterentur, docens quædam à Chriſto ita dici, ut uideantur magis noſtro captui adcommodata, quàm quod ratio diuinitatis in eo ita tulerit.

EVTYCHIANI EPISTOLA BETICAE PROVINCIAE SCRIPTA.

CHARISSIMIS fratribus Ioanni, & omnibus per Beticam prouinciam conſtitutis epiſcopis, Eutychianus epiſcopus in domino ſalutem. Hortatur nos æquitas poſtulationis, deſiderio fraternitatis tuæ gratanter annuere, & conſultis tuis breuiter reſpondere. Et quamuis dilectionem tuam ſciam ad omne opus bonum eſſe deuotam, ut tamen efficacior fiat, ad illos qui ſanè non ſapiunt, qualiter de incarnatione ſaluatoris noſtri informare debeas, mandamus. Vnum igitur hoc immobile fundamentum, una hęc ſe-
Matth.16 lix fidei petra Petri ore cõfeſſa, Tu es, inquit Chriſtus, filius dei uiui, tanta in ſe argumenta ſuſtinens ueritatis, quantæ peruerſitatis queſtiones & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Iam in cæteris diſpenſatio uoluntatis paternæ ſit erga partus & corpus,

corpus, poſtquam crux, mors, inferi, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſa, dei filius natus ex uirgine eſt & ſpiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua, dei uidelicet inumbrante uirtute, corporis ſibi initia conſeuit, & exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex uirgine, naturam in ſe carnis acciperet, per quam huius admixtionis ſocietatem, ſanctificatũ in eo uniuerſi generis humani corpus exiſteret. Et quemadmodum omnes in ipſo per id quod corporeum ſe uoluit conderentur, ita rurſum in omnes ipſe per id quod eius inuiſibile erat, †reformaret. Dei igitur imago inuiſibilis, pudorem humani exordij non recuſa- †referretur
uit,& per conceptionem,partum,uagitum,& cunas,omnesq; naturæ noſtræ contumelias tranſcurrit. Quid tandem dignum à nobis tanto dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis à deo ergo originis unus unigenitus deus, in corporis humani formam ſanctæ uirginis utero inſertus, adreſcit: qui omnia continet, intra quem,& per quẽ cuncta ſunt, humani partus lege profertur: ad cuius uocem archangeli tremunt, cœlum & terra,& omnia huius mundi reſoluuntur elementa. Vagitus infantię auditur. Qui inuiſibilis & incõprehenſibilis eſt,non uiſu,ſenſu,tactuq; moderandus, cunis eſt obuolutus. Hæc ſi quis indigna deo recolit, tanto ſe maioris officij obnoxium confitetur,quanto minus hæc dei conuenerũt maieſtati. Num ille indiguit homo effici, per quem homo factus eſt: ſed nos eguimus, ut deus caro fieret, & habitaret in nobis: id eſt, aſſumptione carnis, unus interna uniuerſæ carnis incoleret: humilitas eius noſtra nobilitas eſt: contumelia eius, honor noſter. Quod ille deus in carne conſiſtit, hoc nos uiciſſim in deum ex carne renouati: nam is planè uitam ſuam neſcit, qui Chriſtum Ieſum ut uerum deum, ita & uerum hominem ignorat: & eiuſdem periculi eſt, Ieſum Chriſtũ, uel ſpiritum ſanctũ deum, non credere, uel carnem noſtri corporis denegare. Omnis ergo qui Matth.10
cõfitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis. Hæc uerbum caro factum loquebatur, & homo Ieſus Chriſtus, dominus maieſtatis docebat. Mediator ipſe in ſe ad ſalutem eccleſiæ conſtitutus, & ipſo illo inter deum & hominem mediatoris ſacramento utrinq; unus exiſtens, ex unitis in idipſum naturis. Naturæ uero utriuſq; res eadem eſt, ita tamẽ ut neutra careret in utroq;, ne fortè deus eſſe, homo naſcendo deſineret, & homo rurſum deus manendo non eſſet. Hæc itaq; humanæ beatitudinis fides uera eſt, deum & hominem prædicare, uerbũ & carnem confiteri, neq; deum neſcire quod homo ſit, neq; carnem ignorare quod uerbum ſit. Natus igitur unigenitus deus ex uirgine homo, & ſecundũ plenitudinem temporũ in ſemetipſo profuturus in deum hominem, hunc per omnia euangelici ſermonis modum tenuit, ut ſe dei filium credi doceret, & hominis filium prędicaret & admoneret, loquens & gerens homo quæ dei ſunt, loquens & gerens deinde deus uniuerſa quæ hominis ſunt, ita tamẽ ut in ipſo illo utriuſq; generis ſermone, nũquam niſi cum ſignificatione & hominis loquutus & dei ſit. Hæc itaq; fallendi ſimplices atq; ignorantes, hæreticis occaſio eſt, ut quæ ab eo ſecundũ hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecundum diuinę naturæ infirmitatem mentiantur. Et quia unus idem eſt loquens omnia, quæ loquitur de ſemetipſo, omnia eum de diuinitate loquutum eſſe cõtendant. Nec ſanè negamus, totum illum, qui ei manet, naturæ ſuæ eſſe ſermonem. Sed ſi Ieſus Chriſtus, & homo & deus, & neq; cum homo ſit, tum primum deus, neq; tum cum & homo ſit & deus, tum non etiam deus, neq; per hominem in deo, nõ totus homo, totus deus unũ atq; idem eſt, neceſſe eſt dicatur eius ſacramentũ eſſe totius generis. Et cum in eo ſecundũ tempus diſcernis hominem à deo, dei tunc atq; hominis diſcerne ſermonem: & cum deum atq; hominem in tempore confiteris, dei atque hominis in tẽpore dicta dijudica. Cum uero ex homine & deo rurſum totius ho-

Humilitas Chriſti noſtra nobilitas eſt.

minis, totius iam dei tempora intelligis, si quidem illud ad demonstrationem temporis dictum est, tempori coaptato quæ dicta sunt, ut cum aliud sit ante hominem deus, aliud sit homo & deus, aliud sit post hominem & deum, totus homo & totus deus, non confundas temporibus & generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generũ, ac naturarũ, alium cum sacramento hominis necesse est sermonẽ fuisse nõ nato, alium adhuc morituro, alium etiã & non. Nostri igitur causa hæc omnia Iesus Christus gerens, & corporis nostri homo natus, secundũ consuetudinem naturæ nostræ loquutus est, non tamen omittens naturæ suæ esse quod deus est. Nam etsi in partu, & passione, & morte, naturæ nostræ rem peregerit, res tamen omnes uirtute naturæ suæ gessit. Vides ne ita deum & hominẽ prædicari, ut mors homini, deo uero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius sit qui mortuus est, & alius sit per quem mortuus resurgit. Spoliata enim carne Christus est mortuus, & rursum Christũ à mortuis excitans, idem Christus carne se exolians. Naturã dei in uirtute resurrectionis intellige, dispensationẽ hominis in morte agnosce. Et cum sint utraq; suis gesta naturis, unum tamẽ Christum Iesum eum memẽto esse, qui utrunq; est. Hæc igitur demonstranda à me paucis fuere, ut utriusq; naturæ formã tractari in domino Iesu Christo meminissemus: quia qui manẽs in forma dei, formã serui suscepit, ipse diuinitatem nequaquã amisit. Cæterum fra-
Eccl.5 tres hortamur uos, ut moneatis eos conuerti ad deum: unde scriptũ est: Fili nõ tardes conuerti ad dominũ, & ne differas de die in diem. Subitò enim ueniet ira illius, & in tempore uindictæ disperdet te. Noli anxius esse in diuitijs iniustis, nihil proderunt tibi in die obductionis & uindictæ. Non uentiles te in omnem uentum, & non eas in omni uia. Sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in uia dei, & in ueritate sensus tui & scientia, & prosequatur te uerbum pacis & iustitiæ. Esto mansuetus ad audiendũ uerbum dei, ut intelligas, & cum sapientia proferes responsum uerũ. Si est tibi intellectus responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in uerbo indisciplinato, & cõfundaris. Honor & gloria in sermone sensati, lingua imprudentis subuersio illius. Non appelleris susurro, & lingua tua capiaris & cõfundaris. Super furem enim est cõfusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem. Susurratori autem odiũ & inimicitia & contu-
Eccl.6 melia. Iustifica pusillũ, & magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo, improperiũ enim & contumeliã malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ uelut taurus, ne fortẽ elidatur uirtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris uelut lignũ aridum in eremo. Anima enim nequam disperdit qui se habet, & in gaudiũ inimici dat illum, & deducit in sortem impiorũ. Talibus uos exhortationibus fratres uicissim monete, & bona semper sectamini, malaq; uitate. Magnis enim studijs, secundũ beatum apostolũ, præcauendũ est, ne fides & disciplina domini blasphemetur, etsi illa nonnunquã sinenda sunt, quę si cęterorũ constet integritas, sola nocere non ualeant, illa tamen sunt magnopere præcauenda quę recipi sine manifesta decoloratione nõ possunt. Et si ea ipsa quę nullo detrimẽto aliquoties indulgenda creduntur, rerum temporumq; cogit intuitus, uel accelerata prouisionis respectus accusat, quanto magis illa nullatenus sunt mutilanda, quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas? Idcirco fratres ista prætulimus, ut hæ species quas non licet offerri super altare iuxta constitutionem Apostolorũ, eorumq; successorũ, ad domum sacerdotũ deferantur, & à sacerdotibus benedicantur, & per simplicẽ benedictionẽ benedicta demũ populis sumantur. Fabæ tantum & uuæ, & cætera quæ Apostoli constituerunt, super altare offerantur. Optamus igitur fratres charissimi, & totis omnipotentẽ dominũ precibus exoramus, ut dilectionem uestram in amoris sui constantiam faciat magis magisq;

gisq; feruescere, atq; in pace ecclesiæ in una uos concedat manere concordia. Admonemus etiam fraternitatem uestram, ut in commissis uobis animabus, solerter inuigiletis, animarumq; magis lucris, quàm cõmodis uitæ præsentis intendatis. In continendis uero ac in disponendis rebus ecclesiasticis diligentes custodes existatis, ut omni ex parte, susceptum uos condigne gessisse pastoris officium, uenturus iudex cum ad iudicandum uenerit, debeat approbare. Omnipotens autem deus sua uos protectione custodiat, honoremq; à domino uobis collatum, moribus seruare concedat, atq; cum multiplici fructu animas uobis cõmissas ad pascua æterna adducere, & sibi cõdigne repræsentare adiuuet, uosq; inter sanctos & electos suos collocare dignetur. DATA pridie idus Aprilis, Aureliano & Marcello VV. CC. COSS.

IN CONSTANTINI IMP. CONFESSIONEM ARGVMENTVM PER IOANNEM SICHARDVM.

SVperuacaneum est hic, post tot egregios rerum sacrarum scriptores, admonere cuiusmodi antiquitus fuerit confessio: tamen quod huius loci est, obiter uelut digito ostendam. Solebant enim & Imperatores palàm testari sententiam suam, id quod ex Euangelijs agere iubemur. Qui enim, inquit Christus, me confitebitur apud homines, & ego confitebor eum apud patrem meum, qui est in cœlis. Fiebant autem ab Imperatoribus maiore adparatu, ut quo longius illud emanaret, hoc essent plures qui non dubitarent huic fidei nomen dare, quam uidissent iam Imperatorem ipsum amplexum. Et quia in alijs tales ferè sumus, quales uidemus principes qui rebus præsunt, fecit hic quoq; illa de fide Christiana professio uulgo animum, ut esse principibus quam simillimi uellent, impunitate præsertim iam data, & præeunte ipso Imperatore. Ita passim in antiquis bibliothecis licet uidere confessiones Iustiniani, Carli Magni, & Friderici tertij, quibus tanquam signo dato, ad fidem Christianam uocarentur, quibus per principum tyrannidem hoc non satis tutò anteà licebat. Confessio. Carlus Magnus.

CONFESSIO CONSTANTINI IMPERATORIS.



IN NOMINE sanctæ & individuæ trinitatis, patris scilicet, & filij, & spiritussancti, Imperator Cæsar Flauius Constantinus, in Christo Iesu, uno ex eadem sancta trinitate, saluatore domino deo nostro, fidelis, mãsuetus, maximus, beneficus, Alamanicus, Goticus, Sarmaticus, Germanicus, Britãnicus, Hunnicus, pius, felix, uictor, ac triũphator semper augustus, Sanctissimos ac beatissimo patri patrum Syluestro urbis Romę episcopo, atq; omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usq; in finẽ seculi sessuri sunt pontificibus, necnon & omnibus Reueren. & deo amabilibus catholicis episcopis eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, per hanc nostrã Imperialem constitutionem subiectis, in uniuerso orbe terrarũ, nunc & in posterum cunctis retro temporibus constitutis, Gratia, pax, charitas, gaudiũ, longanimitas, misericordia à deo patre omnipotẽte, & Iesu Christo filio eius, & spiritu sancto cum omnibus uobis. Ea quæ saluator & redemptor noster dominus noster Iesus Christus altissimi patris filius, per suos sanctos apostolos Petrum & Paulũ, interueniente patre nostro Syluestro summo pontifice, mirabiliter dignatus est, liquida narratione per huius nostræ Imperialis institutionis paginam, ad indaginem omnium populorũ, in uniuerso orbe terrarũ, nostra studuit propagare mansuetissima serenitas. Primum quidem fidem nostram, quam à præfato beatissimo patre & oratore nostro Syluestro uniuersali pontifice edocti sumus, intima cordis confessione, ad instruendas omnium uestrũm mentes, proferentes, & ita demum misericordiã dei super nos diffu-

ſam annunciantes. Nos enim uos ſcire uolumus, ſicut per anteriorem noſtram ſacram pragmaticam iuſſionem ſignificauimus, nos à culturis idolorum, ſimulacris mutis & ſurdis, manufactis, diabolicis compoſitionibus, atq; ab omnibus ſatanæ pompis receſſiſſe, & ad integram Chriſtianorũ fidem, quæ eſt uera lux, & uita perpetua, peruenisse: credentes, ſuxta id quod nos idem almificus ſummus pater, & doctor noſter Sylueſter inſtruit pontifex, in deum patrem omnipotentẽ, factorem cœli & terræ, uiſibilium omniũ & inuiſibilium, & in Ieſum Chriſtum filium eius, unicum dominũ noſtrum, per quem omnia facta ſunt, & in ſpiritũ ſanctum dominum & uiuificatorẽ uniuerſæ creaturæ: hoc eſt, patrem, & filiũ, & ſpiritũ ſanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta, & plenitudo ſit diuinitatis, & unitas poteſtatis, pater deus, filius deus, & ſpiritus ſanctus deus, & tres unũ ſunt in Chriſto Ieſu: tres itaq; formæ, ſed una poteſtas. Nam deus ſemper ſapiens, edidit ex ſe per quod eſſent gignenda ſecula uerbum. Et quando eodem ſolo ſuæ ſapientiæ uerbo, uniuerſam ex nihilo formauit creaturam, cum eo erat, cuncta ſuo arcano componens myſterio. Igitur perfectis cœlorũ uirtutibus, & uniuerſis terræ materijs, pio ſapientiæ ſuæ nutu, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam primũ de limo terrę fingens hominem, hunc in paradiſo poſuit uoluptatis, quem antiquus ſerpens, & hoſtis inuidens diabolus, per amariſſimum ligni uetiti guſtum, exulem ab eiſdem effecit gaudijs, eoq; expulſo non deſinit ſua uenenoſa multis modis protelare iacula, aut à uia ueritatis humanũ abſtrahens genus, idolorum culturæ, uidelicet creaturæ & non creatori deſeruire ſuadeat, quatinus per hoc eos quos ſuis uoluerit irretire inſidijs, ſecum æterno afficiat cõcremandos ſupplicio. Sed deus noſter miſertus plaſmę ſuę, dirigens ſanctos ſuos prophetas, per quos lumen futuræ uitæ ad aduentũ uidelicet filij ſui domini dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti annuncians, miſit eundem filium ſuum unigenitũ, & ſapientiæ uerbũ, qui deſcendens de cœlis, propter noſtrã ſalutem, natus de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine, uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: non amiſit quod fuerat, ſed cœpit eſſe quod non erat. Deum perfectum, & hominẽ perfectum, ut deus, mirabilia perficiens, & ut homo, humanas paſſiones ſuſtinens: ita uerum hominẽ, & uerum deum, uerum hominẽ fuiſſe nullo modo ambigamus. Electiſq; XII. apoſtolis, miraculis coram eis & innumerabilis populi multitudine coruſcauit. Confitemur eundem dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & impleſſe legem & prophetas, paſſum, crucifixum ſecundũ ſcripturas, tertia die à mortuis reſurrexiſſe, aſſumptũ in cœlos, atq; ſedentem ad dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos, cuius imperij non erit finis. Hæc eſt enim fides noſtra orthodoxa, à beatiſſimo patre noſtro Sylueſtro ſummo pontifice nobis prolata. Exhortantes idcirco omnem populum, & diuerſas gentiũ nationes, hanc fidem tenere, colere, ac prædicare, & in ſanctę trinitatis nomine baptiſmi gratiam conſequi, & dominũ Ieſum Chriſtum ſaluatorẽ noſtrum, qui cum patre & ſpiritu ſancto per infinita uiuit & regnat ſecula, quem Sylueſter beatiſſimus noſter pontifex in uniuerſali prędicat, corde deuoto adorare. Ipſe enim dominus deus noſter miſertus mihi peccatori, miſit ſanctos ſuos apoſtolos ad uiſitandũ nos, & lumen ſui ſplendoris infulſit nobis, & abſtractum à tenebris, ad ueram lucem & agnitionem ueritatis me peruenire gratulamini. Nam dum ualida ſquallo-
ris lepra totam mei corporis inuaſiſſet carnem, & multorũ medicorum conuenientium cura adhiberetur, nec unius quidem promerui ſalutem. Ad hæc aduenerunt ſacerdotes Capitolij, dicentes mihi debere fieri fontem in Capitolio, & cõpleri hũe innocentium ſanguine calente, & in eo loco me poſſe mundari. Et ſecundum eorum dicta aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum uellent ſacrilegi paganorum ſacerdotes eos mactare, & ex eorum ſanguine fontem repleri, cernens ſerenitas noſtra lachrymas matrum eorum, illico exhorrui facinus, miſertuſq; eis, proprios

proprios illis reſtitui præcepimus filios ſuos, datisq; uehiculis, & donis conceſſis, gaudentes ad propria relaxauimus. Eadem igitur tranſacta die, nocturno nobis facto ſilentio, dum ſomni tẽpus aduenisſet, adſunt apoſtoli, ſanctus Petrus & Paulus, dicentes mihi: Quoniam flagitijs poſuiſti terminum, & effuſionem ſanguinis innocentis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto domino deo noſtro, dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergo monita noſtra, & fac quodcunq; indicamus tibi. Sylueſter epiſcopus ciuitatis ad montẽ Soracten perſequutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum ſuis clericis latebras fouet, hunc cum ad te adduxeris, ipſe tibi piſcinam pietatis oſtendat, in qua dum te tertio merſerit, omnis te ualitudo iſta deſerat lepræ: quod cum factum fuerit, hanc uiciſſitudinem tuo ſaluatori compenſa. Te autem ipſum in hac parte purifica, ut relicta omni ſuperſtitione idolorum, deum uiuum uerum, qui ſolus eſt & uerus, adores & excolas, & ad eius uoluntatem attingas. Exurgens igitur à ſomno protinus ſuxta id quod à ſanctis apoſtolis admonitus ſum peregi, aduocatoq; eodem præcipuo & magnifico patre, & illuminatore noſtro Sylueſtro, omnia à ſanctis apoſtolis mihi prędicta dixi uerba, percunctatiq; eum ſumus, qui iſti dij eſſent Petrus & Paulus. Ille uero ait, non eos deos uere dici, ſed apoſtolos ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Et rurſus interrogare cœpimus eundem Sylueſtrum, utrum ipſorum apoſtolorũ imaginem expreſſam haberet, ut ex pictura diſceremus, hoc eſſe quod reuelatio docuerat. Tunc idem uenerabilis pater imagines eorundem apoſtolorũ per diaconem ſuum exhiberi prędicepit, quas dum aſpicerem, & eorũ quos in ſomno uideram figuratos in ipſis imaginibus cognouiſſem uultus, ingenti clamore corã omnibus ſatrapibus meis confeſſus ſum eos eſſe, quos in ſomno uideram. Ad hæc beatiſs. Sylueſter indixit nobis pœnitentiæ tempus intra palatium noſtrum Lateranẽſe, in uno cilicio, ut omnia quæ à nobis impie peracta, atq; iniuſte diſpoſita fuerant, uigilijs, ieiunijs, atque lachrymis, & orationibus apud ſaluatorem noſtrũ Ieſum Chriſtũ impetraremus. Deinde per manus impoſitionem clericorum uſq; ad ipſum præſulem ueni, ibiq; abrenuncians ſatanę pompis, & operibus eius, uel uniuerſis idolis manufactis, credere in deum patrem omnipotentem, factorem cœli ac terræ, uiſibilium & inuiſibilium, & in Ieſum Chriſtũ filium eius unicum dominum noſtrum, qui natus eſt de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine, ſpontanea uolũtate coram omni populo profeſſus ſum. Benedictoq; fonte illic me trina merſione unda ſalutis purificauit. Leuatoq; me de uenerabili fonte, indutus ueſtibus candidis, ſeptiformis ſpiritus ſancti conſignationem adhibuit, beati chriſmatis unctione, & uexillum ſanctæ crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signat te deus ſigillo fidei ſuæ, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, in conſignationẽ fidei. Cunctuſq; clerus reſpondit, Amẽ. Et adiecit præſul: Pax tibi. Prima itaq; die poſt perceptum ſacri baptiſmatis myſterium, & poſt curationem corporis mei à lepræ ſquallore, agnoui non eſſe alium deum, niſi patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, quem beatiſſimus Sylueſter prædicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dij gentium, quos uſq; hactenus colui, dæmonia, opera hominũ manufacta comprobantur. Etenim quantam poteſtatem idem ſaluator noſter ſuo apoſtolo beato Petro contulerit in cœlo ac terra, lucidiſſime nobis idem uenerabilis pater edixit, dum fidelem eum in ſua interrogatione inueniens, ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus magiſter & dominus ſuo diſcipulo adiunxit, inquiens: Et tibi dabo claues regni cœlorũ, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis. Et dum hęc prędicante beato Sylueſtro agnoſcerẽ, ex beneficijs ipſius beati Petri integrę me ſanitati cõperi redditũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE PRIMITIVA ECCLESIA ET SYNODO NICENA.

NEMO qui ſcripturas diuinas legit, ignorat, quod in principio naſcentis eccleſiæ diſcipulis in unum congregatis cum multitudine credentium, in quibus erat cor unum, & anima una, quicq uendentes prędia & poſſeſſiones ſuas afferebant, & diuidebatur ſingulis prout cuicq opus erat. Futurã nanq ecclesiam in gentibus apoſtoli præuidebant, maximeq quia dominus illis prædixerat, euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium. Vel quia expellendi erant à Iudæa, nouerant ſe in gentibus diſpergendos, eccleſiamq congregandam ex rudi populo. Idcirco prędia in Iudęa minime ſunt adepti, ſed precia tantummodo ad fouendos egentes. At uero cum inter turbines & aduerſa mundi ſuccreſceret eccleſia, eouſq peruenit ut non ſolum gentes, ſed etiam Romani principes (qui penè totius orbis monarchiam tenebant) ad fidem Chriſti & baptiſmi ſacramenta concurrerent. Ex quibus uir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem ueritatis patenter adeptus, licentiã dedit per uniuerſum orbem ſuo degẽtes imperio non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandas eccleſias, & prædia tribuenda cõſtituit. Deniq idem præfatus princeps donaria immenſa, & fabricam templi primæ ſedis beati principis apoſtolorũ inſtituit, adeò ut ſedem imperialem quam Romani principes poſſederant, relinqueret, & beato Petro ſuisq præſulibus profuturam cõcederet. Idem uero præſidens in ſancta ſynodo quæ apud Nicenum congregata eſt, cum querelam quorundam cõſpiceret coram ſe deferendam, ait: Vos à nemine dijudicari poteſtis, quia ſolius dei iudicio reſeruamini, dij etenim uocati eſtis: idcirco non poteſtis ab hominibus iudicari. Ab illo etenim tempore & deinceps uiri religioſiſſimi non ſolum poſſeſſiones, & prædia quæ poſſederant, ſed etiam ſemetipſos domino cõſecrarunt, ędificantes baſilicas in ſuis fundis in honore ſanctorũ martyrum, per ciuitates ac monaſteria innumera, in quibus cœtus domino ſeruientium conueniret. Deniq reges & præſides ac magiſtratus non ſolum hanc licentiam tribuere, ſed etiam ipſi propria largiti ſunt per uniuerſa regna terrarum, unde alerentur egentes qui nihil in mundo poſſidebant, eccleſiæq dei fabricarentur atq reſtaurarentur, deoq & eccleſiæ eius rite famulantibus ſeruisq illius ſupplementa (ut abſq neceſſitate eſſent) tribuerentur, ut hæc accipientes poſſent ſecundum monita apoſtoli orationes, poſtulationes, obſecrationes, gratiarum actiones facere pro omnibus hominibus, pro regibus, & qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam uitam habeant. Et hoc bonum & acceptum eſſe coram deo idem magiſter gentium proteſtatur, cui ſolicitudo omnium eccleſiarum incumbit, quicq epiſcopos regere per
1.Pet.5 ſpiritum ſanctum conſtituit eccleſiam dei. Quibus ait: Paſcite qui in uobis eſt gregem dei, prouidentes non coacte ſed ſponte ſecundũ deum, neq turpis lucri gra-
2.Tim.2 tia, ſed uoluntarie. Cum enim dicat: Nemo militans deo implicat ſe negotijs ſecularibus: quæ enim ſunt negotia ſecularia ſancti canones manifeſtant, & inhibent perſpicue, quod quidã qui in clero uidentur electi, propter lucra turpia conducto res alienarum poſſeſſionũ fiant, & ſecularia negotia ſub cura ſua accipiant, domini quidem miniſterium paruipendentes, ſecularium uero diſcurrentes domos, & propter auaritiam patrimoniorum ſolicitudinem ſumentes: decreuit ſancta ſynodus, nullum deinceps clericum aut poſſeſſiones conducere, aut negotijs ſecularibus ſe miſcere, præter pupillorum & orphanorum, aut ſi forte epiſcopus ciuitatis eccleſiaſticarũ rerum ſolicitudinẽ habere præcipiat, ut liquidò patet, quia alia ſunt negotia ſecularia alia eccleſiaſtica. Nónne Moyſes in ſeculo erat cum crebro tabernaculum intraret & exiret, qui intus contemplatione raptus, foris infirmantium negotijs

negotijs urgebatur? intus dei arcana conſiderans, foris onera carnalium portabat? Cuius typũ ſacerdotes in eccleſia agere debent, ut dum foras exeunt ad exequenda negotia pro neceſſitatibus ſubditorum, intus ad ſe redeant per contemplationem mandatorum: ſicut Paulus qui cœleſtibus ſecretis inſeritur, & tamen per condeſcenſionis uiſcera carnalium cubile perſcrutatur. Sic & Iacob aſcendentes & deſcendentes angelos uidit, quia uidelicet rectores eccleſiæ non ſolum deo contemplando ſuperna appetunt, ſed deorſum quoque ad membra illius miſerando deſcendunt. Et dum ſacerdotes horum facta imitantur, & ſe cuſtodiunt, & ſubditorum onera portant, uidentur tales eſſe, quales idem egregius prædicator dicit, ut qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes.

EDICTVM DOMINI CONSTANTINI IMPERATORIS.

IN NOMINE ſanctæ & individuæ trinitatis, patris ſcilicet & filij, & ſpiritus ſancti, Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus in Chriſto Ieſu uno ex eadem trinitate ſancta ſaluatore domino deo noſtro, fidelis, manſuetus, beneficus, alemanicus, gothicus, ſarmaticus, germanicus, britannicus, unicus, pius, felix, uictor, ac triũphator ſemper auguſtus, ſanctiſſimo ac beatiſſimo patri Syluestro urbis Romæ Epiſcopo & Papæ, atque omnibus eius ſucceſſoribus qui in ſede beati Petri uſq in finem ſeculi ſeſſuri ſunt pontificibus, necnon & omnibus reuerẽdiſſimis & deo amabilibus catholicis epiſcopis, eidem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ per hanc noſtram imperialem conſtitutionem ſubiectis, in uniuerſo orbe terrarũ nunc & in poſteris cunctis retro temporibus conſtitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, miſericordia à deo patre omnipotente, & Ieſu Chriſto filio eius, & ſpiritu ſancto, cum omnibus uobis. Ea quæ ſaluator & redemptor noſter dominus noſter Ieſus Chriſtus altiſſimi patris filius per ſuos ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulũ, interueniente patre noſtro Syluestro ſummo pontifice & uniuerſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida narratione per huius noſtræ imperialis inſtitutionis paginã ad cognitionem omnium populorum in uniuerſo orbe terrarũ ſtuduit propagare noſtra manſuetiſſima ſerenitas. Primum quidem noſtram fidem quam à præfato beatiſſimo patre & oratore noſtro Syluestro uniuerſali pontifice docti ſumus, intima cordis confeſſione ad inſtruendas omnium ueſtrũm mentes proferentes, & ita demum dei miſericordiam ſuper uos diffuſam annunciantes. Noſſe enim uos uolumus, ſicut per anteriorem noſtram ſacram pragmaticam iuſſionem ſignificauimus, nos à culturis idolorum, ſimulacris mutis & ſurdis, manufactis, diabolicis cõpoſitionibus, atq ab omnibus ſatanæ pompis receſſiſſe, & ad integram chriſtianorum fidem quæ eſt uera lux & uita perpetua peruenisſe, credentes, iuxta id quod nos idem almificus ſummus pater & doctor noſter Syluester pontifex inſtruxit, in deum patrẽ omnipotentẽ factorem cœli & terræ, uiſibiliũ omniũ & inuiſibilium. Et in Ieſum Chriſtum filium eius unigenitum dominum noſtrum, per quem creata ſunt omnia. Et in ſpiritum ſanctum dominum & uiuificatorem uniuerſæ creaturæ. Hos patrem & filium & ſpiritũ ſanctum confitemur ita, ut in trinitate perfecta & plenitudo ſit diuinitatis & unitas poteſtatis: pater deus, filius deus, & ſpiritus ſanctus deus, & tres unum ſunt in Ieſu Chriſto. Tres itaq formæ, ſed una poteſtas. Nam ſapiẽs retro ſemper deus, edidit ex ſe per quod ſemper erant gignenda ſecu-

la uerbum. Et quando eodem solo suæ sapientiæ uerbo uniuersam ex nihilo formauit creaturã, cum eo erat, cuncta suo arcano componens mysterio. Igitur perfectis cœlorum uirtutibus, & uniuersis terræ materijs, pio sapientiæ suæ nutu ad imaginem & similitudinem suam primum de limo terræ fingens hominẽ, huncin paradiso posuit uoluptatis. Quem antiquus serpens & hostis inuidens diabolus per amarissimum ligni uetiti gustum, exulem ab eisdem fecit gaudijs, eoq; expulso non desinit sua uenenosa multis modis protelare iacula, ut à uia ueritatis humanum abstrahens genus, idolorum culturæ, uidelicet creaturæ, & non creatori deseruire suadeat, quatenus per hos eos, quos suis uoluerit irretire infidijs, secũ ęterno efficiat contremandos supplicio. Sed deus noster misertus plasmatis sui, diri- 10
gens sanctos suos prophetas, per quos lumen futuræ uitæ, aduentum uidelicet filij sui domini dei & saluatoris nostri Iesu Christi annuncians, misit eundem unigenitum filium suum & sapientiæ uerbũ. Qui descendens de cœlis propter nostram salutem, natus de spiritu sancto, ex Maria uirgine, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. Deum perfectum & hominem perfectum, ut deus mirabilia perficiens, & ut homo humanas passiones sustinens, ita uerbum hominem & uerbum deum prædicante patre nostro Syluestro summo pontifice intelligimus, ut uerum deum uerũ hominem fuisse nullo modo ambigamus. Electisq; duodecim Apostolis, miraculis coram eis & innumerabilis populi multitudine coruscauit. Confitemur eundem dominum Iesum Christum adimplesse legem & prophetas, passum, crucifixum secundum scripturas, tertia die à mortuis resurrexisse, assumptum in cœlos, atq; sedentem ad dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos, cuius imperij non erit finis. Hęc est enim fides nostra catholica & orthodoxa, à beatissimo patre nostro Syluestro summo pontifice nobis prolata. Exhortans idcirco omnem populum & diuersas gentium nationes hanc fidem tenere, colere, & prædicare, & in sanctæ trinitatis nomine aptissime gratiam consequi, & dominum nostrum Iesum Christum saluatorem, qui cum patre & spiritu sancto per infinita secula uiuit, & regnat, quẽ Syluester beatissimus pater noster uniuersalis pontifex prædicat, corde deuoto adorare. Ipse enim dominus noster misertus mihi peccatori, misit sanctos suos Apostolos ad uisitandum nos, & lumen sui splendoris infulsit nobis, & abstractum à tenebris ad ueram lucem & agnitionem me uenisse gratulamini. Nam dum ualida squalloris lepra totam mei corporis inuasisset carnem, & multorum medicorũ conuenientium cura adhiberetur, nec ullius quidem cura promeruissemus salutẽ. Ad hoc uenerunt sacerdotes Capitolij dicentes, mihi debere fieri fontem in Capitolio, & cõpleri hunc innocentiũ sanguine, & in eo calente loco me posse mundari. Et secundũ eorum dicta aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum uellent sacrilegi paganorũ sacerdotes eos mactari, & ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lachrymas matrum eorum, illico exhorrui facinus, miseratusq; eas proprios illis restitui præcepimus filios suos, datisq; uehiculis & donis concessis, gaudentes ad propria relaxauimus. Eadem igitur transacta die, nocturna nobis facta silentia, dum somni tempus aduenisset, assunt Apostoli sanctus Petrus & Paulus dicentes mihi: Quoniã flagitijs posuisti terminũ, & effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus à Christo domino deo nostro dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac quodcunq; indicamus tibi. Syluester episcopus huius ciuitatis ad montem Soracten persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latebram fouet, hunc ad te cum adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua dum te tertio merserit, omnis te ualitudo ista deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc uicissitudinem tuo saluatori compensa, ut omnes iussu tuo per totum orbem

orbem restaurentur ecclesiæ. Te autem ipsum in hac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorũ, deum uiuum & uerum, qui solus est & uerus, adores & excolas, ut ad uoluntatẽ attingas. Exurgẽs igitur à somno, protinus iuxta id quod à sanctis apostolis admonitus sum, peregi: aduocatoq; eodem præcipuo & magnifico patre & illuminatore nostro Syluestro uniuersali Papa, omnia à sanctis Apostolis mihi præcepta dixi uerba. Percontati sumus ab eo qui isti dij essent Petrus & Paulus. Ille uero non eos deos uere dici, sed Apostolos saluatoris nostri domini dei Iesu Christi respondit. Et rursum interrogare cœpimus eundem beatissimum Papam, utrum istorum apostolorũ imagines expressas haberet, ut ex pictura discere
10 mus hos esse quos reuelatio docuerat. Tunc idem uenerabilis pater imagines eorundem Apostolorũ per diaconũ suum exhiberi præcepit: quas dum aspicerem, & eorum quos in somno uideram figuratos in ipsis imaginibus cognouissem uultus, ingenti clamore coram omnibus satrapis meis confessus sum eos esse quos in somno uiderã. Ad hæc beatissimus idem Syluester pater noster urbis Romæ episcopus indixit nobis pœnitentiæ tempus intra palatium nostrum Lateranense, in uno cilicio, ut omnia quæ à nobis impie peracta atq; iniuste dispositа fuerant, uigilijs, ieiunijs atq; lachrymis & orationibus apud dominũ nostrum Iesum Christum
20 saluatorẽ impetraremus. Deinde per manus impositionẽ clericorũ, usq; ad ipsum præsulem ueni, ibiq; renuncians satanę pompis & operibus eius, uel uniuersis idolis manufactis, credere me in deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, uisibilium & inuisibilium, & in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto, ex Maria uirgine, spontanea uolũtate coram omni populo professus sum. Benedictoq; fonte illic me trina mersione unda salutis purificauit. Positoq; me in fontis gremio, manum de cœlo me contingentem propriis oculis uidi: de qua mundus exurgens, ab omni me lepræ squallore mundatum agnoscite, leuatoq; me de uenerabili fonte, indutus uestibus candidis septiformis gratiæ sancti spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, & uexillum sanctæ crucis in mea fronte liniuit dicens: Signet te deus sigillo fidei suæ, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, in consignatione fidei.
30 Cunctusq; clerus respondit, Amen. Et adiecit pręsul, pax tibi. Prima itaq; die post perceptum sacri baptismatis mysterium, & post curationem corporis mei à lepræ squallore, agnoui non esse alium deum nisi patrem & filium & spiritum sanctum, quem beatus Syluester Papa prędicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dij gentium quos usq; hactenus colui, dæmonia, opera hominũ manufacta comprobantur. Etenim quantã potestatẽ idem Saluator noster suo Apostolo beato Petro contulerit in cœlo ac terra, lucidissime nobis idem uenerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inueniẽs ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus magister &
40 dominus suo discipulo iniunxit, inquiens: Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Mirum est hoc ualde & glorioſum, in terra ligare & soluere, & in cœlo ligatum & solutum esse. Et dum hæc prædicante beato Syluestro agnoscerem, & beneficijs ipsius beati Petri integerrime sanitati me comperi restitutum, utile iudicauimus unà cum omnibus nostris satrapis & uniuerso senatu, optimatibus meis, etiam & cuncto populo Romano gloriæ Imperij subiacenti, ut sicut in terris uicarius filij dei esse uidetur constitutus, etiam & pontifices qui ipsius principis Apostolorum gerunt uices, principatus potestatem amplius quàm terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere uidetur, concessam à nobis nostroq; Imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem Apostolorum uel eius uicarios firmos apud deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena Im-

perialis potentia eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decreuimus ueneranter honorare & amplius quàm nostrum Imperium, & terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem atq; uigorem & honorificentiam Imperialem, atq; decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanã, quamq; etiam super omnes in uniuerso orbe terrarum dei ecclesias. Et pontifex qui pro tempore ipsius sacro sanctæ Romanæ ecclesię extiterit, celsior & princeps, cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & eius iudicio quæq; ad cultum dei uel fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur. Iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor saluator noster beatum Petrum apostolatus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens beatæ mortis sumpsit poculum, suiq; magistri & domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis cõfessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus Apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est: illic usq; in finem quærant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus: & ibi proni ac humiliati cœlestis regis dei saluatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni regis seruiebant imperio. Interea nosse uolumus omnem populum uniuersarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intra palatium nostrum Lateranense eidem saluatori nostro domino Iesu Christo ecclesiam à fundamentis, cum baptisterio: & duodecim nos sciatis de eius fundamentis, secundum numerum duodecim apostolorum, cophinos terræ onustatos proprijs asportasse humeris, quam sacrosanctam ecclesiam caput & uerticem omnium ecclesiarũ uniuerso orbe terrarum dici, coli, uenerari ac prædicari sancimus, sicut per alia nostra Imperialia decreta constituimus. Construximus itaq; ecclesias beatorum Petri & Pauli primorum apostolorum, quas auro & argento locupletauimus, ubi & sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo prævalet elementorum, construximus, & crucem ex auro purissimo & gemmis preciosissimis per singulas eorum thecas posuimus, & clauis aureis confiximus. Quibus pro concinnatione luminariorũ, possessionum prædia contulimus, & rebus diuersis eas ditauimus, & per nostram Imperialem iussionem sacram, tam in oriente quàm in occidente, uel etiam septentrionali & meridiana plaga, uidelicet in Iudæa, Græcia, Asia, Thracia, Aphrica & Italia, uel diuersis insulis nostra largitate eis concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Syluestri pontificis successorumq; omnia disponantur. Gaudeat enim unà nobiscum omnis populus & gentium nationes uniuerso orbe terrarum, exhortantes omnes, ut deo nostro & saluatori Iesu Christo immensas unà nobiscum referatis gratias, quoniam ipse deus in cœlis desuper & in terra deorsum, qui nos per suos sanctos apostolos uisitans, sanctum baptismatis sacramentum percipere, & corporis sanitate dignos effecit, pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per eos etiam beato Syluestro patri nostro summo pontifici, & uniuersalis urbis Romæ Papæ, & omnibus eius successoribus pontificibus qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atq; de præsenti concedimus palatium Imperij nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatijs, deinde diadema, uidelicet coronam capitis nostri, simulq; pallium, uel mitram phrygiam, necnon & superhumerale, uidelicet lorum quod imperiale circundare assolet collum, uerumetiam & chlamidem purpuream atq; tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, sed & dignitatem Imperialium præsidentiũ equitum, conferentes etiam & Imperialia sceptra, simulq; & cuncta signa atque banna etiam, & diuersa

& diuersa ornamenta Imperialia, & omnem processionem Imperialis culminis & gloriam potestatis nostræ. Viris enim reuerendissimis, clericis diuersis ordinibus eidem sacrosanctę Rom. ecclesię seruientibus, illud culmen, singularitatem, potentiam & prœcellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus uidetur gloria adornari, id est, patritios atq; consules effici, necnon & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgantibus decorari. Et sicut imperiales milítia, ita & clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum Imperialis potentia officijs diuersis, cubiculariorum nempe, ostiariorum, atq; omnium ex cubiarum ornatu, ita & sanctam Romanã ecclesiam decorari uolumus. Et ut amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, ut clerici eiusdem sanctę Romanæ ecclesiæ manipulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decorari equos, & ita equitari. Et sicut noster senatus calciamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustrati, ut sicut cœlestia, ita & terrena ad laudem dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes ipsi sanctissimo patri nostro Syluestro urbis Romę Episcopo & Papę, & omnibus qui post eum in successum & perpetuis temporibus aduenerint beatissimis pontificibus, pro honore & gloria Christi dei nostri, in eadem dei magna catholica & apostolica ecclesia, ex nostro iudicio, quem placatus proprio consilio clericare uoluerit, & in numero religiosorum clericorũ connumerare nullum ex omnibus præsumentem superbe agere. Decreuimus itaq; & hoc, ut idem uenerabilis pater noster Syluester summus põtifex, uel omnes eius successores pontifices diadema, uidelicet coronam quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis preciosis uti debeant, & eorum capite ad laudem dei pro honore beati Petri gestare. Ipse uero beatissimus Papa super coronam clericatus quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Phrygiũ quoq; candido nitore splendidam resurrectionẽ dominicam designans eius sacratissimo uertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi illius pro reuerentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes eius successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem Imperij nostri. Vnde ut pontificalis apex non uilescat, sed magis amplius quàm terreni Imperij dignitas & gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quámque Romanæ urbis, & omnes Italiæ seu occidentalium regionum prouincias, loca & ciuitates præfato beatissimo pontifici nostro Syluestro uniuersali Papæ concedimus atque relinquimus, & successorum ipsius pontificum potestati & ditioni firma Imperiali censura per hanc diualem nostram sacram potestatem & pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque iuri sanctę Romanæ ecclesiæ concedimus permansurum. Vnde congruum prospeximus nostrum Imperium & regni potestatem orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantiæ prouinciæ in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium, quoniam ubi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc uero omnia quæ per hanc nostram Imperialem sacram, & per alia diualia decreta statuimus atque confirmauimus, usque in finem mundi illibata & incõcussa permanenda decernimus. Vnde coram deo uiuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obtestamur per hoc nostrum Imperiale constitutum, omnes nostros successores, Imperatores, uel cunctos optimates, satrapas etiam, amplissimum senatum, & uniuersum populum in toto orbe terrarum, nunc & in posterum, cunctis retro temporibus Imperio nostro subiacentem, nulli eorum quoquo modo licere hæc quæ à nobis Imperiali sanctione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, uel eius omnibus pontificibus con-

cessa sunt refragari aut cõfringere uel in quoquã conuellere. Si quis autem (quod non credimus) in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnatiõnibus subiaceat innodatus, & sanctos dei principes apostolorũ Petrum & Paulum sibi in præsenti & futura uita sentiat contrarios, atq; in inferno inferiori concrematus cum diabolo & omnibus deficiat impijs. Huius uero imperialis decreti nostri paginam proprijs manibus roborantes, super uenerandũ corpus beati Petri principis apostolorum posuimus, ibiq; eidem cum apostolo spondẽtes nos cuncta inuiolabiliter cõseruare, & nostris successoribus imperatoribus cõseruanda in mandatis relinqui, patri nostro Syluestro summo põtifici & uniuersali Papæ, eiusq; cunctis successoribus pontificibus domino deo & saluatore nostro Iesu Christo annuente tradimus perhenniter atq; feliciter possidenda. Et subscriptio imperialis, diuinitas uos conseruet per multos annos sanctissimi ac beatissimi patres. Datum Romæ sub tertio die Calend. Aprilium, domino nostro Flauio Cõstantino Augusto quarto, & Gallicano quarto, uiris clarissimis consulibus.

Quo tempore actum sit Nicenum Concilium.

CAnones generalium cõciliorum à temporibus Constantini cœperũt. In præcedentibus nanq; annis persecutione feruente docendarũ plebium, nisi quæ à Romana processerunt sede, minime dabatur facultas. Inde christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat licentia episcopis in unum conuenire nisi tempore supradicti Imperatoris, ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregari. Sub hoc etiam sancti patres in concilio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes, iuxta fidem euangelicam & apostolicam secundum post apostolos symbolum tradiderunt.

NICENI CONCILII PRAEFATIO.

BEATISSIMO Syluano in urbe Roma Apostolicæ sedis antistite, Constantino Augusto & Licinio Cæsare, consulatu Palini & Iuliani uirorum clarissimorũ, ab Alexandro CCC.XXXVI. anno mense Iulio. XIII. Calend. Iulij, propter insurgentes hæreses fides catholica exposita est apud Nicæam Bythiniæ, quam sancta & reuerendissima Romana complectitur & ueneratur Ecclesia, quippe quam trecenti decem & octo patres, mediantibus Victore atq; Vincentio religiosissimis Romanæ sedis presbyteris, inspirante deo, ad obstruenda Arrij uenena protulerunt. Nam & nõnullæ regulæ subnexæ sunt, quas memorata suscipiens confirmauit Ecclesia. Sciendum est sanè ab omnibus catholicis, quoniam sancta Ecclesia Romana nullis synodicis decretis prælata est, sed euangelica uoce domini, & saluatoris nostri primatũ obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorũ, & quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlo. Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi apostoli Pauli uasis electionis, qui uno die, unoq; tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo pariter Ecclesiam sanctam Romanam Christo domino consecrauerunt, alijsq; omnibus urbibus in uniuerso mundo sua præsentia, atq; uenerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud dominum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamẽ uerbis Paulus beatissimus Apostolus Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens: Testis enim mihi est deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio in orationibus meis.

Matth. 16

Rom. 1

meis. Prima ergo sedes cœlesti beneficio Romanæ ecclesiæ, quã beatissimi Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius discipulo atq; Euangelista consecrata est, quia & ipse in Aegypto primus uerbũ ueritatis directus à Petro prædicauit, & gloriosum suscepit martyrium. Cui uenerabilis successit Abilius. Tertia uero sedes apud Antiochiam eiusdem beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquã Romam ueniret, habitauit, & Ignatium episcopum constituit, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Nam & Hierosolymitanus episcopus pro tanti loci reuerentia ab omnibus habetur honorabilis, maxime quod illic primus beatissimus Iacobus qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne apostolis est episcopus ordinatus. Itaque secundum antiquorũ patrum diffinitionem sedes prima in Hierosolymis esse minime dicitur, ne fortè ab infidelibus aut idiotis sedes domini nostri Iesu Christi (quæ in cœlo est) in terra esse putaretur. Etenim sedes eius cœlum, terra autem scabellum pedum eius, quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen. Apud Ephesum uero beatissimus Ioannes apostolus & euangelista multo tempore post domini resurrectionẽ & ascensionẽ in cœlos, diuina inspiratione euangeliũ conscripsit, atque requieuit. Et ob hoc episcopus Ephesinus pro tanti Apostoli & Euangelistæ memoria, cæteris episcopis metropolitanis in synodis honorabiliorem obtinet sedem.

Sed quoniam de concilio Niceno differendum est, quæ hæc fecit causa, ut post illam apostolorũ gloriosam prædicationẽ, quæ in omnem terram mirabiliter diffusa est, sub Constantino Augusto, tanti congregarentur episcopi: Rufini nobis decimus liber, qui coniunctus est nouẽ libris Ecclesiasticæ historiæ, quos uir eruditissimus Eusebius Cæsariensis ædidit, necessariò profertur ad medium, ut pauca quæ eius inter initia de Arrij peruersitate conscripta sunt, memorẽtur: quia dubium nõ est, ideo trecentos decem & octo sanctissimos patres ex uniuerso orientali orbe in Nicæa Bythiniæ congregatos, ut Arrij impium dogma Christi auxilio funditus damnaretur, & salubri prouidentia constituerẽt, quid in sancta catholica Ecclesia debeat obseruari. Iam ad locum ex lib. x. Rufini: Igitur cum apud Alexandriam post Achillem qui Petri martyrio successit, suscepisset Alexander sacerdotiũ, quia pax nostris & quies à persecutionibus erat, atq; Ecclesiarũ gloria confessorum meritis gaudebat, prosperitas rerũ nostrarũ domestica contentione turbabatur. Etenim presbyter quidam apud Alexandriã nomine Arrius, uir ipse & forma magis quàm uirtute religiosus, sed gloriæ laudisq; & nouitatis improbè percupidus, prauã quædã de Christi fide proferre, & quæ arte inquisitionis inuenerat cœpit. Abscindere enim ac separare ab illa æterna & ineffabili dei patris substantia uel naturã, filium conabatur. Quæ res in Ecclesia plurimos conturbabat, & à dulci mentis tranquillitate dimouebat. Sed cum Alexander episcopus natura lenis, & quietus, assidue cõmonitionibus Arrium cuperet à prauo incepto & assertionibus impijs reuocare, nec tamen res ex sententia procederet, & quod plerosque quodam contagio pestiferæ assertionis infecerat, non solum apud Alexandriam, uerum & per alias prouinciæ dispersérat urbes, pernicioſum fore credens, si dissimularet à talibus, plurimis consacerdotibus suis rem indicat. Quæstio laicis innotescit. Sermo usque ad aures religiosi principis (quippe qui omni studio & diligẽtia curaret quæ nostra sunt) peruenit. Tum ille ex sententia sacerdotum apud urbem Nicæam episcopale concilium conuocat, ibique Arrium trecentis decem & octo episcopis residentibus adesse iubet, ac de eius propositionibus & quæstionibus iudicare. Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex

omnibus penè locis episcopi conuenissent, &(ut fieri solet)diuersis ex causis inter se quædam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc quàm ad id pro quo fuerat uentũ, animos dabãt. At ille uidens quod per huiusmodi iurgia causa summi negocij frustraretur, diem certum statuit quo unusquisque episcoporum, si quid querimonię habere uideretur, deferret. Cum resedisset, suscepit à singulis libellos: quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quod contineretur aperiens, ait ad episcopos: Deus uos constituit sacerdotes, & potestatẽ uobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à uobis recte iudicamur, uos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod dei solius inter uos expectate iudicium, ut & uestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen, uos etenim nobis à deo dati estis dij. Conueniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum
Psal. 81. est: Deus stetit in synagoga deorũ, in medio autẽ deos discernit. Et ideo his omissis alia quæ ad fidem dei pertinent, absque ulla animorũ contentione discutite. Cum hæc dixisset, omnes querimoniarũ libellos iussit exuri, ne innotesceret illi odium & sugillatio sacerdotum. Verum cum per dies multos in episcoporũ concilio de fide quæstio uerteretur, & nonnulli diuersa sentirent ac uehementer cœptis Arrij fauerent, plures tamen erant qui impiũ execrarentur incœptum. Cúmque in eodem concilio esset confessorum magnus numerus sacerdòtum, omnes Arrij nouitatibus aduersabantur. Fauebant uero ei uiri in quæstionibus callidi, & ob id simplicitati fidei aduersabantur. Quantã uero habeat uirtutem fidei simplicitas, etiã ex his quæ ibi gesta sunt, cognoscimus. Etenim cũ pro studio religiosi imperatoris ex omni terra sacerdotes dei conuenissent, opinione commoti philosophi quoque & dialectici ualde nobiles & opinatissimi conuenerunt. In quibus quidam insignis in arte dialectica per dies singulos conflictum summi certaminis cum episcopis nostris uiris æque in dialectica non improbabiliter eruditis mouebat. Et fiebat ingens spectaculum conuenientibus ad audiendum doctis & literatis uiris, nec tamen ullo genere philosophus concludi à quoquã poterat aut constringi. Tanta enim dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur astrictus, uelut anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostenderet deus, quia non in sermone regnum dei, sed in uirtute consistit, quidam ex confessoribus simplicissimæ naturæ uir, & nihil aliud sciens nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, inter cæteros auditores episcopos aderat. Qui cum uidisset philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum, uelle se paucis cum philosopho sermocinari. Tum uero nostri qui simplicitatem uiri & imperitiam in sermone duntaxat nossent, pauere, & uelut pudorem quendam pati, ne fortè apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior & hinc mouit sermonis exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi, philosophe audi quæ uera sunt. Deus unus est qui fecit cœlum & terram, quíq; homini quẽ de limo terræ formauerat spiritum dedit, uniuersa quæ uidentur sibi uirtute uerbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit: hoc uerbum ac sapientia quam nos filium dicimus, humanos miseratus errores, ex uirgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit uitam, quem expectamus iudicem omnium quæ egerimus esse uenturum. Credis hęc ita esse philosophe? At ille ac si nunquam ullum sermonẽ contradicendi didicisset, ita obstupefactus uirtute dictorum mutus ad omnia hoc solum potuit respondere. Ita sibi uideri, nec aliud uerum esse quàm dixerat. Tunc senior: Hęc, inquit, si ita esse credidisti, surge & sequere me ad dominicum, & huius fidei signaculũ suscipe. Et ita philosophus christianus effectus tandẽ se gratulatus est uictum.

In illo etiam concilio fuit Paphnutius homo dei episcopus Aegypti, in quo tanta uirtute

uirtute inerat gratia, ut signa per eum non minus quàm dudum per apostolos fierent. Quo etiam in tempore & Spyridion Cyprius episcopus insignis habebatur. Tales igitur in illis adhuc temporibus multi uiri in ecclesijs domini refulgebant, ex quibus plurimi in illo concilio fuerunt. Interea per dies singulos agitabatur conuentus, nec facile aut temere tanta statuere audebãt, & uocabatur Arrius frequenter in concilium, & assiduo tractatu assertiones eius discutiebantur, & quod aduersum hæc tenere deberent ac statui, summa cum deliberatione quærebant. Verum post diutinum multumq; tractum, placuit omnibus ac uelut uno cunctorum ore & corde decernitur Homousion conscribi debere, id est, eiusdẽ cum patre substantiæ filium confiteri, atque firmissima omnium sententia pronunciatur. Decem & septem soli tunc fuisse dicuntur quibus Arrij magis fides placeret, extrinsecus creatum dei filium ex nullis subsistantibus, & non ex ipsa patris deitate progenitum confirmantes. Defertur ad Constantinum sacerdotalis concilij sententia, ille tanquam à deo prolatam ueneratur. Cui si quis tentasset obniti, uelut contra diuina statuta uenientem, in exilium se protestatur acturum.

CANONES NICENI CONCILII QVOD actum est sub Constantino Imperatore, Paulino & Iuliano Consulibus fratribus, CCCLXIII. III. Calendas Iulij.

VM conuenissẽt hoc sanctum & magnũ concilium apud Nicæam ciuitatẽ prouinciæ Bythiniæ, statuta sunt ab eis hæc quę infra scripta sunt, ex græco in latinum uersa sermonem.

1 Si quis in ægritudine uel à medicis sectus est, uel à barbaris castratus, placuit ut iste permaneat in clero. Si quis autem sanus seipsum abscindat, etiam si est in clero, cessare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinari. Sicut autem de his qui uel affectauerint hæc, uel ausi sunt seipsos abscindere, hæc quæ dicimus statuta sunt, ita si qui à barbaris uel à dominis suis secti & probabilis uitæ sint, tales suscipit ecclesiastica regula in clerum.

2 Quoniam multa siue per necessitatẽ, siue ex quacunque causa contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex uita gentili nuper adhuc catechizati, uel instituti, statim ad spiritualem baptismum uenissent, & continuò cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum, uel ad presbyterium prouecti sunt. Recte igitur uisum est de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est ut sit catechuminus, & post baptismum multa probatione indiget. Euidens nanq; est apostolicũ præceptum dicens: Non neophytum, ne fortè elatus in iudicium incurrat & laqueum diaboli. Si uero procedente tempore aliquod peccatũ admiserit, & conuictus duobus uel tribus testibus fuerit, cesset à clero qui huiusmodi est. Si quis uero præter hæc facit tanq; contraria statutis sancti concilij gerens, ipse periclitabitur de statu sui cleri.

3 Omnibus modis interdixit sancta synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli clericorũ omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut auia, aut amita, uel matertera sit: in his nanq; solis personis, & harum similibus, omnis quę ex mulieribus est suspicio declinatur: qui autem præter hæc agit, periclitatur de clero.

4 Episcopum oportet ab omnibus episcopis, si fieri potest, qui sunt in prouincia eius ordinari. Si uero hoc difficile fuerit, uel aliqua urgente necessitate, uel itineris longitudine, certe tres episcopi debent in unum esse congregati, ita ut etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ita faciant ordinationem.

Potestas sanè uel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad metropolitanum episcopum.

5 Seruetur ista sententia, ut hi qui ab alijs excõmunicantur, ab alijs ad communionem non recipiantur. Requiratur sanè si fortè aliqua indignatione, aut contentione, aut qualibet commotione episcopi sui excommunicati sint. Vt ergo digna hæc possint examinatione perquiri, recte uisum est per singulos annos in singulis prouincijs bis in anno episcoporum concilium fieri, ut simul in unum conuenientes ex communi prouincia huiusmodi examinent quæstiones, ut ita demum hi qui obculpas suas episcoporum suorum offensas meritò contraxerunt, digne etiam à cæteris excommunicati similiter habeantur, quousque in communi uel ipsi episcopo suo uisum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam. Habeatur autem semel concilium ante dies quadragesimæ, ut omnibus si quæ sunt simultatibus amputatis, mundum solenne deo munus possit offerri. Secundum uero agatur circa tempus Autumni.

6 Mos antiquus perduret in Aegypto, uel Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omniũ habeat potestatẽ, quoniamquidem & Romano episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæteras q; prouincias honor suus unicuique seruetur ecclesiæ. Per omnia autem manifestũ est, quod si quis præter uoluntatem & conscientiam metropolitani episcopi fuerit ordinatus, hunc concilium magnum & sanctum censuit non debere esse episcopum. Sanè si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam duo uel tres animositate ducti per cotentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.

7 Quoniam mos antiquus obtinuit, & uetusta traditio, ut Eliæ Hierosolymorum episcopo primus honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.

8 Si qui uoluerint uenire ad ecclesiam catholicam ex Nouatianis, placuit sancto concilio ut ordinentur, & sic maneant in clero. Ante omnia autem hanc habeant confessionem quam per scripturam exigi oportet, ut fateantur se communi consensu catholicæ ecclesiæ statuta obseruaturos, id est, communicaturos se & his qui forte secundas nuptias experti sunt, uel his qui persecutionis tempore lapsi sunt, quibus tamen lapsis pœnitentiæ modus & tempus adscriptum est, ut in omnibus sequantur ea quæ in ecclesia catholica obseruant. Et sicubi ijdem ipsi fuerint inuenti siue in uicis seu in urbibus clerici ordinati à catholicis, sic etiam in clero persistant, unusquisque tamen in suo ordine. Si uero episcopus uel presbyter catholicæ ecclesiæ fuerit ad quem aliqui ex his accedunt, certum est quod episcopus quidem catholicus suam habeat dignitatem. Similiter autem presbyteri & diaconi habeant. Hi uero qui ab istis ueniunt, si forte episcopus fuerit habeat sacerdotij dignitatem, nisi forte placeat episcopo catholico concedere ei etiam episcopalis nominis honorem. Si uero non placuerit, inueniat ei locum ut sit in parochia coëpiscopus, aut in clero presbyter, & in ciuitate una non uideantur duo episcopi esse, & ille omnimode in clero permanere uideatur.

9 Si qui examinatione promoti presbyteri sunt, & postea examinati confessi sunt peccata sua, & cum confessi fuissent contra regulã uenientes, homines manus eis temere imposuerunt, hos ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehensibile est defendit ecclesia.

10 Quicunque ex lapsis per ignorantiam sunt ordinati, uel contemptum eorum qui eos ordinauerunt, hoc non præiudicat regulæ ecclesiasticæ, cum enim compertum fuerit deponantur.

11 Placuit sanctæ synodo, licet indigni sint misericordiæ, tamen aliquid circa eos humanitatis ostendi. Si quos ergo ex animo pœnitet, tribus annis inter pœnitentes habeantur. Si tamen fideles sunt, septem annis alijs inter pœnitentes sint, duobus autem annis ijdem sine oblatione in oratione sola participent populo. Si qui uero per dei gratiam uocati primo quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium uomitum reuersi sunt, ut & pecunias darent, & ambirent redire rursum ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes, post primum triennium quo fuerint inter audientes. Ab omnibus uero illud præcipue obseruetur, ut animus eorũ & fructus pœnitentiæ obseruetur. Quicunque enim cum omni timore & lachrymis perseuerantibus & operibus bonis conuersationẽ suam non uerbis solis, sed opere & ueritate demonstrant, cum tempus statutum etiam ab his fuerit impletũ, & orationibus iam cœperunt communicare, licebit etiam episcopo humanius circa eos aliquid cogitare. Qui uero indifferenter habuerint lapsum, & sufficere sibi quod ecclesiam introierunt arbitrantur, isti omnimodo tempora statuta complebunt.

12 De his uero qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur etiam nunc, ita ut si fortè quis recedit ex corpore necessario uitæ suæ uiatico non defraudatur. Quod si desperatus aliquis recepta cõmunione superuixerit, sit inter eos qui sola oratione communicant. De omnibus tamen his qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionem & cura & probatio sit episcopi.

13 Placuit hoc sancto & magno concilio de catechuminis qui lapsi sunt, ut tribus annis inter audientes uerbum sint tantummodo, post hæc uero orent cum catechuminis.

14 Peruenit ad sanctum concilium quod in locis quibusdam & ciuitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant, hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificij non habent potestatẽ, his qui offerunt corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam diacones etiam ante episcopos sacramenta sumunt. Hæc omnia amputentur, & accipiant secundum ordinẽ post presbyteros ab episcopo uel à presbytero sacram communionem. Quod si non fuerit in præsenti uel episcopus uel presbyter, tunc ipsi proferãt & edant. Sed nec sedere quidem licet in medio presbyterorum diacones. Si quis autem non uult his sufficiens esse, post hanc diffinitionem cesset esse diaconus.

15 Propter multas perturbationes & frequentes tumultus seditionum quæ fieri solent, placuit omnimodo istam abscindi consuetudinem quæ contra regulam est, sicubi tamen sit, id est, ne de ciuitate in ciuitatem transeat uel episcopus, uel presbyter, uel diaconus. Si quis uero post hæc statuta sancti huius concilij tale aliquid agere tentauerit, infringet omni genere huiusce modi conatus, & restituatur propriæ ecclesiæ in qua ordinatus est.

16 Si qui uero timorem dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab ecclesia sua, siue presbyter siue diaconus, uel in quocunque ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in ecclesia, sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad ecclesiam suam: quod si permanserint, excommunicare eos oportet.

17 Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in sua ecclesia, cum non habeat consensum episcopi ipsius à quo recessit clericus, irrita erit huiusmodi ordinatio.

18 Quoniam multi clerici auaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti, quo dictum est, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, fœnerantes centesimas exigant: statuit hoc sanctum concilium, si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipere uel ex quolibet tali negocio turpia lucra sectari, uel etiam species frumentorũ ad sextuplum dare, omnis qui tale aliquid conatus fue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit ad quæstum deijciatur à clero, & alienus ab ecclesiastico habeatur gradu.

19 Si quis confugit ad ecclesiam catholicam de Paulianistis & Catafrigis, statutum est rebaptizari eos debere. Si qui uero clerici erant apud eos, si quidem inculpati fuerint, & irreprehensibiles, rebaptizati rursus etiam ordinẽtur ab episcopo Ecclesiæ catholicę. Si uero examinati minus fuerint apti deprehensi, deponi eos oportet. Similiter autem & circa diacones, & de omnibus qui in eodem clero inueniuntur, eadem forma seruabitur. Commemorauimus autem diaconissas quæ in hoc ordine inuentę sunt, quæ nec manus impositionẽ aliquam habeant, ut omnimodo inter laicas habeantur. Similiter autem diaconissæ quæ in catholico canone non habentur, simili loco, id est laicæ & tanquam non consecratę deputentur.

20 Quoniam sunt in die dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus pentecostes, propterea est itaque statutum à sancta synodo, quoniam consona & conueniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem domino uota reddamus.

SYMBOLVM EIVSDEM NICENI CONCILII.

CRedimus in unum deum patrem omnipotentem, uisibilium & inuisibilium conditorem. Et in unum dominũ Iesum christum filium dei, natum de patre unigenitum, hoc est de substantia patris, deum de deo, lumen de lumine, deum uerum de deo uero, natum, non factum, consubstantialem patri, id est unius substantiæ cum patre (quod Græci homousion dicunt) per quem omnia facta sunt quæ in cœlo & in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutẽ descendit de cœlis, & incarnatus est, atque homo factus, passus, mortuus est, & resurrexit tertia die, ascẽdit ad cęlos, uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritũ sanctum. Eos autem qui dicunt, erat quando non erat, & antequam nasceretur nõ erat, & quod ex nullis existentibus factus est, aut ex aliqua substantia uel natura, eum dicentes esse mutabilem, & conuertibilẽ filium dei perhibendo, hos anathematizat & condemnat catholica & apostolica Ecclesia. Hæc est fides quam exposuerũt patres primum quidem aduersus Arrium blasphemũ, dicentem creaturam esse filium dei, & aduersus omnem hæresim, Sabellij, Fotini, Pauli Samosateni, Manichæi, Valentini, Martionis, & aduersus omnem omnino hęresim, si qua insurrexerit contra catholicam & apostolicã ecclesiam, quam omnes condemnauerũt Nicæa congregati episcopi trecenti decem & octo.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM, HABITVM AB CL. EPIscopis, sub Theodosio maiore, Siagrio & Eucherio consulibus. era. CCCCXIX. aduersus Macedoniũ.

HAE regulæ siue diffinitiones sunt expositæ ab Episcopis CL. qui in unum Constantinopolim conuenerunt, quando beatus Nectarius episcopus ordinatus est, damnato Maximo Cynico, quorum nomina & prouinciæ continentur in Græco.

Canon primus: Non spernendã esse fidem patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa Bythiniæ conuenerũt, sed manere eam ratam oportet: & anathematizare omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum, imò Anomianorum, qui latine sine lege dicuntur, & Arrianorum siue Eudoxianorum semina Arrianorum, nec non Pneumatomachorum, id est qui contra spiritum sanctum pugnant: & Sabellianorum &

& Marcellianorum & Fotinianorum & Apollinaristarum.

Episcopi qui extra dioecesim sunt, ad ecclesias quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant ecclesias secundum regulas constitutas. Alexandriæ quidem episcopi solius Orientis curam gerant, seruatis honoribus primatus ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicenæ synodi continentur. Sed & Asianæ dioecesis episcopi ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo dioecesim pertinent, gubernẽt. Ponti autem episcopi, Ponticæ tantum dioecesis habeant curam. Thraciæ uero, ipsius tantummodo Thraciæ.

3 Non inuitati episcopi ultra dioecesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, uel quibuscunq; disponendis ecclesiasticis causis, seruata regula quæ suprà scripta est, de unaquaq; dioecesi: manifestum nanq; est, quod per singulas quasq; prouincias prouincialis synodus administrare & gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicæa definita.

4 Ecclesias autem dei quæ sunt in Barbaricis gentibus constitutæ, regere atq; administrare oportet secundum consuetudinẽ quę à patribus obtinuisse dinoscitur.

5 Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propter quod sit noua Roma.

6 Propter totius indisciplinationis eius doctrinã quę Constantinopoli orta est, ut neq; maximus fuisse aut esse etiam putetur episcopus statutum est, neq; hi qui ab eo sunt ordinati qualemcunq; gradum clericatus obtineant, omnibus scilicet quæ circa eum uel ab eo gesta sunt in irritum reuocatis.

SYMBOLVM EIVSDEM CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.

CRedimus in unum deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium conditorem, & in unum dominum Iesum Christum filium dei unigenitum ex patre natum ante omnia secula, deum ex deo, lumen ex lumine, deum uerũ ex deo uero, natum non factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cœlo & quæ in terra, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria uirgine homo factus, passus est sub Pontio Pilato, ac sepultus, et tertia die resurrexit, ascendit in cœlos, sedet ad dextram patris, inde uenturus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus in spiritum sanctum dominum & uiuificatorem ex patre procedentem, cum patre & filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per prophetas, unam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum, & uitam futuri seculi, Amen.

Nomina CL. Sectarius Constant. Timotheus Alexandrię, Dorotheus à Corintho, Cyrillus Hierosolymitanus, Calasius Cæsarien. Macer Hiericõtius, Dionysius Diospolitanus, Priscianus Nicopolitanus, Saturninus, Sebastien. Auxentius Ascalo. Elianus Ranensis, Zenon Tyrius, Paulus Sydo. Deisbus à Ptolomaida, Philip. Damas. Varachus Peneaclensis, Timotheus, Basilides, Abbibo, Mochinius Araclensis, & cæteri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SYNODVS EPHESINA PRIMA DV CENTORVM EPISCOPORVM, HABITA ADVERSVS NE

storium Constantinopolitanum Episcopum, qui purum hominem ex sancta uirgine Maria natum asseruit, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in uerbo dei & carne sentiret, sed seperatim atq; seiunctim alterũ filium dei, alterũ hominis prædicaret. Cõuenit autem hæc synodus Theodosio iuniore tertiodecimo, & Valentiniano tertio cõsulibus, era. CCCCLXVIII. Cui synodo præsedit beatiss. quondam Cyrillus Alexandriæ Episcopus, qui cum omni concilio ad eundem Nestorium hæc synodalia decreta transmisit.

EPISTOLA EPHESINI CONCILII ad Nestorium.

RELIGIOSO & deo amabili consacertoti Nestorio Cyrillus, uel quicunq; sunt apud Ephesi synodum. Cum saluator noster aperte pronunciet, qui diligit patrẽ aut matrem super me, non est me dignus: & qui diligit filiũ aut filiam super me, non est me dignus: quid nos patiemur qui deposcimur à tua religione, ut te super Christum saluatorẽ omnium diligamus? Quid enim nobis in die iudicij proderit, aut quam satisfactionẽ reperire poterimus propter tam diuturnum silentium de prolatis à te contra eum blasphemijs? Et si quidem te tantummodo læderes, docens ista uel sentiens, solicitudo nobis minor existeret. Cum uero totam scandalizaueris ecclesiam, & fermentum insolitæ prauitatis & nouæ hæresis miscueris in populis, nec tantum ibidem positis, sed ubiq; consistentibus (nam tuarum expositionum libri per cuncta uulgati sunt) pro nostro silentio quæ oratio ultra uel excusationis sermo sufficiat? Aut quomodo non necesse sit meminisse Christi domini sic dicentis: Non putetis quod uenerim pacem mittere in terram: non ueni pacem mittere sed gladiũ: ueni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam. Nam cum lęditur fides, parentũ reuerentia uelut inutilis & periculosa despicit, & amor erga filios fratresq; uitatur, ad postremum etiam super ipsam uitam mors potius à pijs uiris eligitur, ut meliorem resurrectionem (sicut scriptum est) consequantur. Ecce itaq; te simul cum sancta synodo quę apud amplam urbem Romam cõgregata est, præsidente sanctissimo et reuerendissimo patre & cõsacerdote nostro Cœlestino episcopo, his scriptis synodicis te etiã tertio cõuenimus, consiliũ dantes ut à tam prauis abstineas dogmatibus quæ & sentire cognoscens & docere: recipias uero fidem rectam ecclesijs per beatissimos apostolos & euangelistas ab initio traditam, qui & oculis inspexerunt, & ministri uerbi fuisse monstrantur. Quod si hoc religio tua facere distulerit, iuxta dilationem literis præfinitam sanctissimi & reuerendissimi consacerdotis nostri Romanæ præsulis ecclesię Cœlestini, scias te nullam sortẽ habere nobiscum, nec locum aut conuiuium cum dei sacerdotibus & episcopis obtinere. Non em̃ fas est conteri non solũ ecclesias ita turbatas & scandalizatas populis, fidemq; rectissimã uiolatã dissipatamq;, quinetiã gregem quẽ custodire debueras, si quidẽ iuxta nos amator recti dogmatis extitisses, sanctorũ patrũ uestigia pia cõsectans. Omnes itaq; quos propter fidem tua religio à cõmunione remouit, aut ab ordine suo deposuit laicos & clericos in nostrã cõmunionẽ recipimus, nõ em̃ iustũ est eos tuis decretis opprimi qui nouerũt recta sentire: qui etiã benefacientes tibi prudentissime restiterũt, hoc idem nanq; in epistola quam misimus ad præsulem amplæ

amplæ Romæ sanctum & coepiscopũ nostrum Cœlestinũ significare curasti. Nõ autem sufficit uel tuæ religionis tantummodo fidei symbolum cõfiteri, quod expositum est per idem tempus, spiritu sancto largiente, & uenerando & magno cõcilio apud Nicæam cõgregato. Hoc enim nõ intellexisti, nec recte interpretatus es, quinimo peruerse, licet sono uocis eadẽ uerba protuleris. Sed consequens est etiã iureiurãdo fateri te quod anathematizes quidẽ tua polluta et prophana dogmata, sentias aũt & doceas quæ nos uniuersi per orientẽ seu per occidentẽ episcopi & magistri, præsulesq; populorum credimus & docemus. Epistolis autẽ ab Alexandria tuæ religionis directis ecclesia cõsensum præbuit, tam ea quæ apud urbem Romanam cõuenit sancta synodus, quàm etiã nos omnes uelut recte irreprehẽsibiliterq; conscriptis. Subdidimus autem his nostris quæ sentire oporteat & docere, & à quibus abstinere conueniat, hæc est enim fides catholicæ ecclesiæ, cui cuncti consentiunt orthodoxi per orientem occidentemq; pontifices.

CRedimus in unum deum patrem omnipotentẽ, omnium uisibiliũ & inuisibilium conditorẽ, & in unum dominũ nostrum Iesum Christũ filium dei, natũ de patre unigenitũ, hoc est, ex substantia patris, deum ex deo, lumẽ de lumine, deũ uerũ ex deo uero, natum non factũ, Homousion patris, hoc est, unius cũ patre substãtię, per quẽ omnia facta sunt in cœlo & in terra, qui propter nos homines & propter nostrã salutẽ descendit de cœlis. Et incarnatus est, & homo factus passus est, & resurgẽs tertia die ascendit in cœlos, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritũ sanctũ. Eos autẽ qui dicunt, erat tempus quando nõ erat, & antequã nasceret non erat, et quia ex nullis existẽtibus factus est, aut ex alia substãtia uel essentia esse dicunt, aut cõuertibilẽ uel cõmutabilẽ dei filium, anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Sequentes itaq; omniũ sanctorũ patrũ confessiones, quas loquente in eis sancto spiritu protulerũt, & intentioni quæ est in eorũ intellectibus ęquis uestigijs inhęrentes, atq; iter ambulantes regiũ, profitemur ꝙd ipsum unigenitũ dei uerbũ natũ ex ipsa patris essentia de deo uero deus uerus, lumẽ de lumine, per quẽ omnia facta sunt, siue in cœlis siue in terra, salutis nostrę causa descendẽs ad exinanitionẽ sese dignatus est inclinare: natus aũt & homo factus, id est, carnem de uirgine sancta suscipiens, eamq; propriã faciẽs, natiuitatẽ nostrã ex uulua sustinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat abijciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis & sanguinis, tamẽ etiã quod erat deus natura scilicet & ueritate persistens. Nec carnẽ itaq; dicimus in naturã deitatis esse cõuersam, nec in substantiam carnis inseparabilẽ dei uerbi essentiã cõmutatam. Incõuertibilis est enim & incommutabilis, idemq; ipse iuxta scripturas iugiter permanẽs. Visus est aũt & paruulus, positusq; in cunabilis, & sinibus genitricis uirginis cõstitutus uniuersam creaturã replebat, ut deus genitori suo indiuisus existeret. Quod diuinũ est enim, sine quantitate, & sine mole cognoscitur. Nec ullis terminis cõtineri uerbum dei secundum subsistentiã confitentes, unũ adoramus filium & dominũ Iesum Christũ, non seorsum ponentes, et determinantes hominẽ deum uelut inuicẽ sibi dignitatis & autoritatis unitati coniunctũ, hoc enim nouitas uocis est, & nihil aliud: nec item Christum specialiter nominantes dei uerbũ quod ex deo est, nec alterũ similiter Christũ specialiter qui de muliere natus est, sed unũ solummodo Christũ dei patris uerbũ cum propria carne cognoscimus. Tunc enim etiam iuxta nos unctus est, quamuis spiritum dignis ipse cõtulerit, & non ad mensurã, sicut beatus Ioannes Euangelista asseruit. Sed nec illud dicimus, quod dei uerbũ uelut hominẽ cõmunem qui de sancta uirgine natus est habitauerit, nec deũ homo Christus habitatorẽ possidere credat. Quamuis enim habitauerit in nobis, & dictum sit in Christo habitare omnẽ plenitudinem deitatis corporaliter, attamen intelligimus uerbum quod caro factum est, non sicut in sanctis habitare dicitur, nec talem in ipso habitationem factam diffinire

tentabimus, ſed unus iuxta naturam nec in carnem penitus commutatus talem ſi-
bi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur, ad proprium cor-
pus. Vnus igitur eſt Chriſtus & dominus, non uelut coniunctione qualibet in uni-
tate dignitatis & autoritatis hominis habentis ad deũ. Non em̃ poteſt unire natu-
ram ſola dignitatis æqualitas. Denicꝙ Petrus & Ioãnes æqualis ſunt ad alterutrũ di
gnitatis, propter quod apoſtoli & ſancti diſcipuli eſſe mõſtrant̃, ueruntamẽ utercꝙ
non unus eſt. Nec iuxta collationẽ uel connexionẽ modum cõiunctionis aduerti-
mus, hoc em̃ ad unitatem non ſufficit naturalẽ: nec ſecundum participationis effe-
ctum nos etiam ſicut adhærentes domino unus cum eo ſpiritus ſumus, imò potius
coniunctionis nomen euitamus, tanquã non exiſtens idoneũ quod ſignificat unita
tis arcanũ. Sed necꝙ deum aut dominũ Chriſti uerbũ dei patris aſſerimus, ne iterũ
manifeſtius in duo diuidamus, unum Chriſtũ filium & dominũ, & in crimen ſacri
legij recidamus, deũ illi ſeipſum facientes & dominum. Vnitus quippe ſicut ſupe-
rius diximus deus uerbũ carni ſecundum ſubſtantiã, deus quidem eſt omniũ & do
minator uniuerſitatis. Veruntamẽ nec ſeruus eſt ſibiꝓpſi nec dominus, quoniã ine-
ptũ eſt uel potius impiũ hoc ſentire uel dicere. Quamuis em̃ dicat deum ſuũ patrẽ,
cum ſit deus & de ſubſtantia eius, tamẽ nullatenus ignoramus quod manens deus
homo quocꝙ factus eſt, qui ſub deo debitã legẽ naturę humanitatis aſſumeret. Ipſe
uero ſibi quomodo uel deus poterit eſſe uel dominus? ergo ſicut homo quantũ de
center exinanitionis menſurę cõgruit ſub deo eſſe, nobiſcũ eſſe decreuit. Hoc etiã
quomodo ſub lege factus eſt, quamuis ipſe promulgauerit legem, & legislator ut
deus exiſteret, cauemus de Chriſto dicere. Propter aſſumentẽ ueneror aſſumptũ.
Et propter inuiſibilẽ adoro uiſibilẽ. Horrendũ uero ſuper hoc eſt etiã illud dicere, is
qui ſuſceptus eſt cũ eo qui ſuſcipit nuncupat̃ deus. Qui em̃ hęc dicit, diuidit iterũ in
duos Chriſtos eũ qui unus eſt, hominẽ ſeorſum in parte, & deũ ſimiliter in parte cõ
ſtituens. Euidenter em̃ denegat unitatẽ, ſecundum quã non alter cum altero coado
ratur, aut nuncupat̃ deus, ſed unus intelligit̃ Chriſtus Ieſus filius dei unigenitus,
una ſeruitute cum propria carne uenerandus. Cõfitemur etiã quod idem ipſe qui
ex deo patre natus eſt filius unigenitus deus, licet iuxta naturã ſuam expers paſſio-
nis extiterit, pro nobis tamen ſecundũ ſcripturas carne percuſſus uel perpeſſus ſit,
& erat in crucifixo corpore proprie carnis impaſſibiliter ad ſe referens paſſionem.
Gratia uero dei pro omnibus guſtauit mortẽ, tradens et propriũ corpus, quãuis &
naturaliter ipſe uita ſit, & reſurrectio mortuorũ. Nam ut mortẽ ineffabili potentia
proculcaret, ac prius in ſua carne primogenitus deus licet iuxta naturã ſuam mor-
tis expers, ex mortuis fieret primitię dormientiũ, uiamꝙ faceret humanę naturę ad
incorruptionis recurſum, gratia dei ſicut ſuprà dictum eſt pro hominibus guſtauit
mortẽ, et tertia die reſurgẽs expoliauit infernũ. Idcirco q̃uis dicat̃ quod per hominẽ
facta ſit reſurrectio mortuorũ, tamen intelligimus hominẽ factũ uerbũ quod ex deo
eſt, et per ipſum mortis imperiũ fuiſſe deſtructũ. Veniet aũt tẽporibus præfinitis ſi-
cut eſt unus filius & dominus in gloria patris, ut iudicet orbẽ terrarũ in ęquitate, ſi
cut ſcriptura teſtat̃. Neceſſariò igit̃ et hoc adijcimus: annunciantes em̃ ſicut ſecun-
dum carnem mortẽ unigeniti filij dei, id eſt, Ieſu Chriſti & reſurrectionẽ eius, & in
cœlis aſcenſionẽ pariter cõfitentes, incruentã celebramus in eccleſijs ſacrificij ſerui
tutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur particeps
ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omniũ noſtrũ redemptoris effecti, non
ut cõmunẽ carnem percipientes (quod abſit) nec ut uiri ſanctificati & uerbo cõiun
cti ſecundũ dignitatis unitatẽ, aut ſicut diuinã poſſidentes habitationẽ, ſed uere ui-
uificatricẽ & ipſius uerbi propriã factã. Vita em̃ naturaliter ut deus exiſtens, quia
ꝓprie carne unitus eſt, uiuificatricẽ eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo q̃uis dicat ad nos,
Ioan.6. Amẽ amẽ dico uobis, niſi manducaueritis carnẽ filij hoĩs, et biberitis eius ſanguinẽ non

nõ tamẽ eam ũt hominis unius ex nobis exiſtimare debemus: quomodo em̃ iuxta
naturã ſuam uiuificatrix eſſe caro poterit hominis? ſed ut uere propriã eius factã,
qui propter nos filius hominis eſt factus & uocatus. Eas aũt uoces, quas ſaluator in
euangelijs protulit, non in duabus ſubſtantijs aut perſonis omnino patimur. Non
enim duplex eſt unus Chriſtus & deus ſolus, quamuis ex duabus diuerſisꝙ rebus
ad unitatem cognoſcitur indiuiduam conueniſſe, ſicut homo quoque ex anima
cõſtat & corpore, nõ duplex unus, ſed potius eſt ex utrocꝙ. Humanas ergo & diui
nas inſuper uoces ab uno Chriſto dictas animaduertentes recte ſentimus. Cum
enim de duobus digniſſime loquitur de ſeipſo: Qui me uidet, uidet & patrem: &,
ego & pater unum ſumus: diuinam eius intelligimus ineffabilemꝙ naturã, ſecun-
dum quam unus eſt cum patre ſuo propter unam eandemꝙ ſubſtantiam, imago
& character ſplendor gloriæ eius exiſtens. Cum uero humanæ naturæ menſuram
nullatenus ignorans Iudæos alloquitur: Nunc me quæritis occidere hominem qui
ueritatem loquutus ſum uobis: item non minus eum qui in ſimilitudinem & ęqua
litatem patris eſt deum uerum etiam in menſuris humanitatis eius agnoſcimus. Si
autẽ neceſſariò creditur quod natura deus exiſtens, factus ſit caro, imò potius ho-
mo animatus anima rationali, quæ cauſa eſt ut in eius quilibet uocibus erubeſcat,
ſi eas homine dignas effatus eſt? Quod ſi ſermones homini congruentes abijcit, iu-
xta nos hominem fieri quid coëgit? Cum uero ſe propter nos ad exinanitionem
ſpontaneam miſericorditer inclinauerit, quam ob cauſam dignos examinatione
ſermones effugerit? Vni igitur perſonæ cuncta eius in Euangelio aſcribimus,
uni ſubſtantiæ uerbi ſcilicet incarnati, quia unus eſt dominus Ieſus Chriſtus, ut ſcri
ptum eſt. Appellatum uero ab apoſtolo pontificem confeſſionis noſtręꝙ tanquam
ſacrificantem deo & patri fidei noſtræ confeſſionem, quæ à nobiſipſis ipſi deo pa-
tri inceſſanter offertur, iterum ipſum eſſe dicimus ex deo ſecundum naturam fi-
lium unigenitum, nec homini præter eum alteri ſacerdotij nomen & officium de-
putamus, factus eſt enim mediator dei & hominum, & reconciliator ad pacem,
ſemetipſum deo & patri pro nobis offerens in odorem ſuauitatis. Ideoꝙ dicebat:
Sacrificium & oblationem noluiſti, holocauſta pro peccato non tibi placuerunt, Pſal. 93.
corpus autem perfeciſti mihi, tunc dixi, ecce uenio. In capite libri ſcriptum eſt de
me, ut facerem deus uoluntatem tuam. Obtulit enim proprium corpus non pro
ſe, ſed pro nobis in odorem ſuauitatis. Nam qua pro ſe uel oblatione uel ſacrificio
indigeret, omni peccato liber ut deus exiſtens? Quod ſi omnes peccauerint, & e-
gent gloria dei ſecundum hoc quod ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores
effecti peccatis, ęgrotauit humana natura. Ipſe uero non ita: ideoꝙ nos gloria eius
egemus. Cur erit ultra iam dubium, quod agnus uerus pro nobis ſit immolatus?
Qui autem dicit, quia ſeipſum tam pro ſe quàm pro nobis obtulerit, nullatenus im
pietatis crimen effugiet, cum nihil prorſus iſte deliquerit, nec ullum fecerit omni
no peccatum. Qua igitur egeret oblatione nullo ſuo exiſtente facinore? pro quo ſi
eſſet ſatis admodum conuenienter offerret.

De ſpiritu quoꝙ cum dicit, Ille me clarificabit, hoc rectiſſime ſentientes, unum
Chriſtum dominũ & filium non uelut alterius egentem gloria cõfitemur à ſpiritu
ſancto gloriam conſecutum, quia eius ſpiritus, nec melior nec ſuperior ipſo eſt. Sed
quia humana opera faciẽs ad demonſtrationẽ ſuę deitatis uirtute ꝓprij ſpiritus ute
bat̃, ab ipſo glorificari dicit̃, quod uirtus ſua uel diſciplina quęlibet unũquenꝙ cla-
rificet. Quamuis em̃ in ſua ſit ſubſtantia ſpiritus eius, & intelligat̃ in perſona pro-
prietas iuxta id quod ſpiritus eſt & non filius, attamen alienus ab illo non eſt. Nam
ſpiritus appellatus eſt ueritatis, & ueritas Chriſtus eſt, unde & ab iſto ſimiliter ſicut
ex deo patre ꝓcedit. Denicꝙ hic & ipſe ſpiritus etiã per ſanctorũ manus apoſtolorũ
miracula glorioſa perficiẽs dominũ glorificauit Ieſum Chriſtũ, poſtq̃ aſcẽdit in cœ

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum. Nam creditus est Christus natura deus existens, per suum spiritũ uirtutes efficiens: ideoq; dicebat, de meo accipiet, & annunciabit uobis. Nequaquã uero participatione alterius idem spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ uirtutis & sapientiæ, id est, filij spiritus creditur, & ideo ipse re & subsistente uirtute uirtus & sapientia cõprobatur. Igitur quia deum carne unitum iuxta subsistentiã sancta uirgo corporaliter peperit, idcirco eam dei genitricem esse profitemur, nõ quod uerbi natura existendi principium de carne sortita sit. Erat enim in principio uerbum, & deus erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & ipse conditor seculorum patri coæternus & uniuersitatis conditor: sed quod superius diximus, iuxta subsistentiam sibimet uniens humanã naturam, natiuitatẽ sustineret ex ipsa uulua corporea. Non quod eguerit necessariò propter suam naturam natiuitate quæ est in extremis seculi factа temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias. Et dum deũ carne unitum mulier ædidisset, illa quæ aduersus omne genus humanum maledictio fuerat prolata desineret, nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoq; quod dictum est, in tristitia paries filios, ipse dissoluẽs uerum esse monstraret quod prophetę uoce prædixerat, Absorpta est mors in uictoria. Et iterum: Abstulit deus omnem lachrymã ab omni facie. Propter hanc enim causam dicimus eum dispensatorie, & ipsis tunc benedixisse nuptijs, cum in Chana Galilææ cũ sanctis uocatus fuit Apostolis. Hæc sapere edocti sumus tam à sanctis Apostolis quàm Euãgelistis, & ab omni scriptura diuinitus inspirata, necnon & à beatis patrum cõfessionibus ueritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter alium dolum consentire conuenit. Quæ uero huic religioni tuæ anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subiecta sunt.

CONCILII EPHESINI DECRETA. I.

SI quis nõ confitetur deum esse ueraciter Emanuel, et propterea dei genitricem sanctam uirginem, peperit enim secundũ carnem, carnem dei factum uerbum, secundũ quod scriptum est, uerbum caro factum est, anathema sit.

2 Si quis non confitetur carni secundum substantiã unitum dei patris uerbum, unumq; esse Christum cum propria carne eundem, scilicet deum simul & hominem, anathema sit.

3 Si quis in uno Christo diuidit substantias post unitatem, sola eas connexione coniungens ea, quæ secundum carnis dignitatem sit, uel etiam autoritatem & potestatem, ac non potius cõuentu qui per unitatẽ factus est naturalẽ, anathema sit.

4 Si quis personis duabus uel subsistentijs eas uoces quæ in apostolicis scriptis continentur & Euangelicis diuidit, uel quæ de Christo dicuntur à sanctis uel ab ipso, & aliquas quidem ex his uelut homini qui præter dei uerbum specialiter intelligatur aptauerit, illas autem tanquam dignas deo soli dei patris uerbo deputauerit, anathema sit.

5 Si quis audeat dicere hominẽ Christum theophoron, id est, deiferum, ac non potius deum esse ueraciter dixerit, tanquã filium per naturam secundũ quod uerbum factũ est caro, & cõmunicauit similiter ut nos carni & sanguini, anathema sit.

6 Si quis dicit deum esse uel dominum Christi dei patris uerbum, & non magis eundem ipsum cõfitetur deum simul & hominem, propterea quod uerbum caro factum est secundum scripturas, anathema sit.

7 Si quis uelut hominem Iesum operante deo uerbo dicit adiutum, & unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

Si quis

8 Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum deo uerbo, & cõglorificandum & connuncupandum deum tanquam alterum cum altero: nam *cum* syllaba superadiecta hæc cogit intelligi: ac nõ potius una supplicatione ueneratur Emanuel, unamq; ei glorificationem dependit, iuxta quod uerbum caro factum est, anathema sit.

9 Si quis unum dominum Iesum Christum glorificatũ dicit à spiritu sancto, tanquam qui aliena uirtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciã contra immundos spiritus, posse & coram hominibus diuina signa perficere, ac nòn potius proprium fatetur eius spiritum per quem diuina signa expleuit, anathema sit.

10 Pontificem & apostolum confessionis nostræ factum esse Christũ diuina scriptura cõmemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis deo & patri. Si quis ergo pontificem & apostolum nostrum dicit factum nõ ipsum dei uerbum, quando caro factum est & homo iuxta nos homines, sed uelut alterũ præter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis, nõ enim eguit oblatione qui peccatum omnino nescisuit, anathema sit.

11 Si quis non confitetur carnem domini uiuificatricem esse, & propriam ipsius uerbi dei patris, sed uelut alterius præter ipsum coniuncti eidem per dignitatẽ, aut quasi diuinam habentis habitationem, ac non potius uiuificatricem esse, quia facta est propria uerbi uiuificare ualentis, anathema sit.

12 Si quis non confitetur dei uerbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factum primogenitum ex mortuis secundum quod uita est, & uiuificator ut deus, anathema sit.

13 Ait igitur magna & sancta synodus, ipsum qui est ex deo patre naturaliter natus, filium unigenitum deum de deo uero, lumẽ de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit pater, hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, & resurrexisse tertia die, ascendisse rursus in cœlos. Hæc nos sequi uerba debemus, his nos conuenit obtemperare dogmatibus, cõsiderantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum dei uerbum. Non enim dicimus quod dei natura conuersa uel immutata sit, sed magis quod carnem animatam anima rationali sibi copulauerit, uerbumq; substantialiter ineffabiliter & incomprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis non nuda tantũmodo uoluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diuersæ quidem naturę in unum conuenerunt, unus tamen ex ambobus Christus & filius non euacuata uel sublata diuersitate naturarũ per cõiunctiones, sed quia simul nobis effecerũt, ut unum deum & Christum & filium, id est, diuinitas & humanitas per arcanam illam ineffabilemq; copulationem ad humanitatem. Itaque is qui ante secula omnia est natus ex patre, etiam ex muliere carnaliter est procreatus. Non quia diuina ipsius natura de sacra uirgine sumpsit exordium, nec propter seipsum opus habuit secundo nasci post illam natiuitatem quam habebat ex patre. Est enim ineptum & stultum hoc dicere quod is qui ante omnia secula & consempiternus patri, secundæ generationis eguerit, ut esse inciperet: sed quia propter nostram salutem naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere, idcirco dicitur esse natus carnaliter. Neq; enim primum natus est homo cõmunis de sancta uirgine, & tunc deum inhabitauit in eo uerbum, sed in ipsa uulua uteroq; uirginali secum carnem coniunxit & sustinuit generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem faciens. Sic illum diximus passum esse & resurrexisse, non quia deus uerbum in sua natura passus sit aut plagas, aut clauos, & transfixiones, aut alia uulnera susceperit: Deus nanq; incorporalis & extra passionem est: sed quia corpus illud quod ipsius proprium factũ est, hoc sustinuit. Ideo hæc omnia pro nobis ipsis dicitur passus, inerat

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim in eo corpore quod patiebat, deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus: immortale enim & incorruptibile est naturaliter & uita & uiuificans deus uerbum: sed quia corpus ipsius propriū gratia dei, iuxta Pauli uocem, pro omnibus mortē gustauit, idcirco ipse dicitur mortem passus pro nobis. Non quod ipse mortem esset expertus, quantū ad ipsius naturam pertinet (insania enim est hoc uel sentire uel dicere) sed quod (ut diximus) uera caro ipsius mortem gustauit. Ita & resurgente carne ipsius rursus resurrectionē dicimus, nō quia in corruptionem ceciderat (quod absit) sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christum unum, & dominum confitemur, non tanquam hominē cum uerbo coadorantes, ut diuisionis quędam species inducatur, sed unum iam & eundem adorantes, quia nō est alienū à uerbo corpus suum cum quo ipse etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus quasi duobus filijs assidentibus, sed unà cum carne per unitatem: quia si talem copulationē factā per substantiā, aut quasi prępassibilē, aut quasi parum decorā uoluerimus accipere, in id incidemus, ut duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere, & dicere hominem separatim fuisse, sola filij appellatione honoratū: & rursus uerbum quod est ex deo in homine in ueritate filium dei. Sed discernere in duos filios non debemus unum dominū Iesum Christū. Neq; enim adiuuat rectam fidei rationē, licet nonnulli copulationē nescio quam perhibeant personarū. Non enim dicit scriptura, uerbū dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnē factum esse. Id autem est ostendere dei uerbum similiter ac nos principium habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum proprie suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, non abiecta uel deposita deitate, ut generationem illam amitteret, quam habebat ex patre, sed mansisse etiam in assumptione carnis deum quod erat. Hoc itaq; rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos patres fuisse comperimus, ideoq; illi non dubitauerunt sanctam uirginē dicere theotocon, nō quia uerbi natura deitasq; in sancta uirgine sumpsit exordiū, sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum dei uerbū, carnaliter natū esse dicitur. Hæc igitur pro charitate in Christo scribo tibi, quærens tanquā fratrē & cōtestans coram deo & electis eius angelis, ut hæc nobiscum sentias simul & doceas, ut Ecclesiarum pax saluetur, & concordiæ charitatisq; uinculum indissolubile maneat sacerdotibus.

CONCILIVM CHALCEDONENSE

DCXXX. EPISCOPORVM, VALENtiniano VI. & Ahino consulibus, era. CCCC. LXIX. aduersus Euticen & Dioscorum.

CONSVLATV pijssimi & amatoris Christi, Flauij Martiani perpetui Augusti, die Idus Octobris, synodus facta in Chalcedonensi ciuitate metropoli prouincię Bythinię, ex decreto synodorū & fidelissimorū uerborum Imperatorū Valentiniani & Martiani, cōuenientibus in ecclesia sanctę ac triumphatricis martyris Leusemię, gloriosissimis principibus, id est, magnificentissimo & gloriosissimo magistro militum ex præfecto & ex cōsule patritio Anatholio, & magnificentissimo & gloriosissimo præfecto sacri prætorij præfecturæ Palladio, & magnificētissimo præfecto urbis Tatiano, & magnificentissimo & gloriosissimo magistro diuini officij Vincomalo, & magnificentissimo & gloriosissimo magistro Martiali, & gloriosissimo & magnificētissimo comite domesticorū Sporatio, & magno comite rerum priuatarū Genetholio, appositis

sitis etiam ex glorioso senatu, id est, magnificentissimo & gloriosissimo exprefecto prætorij sexies exconsule ordinario & patritio Florentio, & magnificentissimo & gloriosissimo exconsule ordinario & patritio senatore, & magnificentissimo & gloriosissimo magistro exconsule ordinario patritio Nomo, & magnificentissimo & gloriosissimo expræfecto & exconsule ordinario & patritio Protogenio, & magnificentissimo & gloriosissimo magistro expræfecto Zoilo, & magno & glorioso exprefecto urbis Apollonio, & magnificentissimo exprepposito urbis Artaxerse. Cōcilio autem totius orbis secundū diuinū præceptū in Chalcedona ciuitate cōgregato, id est, Paschasino & Lucentio episcopis, & Bonifacio presbytero, conuenientibus legatis uenerabilis & sancti archiepiscopi antiquæ Romæ Leonis, conuenientę & sancto Anatholio archiepisco magnificentissimo Constantinopolitano nouæ Romæ, & reliquis sanctissimis & reuerendissimis sexcentis triginta episcopis: Ecce aduenientibus omnibus ante cancellos sancti altaris cum magnificentissimo & eximio senatu, aduenientę etiā pijssimo Imperatore Martiano in supradicta sanctissima Basilica, præsente etiā zelo diuino, calore fidei accensa, pijssima & fidelissima regina Augusta pulcherrima, sanctā synodū allocutus est sic: Cum primū per electionē in regnum de secreto dei prouecti sumus, inter tantas publicas utilitates nullū magis nos cōstrinximus ad negotiū, quàm rectam & ueram fidē Christiano rum, quę sancta & ueneranda consistit, indubitatā omnibus declarare. Manifestū est enim quod ex auaritia uel uano studio, hi qui præcedentibus tēporibus diuersa sapuerunt, & docuerunt populū prout eis placuit, nō prout conuenit, neq; quod ueritas, aut doctrina patrū exquirit, multi ad errorē seducti sunt: unde sanctā synodum scilicet ad istam fieri perfectionē properamus, & laborē uobis arbitrati sumus imponere, ut omni errore caliginis detersо, secundum quod ipsa diuinitas hominibus se fieri manifestā esse uoluit, & patrū demōstrauit doctrina, sic fides nostra quę pura & sancta cōsistit, in omniū ingrediens animas proprię ueritatis effulgeat luce. De cætero audeat nemo de natiuitate domini & saluatoris nostri Iesu Christi aliud disputare, præter quod apostolicū procœmiū CCCXVIII. sanctorū patrū consonans huic doctrinę, tradidisse nosc̄t, sicut sanctissimi Papę Leonis, qui apostolicū gubernat thronū, ad sanctæ memorię Flauianū regiæ urbis Cōstantinopolitanę quondā episcopū testanē literæ. Nos enim ad confirmandā fidem, nō ad ostendendā uirtutem, exēplo Imperatoris Cōstantini, adesse synodo excogitauimus, ne in posterū multitudo populi institutionibus prauis attracta inueniat̄ dissentiens: facile enim simplicitas quorundā cōmentis ceu locuti sumus usq; nunc delusa est, quoniā manifeste diuersorū prauis doctrinis discordiæ & hæreses ostensæ sunt. Nobis autem omne studiū adhibendū est, populum propter uerā sanctamq; doctrinā idipsum sentientē uni rectæ applicare ecclesiæ: & ideo uerā fidem catholicamq; etiam exponere secundū patrū doctrinā, concordantibus animis uestris, uestra properet reuerentia, ut qualiter in Nicęna synodo usq; in hoc tempore absciso errore uera fides est hominibus cognita, sic & nunc per hanc sanctā synodū deposita nebula quæ in eis paucis annis (ut superius diximus) ex prauitate & auaritia quorundam uisa est exoriri, semper seruenē quæ statuta sunt. Erit quidē diuinæ prouidentiæ, quod pie fieri uolumus in secula hoc conseruare firmissime. Et post regis hæc uerba, omnes episcopi clamauerunt Martiano nouo Cōstantino, multi anni regi, multi anni reginæ, orthodoxis multi anni, Martiani amatoris Christi regnum in secula permaneat, digni orthodoxę fidei amatoris Christi. Sit à nobis procul inuidia. Et post hęc Etius archidiaconus Constantinopolis nouæ Romæ, & primicerius notariorum dixit: Nutu supernæ gratiæ, zelo diuino serenitatis uestræ, pijssimi, quibus à deo omne regnū cōcessum est, Imperatores, circa sanctionē uestrā cōgregata hæc sancta & magna totius mundi synodus, sicut cum plurima multorū dierum uocatione

& diuina diligentia omnem quidē in præterito quomodo exorta est contra rectam & inuiolabilem catholicā nostram fidē uerbo ueritatis discordiā effugauit, omnem abigēdo innouationē, sicut in scriptis per secula quę subsequunt acta demōstrant. Terminū uero simplicē statuit diuinarū scripturarū uirtute munitum, & sanctorū ac beatissimorū in ipso conseruat sententiā, ad ueram quidē scientiā syncere legentium, & ad longęuam coronā uestri Imperij. Et habeo ipsum præ manibus, & si uidetur nutui uestræ serenitatis perlegam. Pijssimus & fidelissimus Imperator dixit, perlege. Etius archidiaconus perlegit. Sancta & magna & uenerabilis synodus quæ secundum gratiam dei ex decreto pijssimorū Imperatorum Valentiniani & Martiani augustorum cōgregata est in Chalcedonensi ciuitate metropoli prouinciæ Bythiniæ, in basilica sanctæ ac triumphatricis martyris Eusemiæ, statuit quæ subter comprehensa sunt.

Ioan.14. DOminus & Saluator noster Iesus Christus fidei agnitione proprios confirmans discipulos ait: Pacem meam do uobis, pacē meā relinquo uobis, ut nulla fidei dissentio in proximos oriatur, sed ex ęquo ueritatis prędicatio ostendat. Sed quia non desinit malignus in ipsis pietatis seminibus zizania sua inserere, & noui aliquid aduersus ueritatē semper excogitare, idcirco dominus noster humano generi solito cupiens prouidere, pijssimū hunc & fidelissimū Imperatorem erexit ad zelum, qui undiq; sacerdotum pontifices ad se cōuocauit, ut gratia domini nostri Iesu Christi cooperante, omnem mēdacij pestilentiā ab ouibus Christi remoueat easq; ueritatis germinibus reficiat, quod ex communi decreto peregrinas erroris quidē sectas abijcientes, & patrum rectam fidem renouantes, trecentorū decem & octo symbolū omnibus prædicantes. Et uelut horum domesticos centū quinquaginta patres qui Constantinopolim cōuenerunt, huic pijssimo titulo ascribimus, quoniā & ipsi eandem fidem subsignauerunt. Statuimus igitur ordinē, & omnes fidei formulas custodientes, etiam sanctam synodū Ephesi factam, cuius autores fuerūt uenerabilis memoriæ Cœlestinus Romanæ urbis, & Cyrillus Alexandrinæ ecclesiæ sacerdotes, ut præfulgeat quidem rectæ & inculpabilis fidei expositio trecentorum decem & octo sanctorum patrum qui in Niceą sub Constantino pię memoriæ Imperatore conuenerunt, contineatur & centū quinquaginta sanctorum patrum in urbe Constantinopolitana decretum ad peremptionem quidem sectarum tunc pullulantium, confirmationem uero ipsius catholicæ atq; apostolicæ nostræ fidei.

SYMBOLVM NICENI CONCILII.

CRedimus in unum deum patrem omnipotentem, omnium uisibilium & inuisibilium conditorem. Et in unum dominū Iesum Christū filium dei, de patre natum unigenitū, hoc est, de substantia patris, deum uerū de deo uero, natum non factū, Homousion patris, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quē omnia facta sunt quæ in cœlo & quæ in terra, qui propter nos & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est. Homo factus passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctū. Eos autem qui dicunt, erat quando nō erat, & antequā nascereť non erat, & quia ex nullis existentibus factus est, aut ex alia substistentia uel substantia dicūt esse, aut cōuertibilem filium dei, anathematizat catholica & apostolica ecclesia, & idipsum centū quinquaginta patrum symbolū: Credimus in unum deum patrem omnipotentē, factorem cœli & terræ, uisibilium & inuisibilium conditorem. Et in unum dominum Iesum Christum filium dei unigenitū, ex patre natum ante omnia secula, deum de deo, lumen de lumine, deum uerum de deo uero, natum non factū, Homousion patri, id est, eiusdē cum patre substantię, per quem omnia facta sunt, qui propter nos & propter nostram salutem descendit, Et incarnatus est de spiritu

spiritu sancto ex Maria uirgine, & homo factus, passus est sub Pontio Pilato, sepultus est, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram dei patris, iterum uenturus iudicare uiuos & mortuos, cuius regni nō erit finis. Et in spiritum sanctum dominum & uiuificantem, ex patre procedentem, cum patre & filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per prophetas. Vnam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem omnium peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & uitam futuri seculi, Amen. Sufficeret quidem ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem, cautissimum & salutare diuinæ gratię symbolum: de patre enim & filio, & spiritu sancto doctrinam perfectā edocet, & incarnationem dominicam fideliter suscipientibus manifestat. Sed quoniā hi qui prædicationē ueritatis destruere conantur, quasdam propriæ hęreseos nouitates parturiūt: quidam enim mysterium pro nobis actum diuinæ dispensationis audent corrumpere, & uocem illam diuini patris factam ad uirginem denegant: alij temperamentū confusionemq; inducentes, & unam esse naturam carnis & deitatis insensate cōponentes, passibilem unigeniti diuinam naturam tali confusione prodigiose diuulgant. Idcirco omnem aduersus ueritatem opponendā ab ipsis machinationē uolens excludere sancta & magna uniuersalis synodus, hanc prędicationē immobilē docens statuit, precipue trecentorū decem & octo sanctorū patrum fidem incontaminatā manere. Et propter eos qui spiritui sancto aduersantur, centum quinquaginta patrū paulò posteriore tempore in urbe Constantinopolitana cōuenientium, de substantia spiritus sancti traditam doctrinā corroborat, quam etiam illi omnibus insinuauerunt, non quod in præcedentibus aliquid deesset adijcientes, sed de spiritu eorundem intellectum, aduersus eos qui deitatis eius dominationē nituntur demergere, scripturarum testimonijs plenius manifestantes. Propter eos sanè qui dispensationis mysterium tentant corrumpere, & purum hominē esse, qui ex sancta Maria uirgine natus est, imprudenter diuulgant, beatissimi quondā Cyrilli Alexandrinę Ecclesię sacerdotis synodicas epistolas, tam ad Nestoriū quàm ad cæteros per orientem congruas & sibi cōsentientes, suscepit, ad confutationē quidem Nestorianę amentię, & ad interpretationem eorum qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum. Quibus & epistolā sancti ac beatissimi primæ sedis archiepiscopi Leonis scriptam ad Flauianum sanctæ recordationis archiepiscopū, ad perimendam Eutycetis malignitatē, quæq; magni Petri confessioni concordantem, cōmunem quandam pugnam cōsistentem cōtra eos qui non recte glorificant, ad confirmationem catholicæ religionis euidēter subiunxit. Nam eos qui in duos filios dispensationis dominicæ mysteriū scindere moliūtur execrati, & eos qui passibilem diuinitatem unigeniti filij audent asserere, de concilio sacerdotū repellit, & eis qui in duabus naturis Christi permixtionē, uel confusionē argumentantur, aduersatur. Et qui cœlestem aut alterius cuiusq; substantiā existere formam serui quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserunt, procul abijcit. Et eos qui duas ante adunationē naturas domini delirant, unam uero post adunationē confingunt, anathematizat. Cōsentientes sanctis patribus, unum eundemq; filium confiteri dominū nostrum Iesum Christum cōsona uoce edocemus, pariter perfectum eundem in deitate deum, & hominē uerum eundem ex anima rationali & corpore, secundū diuinitatē unius cum patre naturæ, secundū humanitatē eundē unius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis absq; peccato, ante secula quidē ex parte natum secundū diuinitatem, in nouissimis uero diebus eundē propter nos & propter nostrā salutem hominem factū, hunc unum eundemq; Christū filium dominū unigenitū in duas naturas, inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter cognoscendum, in nullo naturarū differētias propter unitatē perimendas, magis autē salua utriusq; naturę

proprietate & in una coëunte persona, unoq; statu cõcurrente nõ in duabus personis partiendũ, uel diuidendũ, sed unum eundemq; filium unigenitũ deum uerbum dominũ Iesum Christũ, sicut ab exordio Propheţe de eo, & ipse nos erudiuit, & nobis tradidit symbolum. His itaq; cum omni undiq; subtilitate & diligentia à nobis ordinatis, statuit sancta & uniuersalis synodus aliã fidẽ nulli licere profiteri, aut scribere, aut docere, aut dicere aliter. Qui autẽ audent exponere aliam fidem, aut proferre, aut docere aliud symbolum, uolentibus conuerti ad scientiam ueritatis, ex gentilibus, ex Iudæis, uel hæreticis quibuscunq;, si quidem episcopi aut clerici fuerint, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos à clero. Si uero monachi uel laici fuerint anathema fieri.

CONCILII CHALCEDONENSIS DECRETA. I.

REgulas sanctis patribus in unaquaq; synodo usq; nunc prolatas, proprium robur obtinere statuimus.

2 Si quis episcoporũ accepta pecunia ordinationẽ fecerit, & sub precio deduxerit impreciabilem gratiam, atq; ordinauerit per pecunias episcopum, siue coëpiscopum, siue presbyterum, siue diaconum, aut quemcunq; alium qui connumeratur inter clericos, aut accepta pecunia ordinauerit œconomum, id est, defensorem siue paramonarium: quicunq; ergo hæc meditatus fuerit, siue conuictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum: & qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio & creatione probrosa, sed sit alienus & dignitatis & solicitudinis eius quam per pecunias intrauit: sed & ille qui tam turpibus & illicitis intercessor apparuit, si quidem clericus fuerit, de proprio discedat gradu, si uero laicus siue monachus fuerit, anathema sit.

3 Peruenit in sanctam synodum, quia de his qui in clero cõnumerantur, quidam propter turpis lucri gratiã maiorum possessionũ conductiones & causas seculares suscipiunt, & seipsos quidẽ à ministerijs sanctis per desidiã separant, ad domos autẽ secularium concurrunt, & substantiarũ eorum gubernationes auaritiæ causa suscipiunt. Decreuit ergo sancta & magna synodus, neminẽ deinceps eorũ, hoc est, nõ episcopũ, siue clericũ, aut monachũ cõducere possessiones, aut miscери secularibus procurationibus, nisi fortè qui legibus ad minorũ tutelas ætatum, siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui ipsius ciuitatis episcopus ecclesiasticarũ rerum cõmiserit gubernacula, uel orphanorũ, aut uiduarũ quæ indefensæ sunt, aut earũ personarum quæ maxime ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorẽ dei. Si quis uero transgressus fuerit statuta, correptioni ecclesiasticæ subiaceat.

4 Qui uerè & purè solitariã eligunt uitam, digni sunt conuenienti honore. Quia tamen quidã monachi habitu utentes indifferenter, per ciuitates, necnon & monasteria, seipsos propria præsumptione cõmendant, placuit neminem, aut ędificare, aut constituere monasteria, aut oratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis episcopi. Eos uero qui per singulas ciuitates seu possessiones in monasterijs sunt, subiectos esse debere episcopo, & quieti operã dare, atq; obseruare ieiunia & orationes in locis in quibus semel deo se deuouerunt permanentes, & neq; cõmunicare ecclesiasticas neq; seculares aliquas attrectare actiones relinquentes propria monasteria, nisi fortè iubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius ciuitatis episcopo: & neminem seruorum suscipi in monasterium ut sit cum eis monachus, nisi cum domini proprij conscientia. Prætereuntem uero hæc, decreuimus extra cõmunionem esse, ne nomen domini blasphemetur. Conuenit ergo ciuitatis episcopo, curam solicitudinemq; necessariam monasterijs exhibere.

5 Pro-

5 Propter eos episcopos siue clericos qui de ciuitate ad ciuitatem transeunt, placuit definitiones datas à sanctis patribus habere propriam firmitatem.

6 Neminem absolute ordinari presbyterũ uel diaconum, nec quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutũ, nisi manifeste in ecclesia ciuitatis siue possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio hic qui ordinaẽ mereaẽ ordinationis publicare uocabulũ. Eorũ qui absolute ordinantur, decreuit sancta synodus uacuam habere manus impositionẽ, & nullum tale factũ ualere ad iniuriã eius qui eum ordinauit.

7 Eos qui semel in clero taxati fuerunt, siue in monasterijs deputati, decreuimus neq; ad militiam, neq; ad honores seculares uenire. Eos autem qui hoc àusi fuerint facere, & nõ actum rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem reuertantur, quod ante obtentum dei proposuerunt sibi, anathematizari.

8 Clerici in parochijs, monasterijs, aut martyrijs constituti, sub potestate sint eius qui in ea est ciuitate episcopus, secundum traditionem sanctorũ patrum, nec per præsumptionem recedant à suo episcopo. Eos uero qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocunq; modo, uel si noluerint subiacere proprio episcopo, si quidem fuerint clerici, pro personarum ordinatione subiaceant condemnationibus canonum: si uero monachi seu laici fuerint, communione priuentur.

9 Si clericus aduersus clericum habeat negotiũ, non relinquat suum episcopum, & ad secularia iudicia cõcurrat, sed prius negotium agitetur apud propriũ episcopum: uel certe si fuerit iudicium ipsius episcopi, apud arbitros ex utraq; parte electos audiatur negotium. Si quis uero contra hæc fecerit, canonum subiaceat correptionibus. Et si clericus aduersus suum uel alium episcopũ habeat causam, apud audientiam synodi prouinciæ conqueratur. Si uero contra ipsius prouinciæ metropolitanum episcopum, episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius diœcesis primatem, aut certe ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedem, ut eorum ibi proprium negotium exquiratur.

10 Non licere clericum in ecclesijs duarum ciuitatum ordinari, sed in ea in qua ab initio ordinatus est, & cuius expetitio erat ante profugium. Et si propter uanæ gloriæ desiderium contigerit, ut post ad maiorem ecclesiam confugerit, eum indubitanter reuocari debere ad eam in qua ab exordio ordinatus est, & ibi tantummodo ministrare. Si quis uero iam translatus est ab alia in aliam ecclesiam, nihil habeat commune cum priore ecclesia, siue sub ecclesia constitutis martyrijs, siue in parochijs uel xenodochijs, aut eorum negotijs. Eos uero qui ausi fuerint post ordinationem huius magnæ & uniuersalis synodi agere quæ prohibita sunt, statuit sancta synodus cadere de proprio gradu.

11 Omnes pauperes & indigentes ecclesiasticis auxilijs, cum proficiscuntur, sub probatione epistolij, siue pacis, quæ dicuntur ecclesiasticæ, tantummodo cõmendari statuimus, & non commendatitijs epistolis, quia commendatitias epistolas quas dicimus, eos tantum accipere conuenit qui in opere sunt clariores, ut eis tantummodo præbeantur.

12 Peruenit ad nos, eo quod quidam præter ecclesiasticos ordines affectantes potentiã, per pragmaticã formam unam prouinciam in duas diuidant, ita ut ex hoc inueniantur duo metropolitani episcopi in eadem una esse prouincia. Statuit ergo sancta synodus deinceps nihil tale attentari à quolibet episcopo. Eos uero qui tale aliquid tentauerint, de proprio gradu cadere. Si quæ uero antè ciuitates per pragmaticam imperialem metropolitani nominis honore decoratæ sunt, nomine solo perfruantur: & qui ecclesiam eius regit episcopus, priuilegio metropolitano, episcopo iure proprio reseruato.

13 Extraneum clericum & lectorem extra ciuitatem suam sine commendatitijs literis proprij episcopi nusquam penitus liceat ministrare.

14 Quia in quibuſdam prouincijs conceditur pſalmiſtis & lectoribus uxores accipere, ſtatuit ſancta ſynodus prorſus non licere cuiquam ex his alterius ſectæ accipere uxorem. Si quis uero præuenit, & habet iam de tali connubio filios, ſi forte præuenerit eos iam apud hæreticos baptizari, debet eos offerre ſanctę eccleſię catholicæ, ut ibi cōmunicent. Qui uero adhuc baptizati non ſunt, omnimodo non poſſe eos in hæretica eccleſia baptizari, nec in matrimonio iungi hæretico, ludæo uel pagano, niſi forte ſponderit ſe uenire ad orthodoxam fidem, dum coniungitur ſponſæ orthodoxæ. Si quis uero hanc diffinitionem ſanctæ ſynodi præterierit, regularum condemnationibus ſubiaceat.

15 Diaconiſſam nō debere ante quadraginta annos ordinari, & hoc cum diligenti probatione. Si uero ſuſceperit ordinationem, & quantocunq; tempore obſeruauerit miniſterium, & poſtea ſe nuptijs tradiderit, iniuriam faciens dei gratiæ, hæc anathema ſit, cum eo qui in illius nuptijs conuenit.

16 Si qua uirgo ſe dedicauerit deo, ſimiliter monachus, non licere eis iungi nuptijs. Si uero inuenti fuerint hoc facientes, maneant excōmunicati. Statuimus uero poſſe in eis facere humanitatem, ſi ita probauerit loci epiſcopus.

17 Per ſingulas eccleſias ruſticanas, parochias, ſiue poſſeſſiones, manere immobiles apud eos qui eas retinent epiſcopos, & maxime qui eas ſine uiolentia iam per triginta annos tenentes gubernauerunt. Si uero intra triginta annos iam facta fuerit, aut fiat de his altercatio, licere eis qui ſe dixerūt læſos propter eas mouere apud ſynodum prouinciæ certamen. Si quis uero putauerit ſe à proprio metropolitano grauari, apud primatē dioœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ ciuitatis ſedem, agat iudicium, ſicut dictum eſt. Si uero quælibet ciuitas per autoritatem imperialem renouata eſt, aut ſi renouetur in poſterū ciuilibus & publicis ordinationibus, etiam eccleſiarum parochianarum ſequatur ordinatio.

18 Coniurationum & conſpirationum crimen (quod apud Græcos dicitur fratria) publicis etiam legibus certum eſt penitus inhiberi: hoc multo magis in ſancta dei eccleſia ne fiat, conuenit abdicari. Si qui uero clerici uel monachi inuenti fuerint coniurantes, aut fratrias uel factiones cōponentes aliquas ſuis epiſcopis, aut alijs clericis, omnino cadant de proprio gradu.

19 Peruenit ad aures noſtras, quod in prouincijs conſtituta epiſcoporum concilia minime celebrētur. Ex hoc probatur, quod multæ quæ correctione opus habeant eccleſiaſticæ res negligantur. Statuit igitur ſancta ſynodus hæc ſecundum patrum regulas, bis in anno in unum cōuenire per ſingulas prouincias epiſcopos, ubi ſingula quæ emerſerint, corrigantur. Qui uero noluerint cōuenire epiſcopi, conſtituti in ſuis ciuitatibus, & hoc maxime cum ſui corporis ſanitate conſiſtentes, etiam omnibus alijs urgentibus & inexcuſabilibus negotijs liberi ſunt, licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi.

20 Clericos in ſuis eccleſijs cōſtitutos, ſicut iam definiuimus, nō licere in alterius ciuitatis eccleſijs ordinari, ſed adquieſcere in ea in qua ab initio miniſtrare meruerunt, exceptis illis qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex neceſſitate ad alias eccleſias migrauerūt. Si uero quicunq; epiſcopus poſt diffinitionem iſtam ad alium epiſcopum pertinentem clericum ſuſceperit, placuit ſanctæ ſynodo & hunc qui ſuſceperit, & eum qui ſuſceptus eſt, tandiu excommunicatos manere, quandiu ipſe clericus ad propriam reuertatur eccleſiam.

21 Clericos ſiue laicos qui accuſauerint epiſcopū aut clericos temere, atq; indifferenter, nō debere ſuſcipi in accuſationē, niſi prius eorū opinio fuerit perſcrutata.

22 Non licere clericis poſt mortem epiſcopi rapere pertinentes ad eum res, ſicut iam præcedentibus regulis ſtatutū habetur. Si uero hæc fecerint, periclitari ſe nouerint à proprio gradu.

23 Per

23 Peruenit ad aures ſanctæ ſynodi, quia clerici quidam & monachi nihil ſibi habentes iniunctum à proprio epiſcopo, interdum uero etiam illi qui ab eo fuerant excommunicati, ueniant ad regiam ciuitatem Conſtantinopolitanam, & multis temporibus in ea conſiſtentes perturbationes tranquillitati eccleſiaſticæ ferant, & diuerſorum domos corrumpant. Statuit ſancta ſynodus hos quidem primū commonere per defenſorem Conſtantinopolitanæ ſanctæ eccleſiæ, ut exeant de regia ciuitate. Si autem in eodem propoſito improbè perdurauerint, etiam inuitos eos ipſe expellat defenſor, ut ad ſua loca perueniant.

24 Quæ ſemel conſecrata fuerint monaſteria, cum iudicio ſui epiſcopi maneant perpetua, & pertinentes ad ea res conſeruari ipſis monaſterijs decreuimus, nec ulterius poſſe ea fieri ſecularia habitacula. Qui uero permiſerint hæc fieri, ſubiaceant his condemnationibus, quæ per canones conſtitutæ ſunt.

25 Quoniā quidam metropolitanorū, ſicut ad nos perlatum eſt, negligunt creditum ſibi gregem, & differunt ordinationes facere epiſcoporū, placuit ſanctæ ſynodo intra tres menſes fieri ordinationes epiſcoporū, niſi forte inexcuſabilis neceſſitas coëgerit tēpus ordinationis amplius prorogari. Si autē quis epiſcoporū hęc nō obſeruauerit, ipſum debere eccleſiaſticæ condemnationi ſubiacere, redditus uero eiuſdē uiduatę eccleſiæ integros reſeruari apud œconomū eiuſdē eccleſiæ placuit.

26 Quia in quibuſdam eccleſijs, ſicut ad nos peruenit, ſine œconomo epiſcopi res eccleſiaſticas tractant, placuit omnes eccleſias epiſcopos habentes, habere œconomos de proprio clero, qui gubernent eccleſiæ res cum arbitrio ſui epiſcopi, ut non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum eccleſiaſticarum, & ex hoc deueniat diſpergi eiuſdem res eccleſiæ, & ſacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si uero quis non obſeruauerit hæc, diuinis ſubiaceat regulis.

27 Eos qui ſibi rapiunt uxores, uel eos qui eis auxilium preſtiterint, ſtatuit ſancta ſynodus, ſi quidem clerici fuerint, cadere de proprio gradu. Si uero laici fuerint, anathema ſint.

SVBSCRIPTIO EPISCOPORVM.

Paſchaſius epiſcopus ciuitatis Lilibitanæ, uicem agens beatiſſimi epiſcopi Leonis, definiens ſubſcripſit. Lucentius epiſcopus ciuitatis Auſculitanæ, id eſt, uicem agens ſanctiſſimi Leonis epiſcopi, definiēs ſubſcripſit. Bonifacius presbyter urbis Romæ, uicem agens apoſtolicæ ſedis, definiens ſubſcripſit. Anatholius epiſcopus Conſtantinopolitanæ ciuitatis nouæ Romę definiens ſubſcripſit. Iuuenculus epiſcopus Hieroſolymitanus definiēs ſubſcripſit. Maximus epiſcopus Antiochenus definiens ſubſcripſit. Quintilius epiſcopus Cappadociæ Cęſarienſis definiens ſubſcripſit. Palaſindus epiſcopus Eracleę Macedonienſis, uicem agens ſanctiſſimi uiri Anaſtaſij definiens ſubſcripſit. Stephanus epiſcopus Epheſinus definiens ſubſcripſit. Lucianus epiſcopus Bizenſis uicem agens ſanctiſſimi epiſcopi Quiriaci Eracliæ Tracienſis, definiens ſubſcripſit. Euſebius epiſcopus Galatiæ Anquirienſis definiens ſubſcripſit. Diogenes epiſcopus Quirenſis definiens ſubſcripſit. Petrus epiſcopus Corinthienſis definiens ſubſcripſit. Florus epiſcopus Sardinienſis definiens ſubſcripſit. Eunomius epiſcopus Nicomedienſis definiens ſubſcripſit. Anaſtaſius epiſcopus Nicenſis definiens ſubſcripſit. Eleutherius epiſcopus Chalcedonenſis definiens ſubſcripſit. Idem omnes epiſcopi DCXXX. definientes ſubſcripſerunt.

POſtquā recitata eſt, pijſſimus Imperator ad ſanctū concilīū dixit: Dicat ſanctū concilīū, ſi ex cōſenſu omniū epiſcoporū definitio quę nūc lecta eſt, prolata ſit. Omnes reuerendiſſimi epiſcopi reſponderūt: Omnes ſic credimus, una fides, una ſentētia, omnino idē faciamus. Omnes cōſentientes ſubſcripſimus. Omnes orthodoxi ſumus, hęc fides patrū, hęc fides apoſtolorū, hæc recte credentiū, hæc eſt fides

quæ orbem terrarũ ſaluat. Martiano, nouo Conſtantino, nouo Paulo, nouo Dauid, Imperatori pijſſimo domino Auguſto uita eius. Et poſt has uoces pijſſimus & fideliſſimus Imperator ad ſanctam ſynodum dixit: Veneranda catholica fides à ſancta & uniuerſali ſynodo ſecundũ patrum expoſitionem manifeſtata eſt. Et ſi laborem reuerentiæ ueſtræ & conuiciũ fecimus, maximas agimus gratias omnipotenti deo ſaluatori noſtro, quia multorũ errantiũ circa fidem amputata diſcordia, in unam eandemq; fidem omnes nũc cõuenimus, ſperantes celebrẽ ueſtris precibus, & meliorẽ ſuper omnes partẽ à deo donari. Sancta ſynodus iterũ exclamauit: Hęc digna ueſtri Imperij, hæc propria ueſtri Imperij, hæc correctio ueſtri Imperij, digna Chriſto, digna Imperij fide, propterea pacificãt orbis terræ. Et poſt has uoces pijſſimus & fideliſſimus Imperator ad ſanctam ſynodum dixit: Venerandã catholicam fidem ſanctæ uniuerſalis ſynodi ſecundũ patrũ expoſitionẽ manifeſtam, iuxta legem & conuenientẽ eſſe ueſtra tranquillitas probet, & omnẽ in poſterum contentionis occaſionem circa ſuam fidem amputari. Si quis igitur idiota, uel militaris, ſeu clericus, publice turbam cõgregans ſub obtentu diſpoſitionis tumultum fecerit, ſi quidem idiota, proſcriptus expellatur à regia urbe, militaris uero ſeu clericus gradus ſui periculum ſuſtinebit, & alijs pœnis ſubiacebit.

EDICTVM MARTIANI IMPERATORIS IN confirmatione Concilij Chalcedonenſis.

IMPERATORES Valentinianus, Martianus Auguſti, uniuerſis populis. Tandem aliquãdo quod ſummis uotis atq; ſtudijs optabamus euenit: remota eſt de orthodoxa Chriſtianorũ lege cõtentio: tandem remedia culpabilis erroris inuenta ſunt, & diſcors populorũ ſententia in unum conſenſum cõcordiamq; conuenit: ab uniuerſis etiam prouincijs religioſiſſimi ſacerdotes Chalcedonã uenerunt, iuxta noſtra præcepta, & quid obſeruari in religione debeat perſpicua diffinitione docuerunt. Diſceſſit igitur iam prophana cõtentio. Nam uere impius atq; ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiã opinioni ſuæ aliquid tractandũ reliquit. Extremę quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die cõmentitium lumẽ quęrere. Quiſquis enim poſt ueritatẽ repertã aliquid ulterius diſcutit, mẽdaciũ quærit. Nemo itaq; uel clericus, uel militans, & alterius cuiuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publice terminata coadunatis & audiẽtibus tractare conetur in poſterũ, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata, recte diſpoſita reuoluere, & publice diſputare cõtendit, cum ea quæ nũc de Chriſtiana fide ſtatuta ſunt iuxta apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta ſanctorum patrũ C C C. X. octo & C L. definita eſſe noſcunt. Nam in cõtemptoribus huius legis pœna non deerit, quia nõ ſolum contra fidem bene cõpoſitam ueniũt, ſed etiam Iudęi & pagani & huiuſcemodi certamine prophanant ueneranda myſteria. Igitur ſi clericus erit qui publice tractare de religione auſus fuerit, à cõſortio clericorum remouebitur. Si uero militia præditus ſit, cingulo expoliabitur. Cæteri etiam huius criminis rei de hac ſanctiſſima urbe pellentur pro uigore iudiciario, etiam competentibus ſupplicijs ſubiugandi. Conſtat enim hęreticę inſaniæ ex oradia fomitemq; nutriri, dum publice quidam diſputant atq; contendunt. Vniuerſa ergo quæ à ſancta ſynodo Chalcedonia conſtituta ſunt, cuſtodire debebunt, nihil poſtea dubitaturi. Hoc itaq; commoniti noſtræ ſynceritatis edicto, obſiſtite prophanis uocibus, ulterius deſinite de diuinis diſputare quod nephas eſt, quia nõ ſolum diuino iudicio peccatum hoc (prout credimus) punietur, uerumetiam legum & iudicum autoritate coërcebitur. Propoſita V I I. Calend. Februarij Conſtantinopoli Patritio conſule.

Sanctio

Auguſtorum poſt Concilium Chalcedonenſe, in confirmatione eiuſdem Concilij & damnatione hæreticorum.

IMperatores Valẽtinianus & Martianus Auguſti, Palladio præfecto prætorij. Diuinæ ſemper potentiæ referendæ atq; agendæ ſunt gratiæ, quæ autores hæreſis, quæ occulta nec latẽre concedit, nec durare impunita permittit. Quorum unum malorũ legendi habet plenam facultatem, alterũ præcauendi cæteris præſtat exemplum. Curæ igitur eſſe diuinitati hominum actus, & maxime reuerentiam religionis, proxime in confirmanda catholica fide euidenter apparuit, cum nec Euticen ſceleratorum dogmatum ſectatorem negligere quod diu latuerat ſciuit, nec patefacto ſcelere paſſa eſt pœnam ſceleris euitare. Sententijs itaq; diuinis humanisq; damnatus, ſynodicum decretum (ut merebatur) accepit, reus diuinitati, cui faciebat iniuriam, reus hominibus, quos decipere conabatur. Proxime etenim innumerabiles ex toto orbe beatiſſimi Epiſcopi Chalcedone congregati, improba prędicti Euticetis unà cũ ſynodo eius cauſa habita, expulere cõmenta, ſicut ſanctorum definita maiorũ quæ uel apud Nicæam à trecentis decem & octo conſtituta ſunt, uel in hac poſtea alma urbe à centũ quinquaginta ſunt epiſcopis declarata, uel apud Epheſum, cum Neſtorij eſt error excluſus, præſidentibus Romanæ urbis Cœleſtino, & Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis epiſcopis. Ea igitur quæ ſunt iuxta priſtinã diſciplinã à uenerabili ſynodo Chalcedonenſi definita, illa fide qua deum colimus per omnia ſeruanda cenſuimus atq; cenſemus: quia ualde conſequens eſt, ut ſacerdotum pura mente deum colentiũ definita, quę pro orthodoxorũ fide ſacroſancta ſecundũ patrum regulas præceſſerũt, unà cũ ueneratione cõſeruare. Quoniã principalis prouidentię eſt, omne malũ inter initia opprimere, & ſerpentẽ morbũ legum medicina reſecare. Hac lege decernimus eos qui Euticetis errore decipiunt, ad exemplũ Apollinariorũ quos Eutices ſecutus eſt, quos uenerabiles patrũ regulæ, id eſt, eccleſiaſtici canones & diuorũ principũ ſacratiſſimæ ſanctiones condemnant, nullũ epiſcopũ, nullum presbyterũ, nullos creare uel appellare clericos, ipſumq; Euticen nomine presbyteri quo indigne utens expoliatus eſt, in totũ carere. Si qui tamen cõtra deſinita noſtra epiſcopos, presbyteros, cęteroſq; clericos auſi fuerint ex his creare, tam factos q̃ facientes uel præſumentes ſibi cunctorũ bonorũ amiſſioni periculoq; ſubiacere exilij perpetui pręcipimus. Cõgregandi autẽ monachos, aut ędificandi monaſteria nullũ eorũ iubemus habere licentiã, loca forte in quę auſi cõuenire aliquãdo tentauerint cõfiſcari, ſi tamẽ domino loci ſciente cõuenerint. Quod ſi ignorante autore cõuenerint, cõductores loci fuſtibus cęſos deportationẽ ſubire cẽſemus. Ipſos præterea nihil ex teſtamẽto cuiuſcunq; capere, nihil eis qui eiuſdẽ erroris ſint relinquere per teſtamenta, ad nullã eos patimur ſpirare militiã, niſi forte ad cohortalinã uel limitaneã. Si quis etiã extra prædictã militiã inuentus fuerit militare, uel quia eius in religione ignorabat peruerſitas, uel quia poſt adeptũ cingulũ ad hunc deuenit errorẽ, ſolutus militia infidelitatis ſuę fructũ hũc habeat, ut optimorũ & patrij cõmunione priuet, nec alibi q̃ in quo natus eſt uico uel ciuitate uerſet. Quod ſi qui eorũ in hac alma urbe, quod credi nephas eſt, geniti ſunt, tam de hac ciuitate uenerabili q̃ ſacratiſſimo comitatu, & ex omni excludantur metropolitana ciuitate. Et hoc quidẽ generaliter circa omnes cõſtituimus, qui hac clade pollutionis poluti ſunt uel polluunt. Eos autẽ qui ante clerici orthodoxorũ fidei, & monachi qui dã qui Euticis habuere diuerſoriũ, q̃d neq; monaſteriũ dicendũ eſt, eo q̃d in ſe religionis habuit inimicos, q adhuc uſq; in tantã inſaniã receſſerũt, ut relicto uenerabilis cultu religionis in ſynodico decreto Chalcedonico, q̃d totius penẽ orbis aduna-
ti definiere ſacerdotes, infauſtã Euticetis ſecuti ſunt aſſertionẽ, q uera luce deſerta tenebras eligẽdas eſſe crediderũt, omnibus pœnis quę prędecẽtibus legibus aduerſus

Universidad de Deusto
Biblioteca

hęreticos definitę ſunt, iubemus teneri, imò extra Romanum expelli ſolium, ſicut præcedentes religioſiſſimæ conſtitutiones de Manichæis conſtituere, ne eorũ uenenatis fraudibus ſceleratiſcꝫ cõmentis innocentum uel infirmorũ animi decipiantur. Comperimus præterea quædam eos in contumeliã religionis & inuidiam uenerabilis ſynodicæ diffinitionis fuiſſe mentitos, conſcriptiſcꝫ libris & chartarũ tomis plura finxiſſe, quæ eorum inſaniam aduerſus ueram fidem aperte ſignarent: atcꝫ ideo præcipimus ubicunꝫ huiuſmodi ſcriptura reperta fuerit, ignibus cõcremari. Eos uero qui ſequendi ſtudio audierint ſic ſcelerata differentem, denarum librarum auri mulctatione cõpeſcimus. Eos uero qui uel ſcripſerint uel alĳs legenda tradiderint docendi ſtudio uel diſcendi, cenſemus deportatione puniri: delenda eſt enim hæc infauſta hæreſis, ſicut pridem edictis ſerenitatis noſtræ continetur. Omnibus autem adimimus facultatẽ, quia ultimo ſupplicio coërcebuntur qui illicita docere tentauerint: ita enim materia ſubtrahetur erroris, ſi peccatorum & doctor defuerit & auditor, Palladi parens chariſſime atcꝫ amantiſſime. Illuſtris itaque & magnifica autoritas tua edictis propoſitis omnibus faciat nota quæ iuſſimus, ut cognoſcentibus moderatoribus prouinciarũ eorumcꝫ officiarĳs, defenſoribus etiã ciuitatum, quod ſanctam ueramcꝫ fidem ſancto propoſito cuſtodiendam eſſe cenſemus. Quam ſi neglexerint aut permiſerint temerari, denarũ librarum auri mulctatione percuſſi, ut religionis legumcꝫ proditores, etiam de æſtimatione laborabunt. DATA XV. Calend. Auguſti Cõſtantinopoli, Aſpirato, & qui fuerit nunciatus, conſulibus.

ALIA SANCTIO MARTIANI IMPERATORIS CONTRA EOSDEM HAERETICOS.

IMPERATOR Martianus Auguſtus Palladio prętori. Licet iam ſacratiſſima conſtitutione manſuetudinis meæ cautum ac definitum ſit, quia in eos ſeueritas exercenda ſit, qui Euticetis uel Appollinaris hæreticam peruerſitatem ſecuti à religione & fide catholica deuiarunt, Alexandrinæ tamẽ urbis ciues atcꝫ habitatores tantis Apollinaris infecti ſunt uenenis, ut neceſſarium fuerit ea quę ante ſanximus, repetita etiam lege nunc decernere. Quicunꝫ ergo uel in hac ſacra urbe, uel in Alexandrina ciuitate, uel in omni Aegyptiaca diœceſi & diuerſis alĳs prouincĳs, Euticetis profanam peruerſitatem ſequuntur, & ita non credunt ut trecenti & octo ſancti patres tradiderunt, catholicam ſanctam fidem in Nicæa ciuitate fundantes, uel ita ut CL. alĳ uenerabiles epiſcopi, qui in hac alma urbe Cõſtantinopolitana poſtea conuenerunt, ſicut Athanaſius & Theophilus & Cyrillus ſanctæ recordationis epiſcopi Alexandrinæ ciuitatis crediderunt, quos etiam Epheſina ſynodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit) in qua Neſtorĳ error expulſus eſt, uniuerſos ſecuta eſt, quos & nuper uenerabilis Chalcedone ſynodus eſt ſecuta, prioribus cõcilĳs ſacerdotum ex omni prorſus parte conſentientibus, nihilcꝫ adimens à ſacroſancto ſymbolo, necꝫ adĳciens, ſed Euticetis dogmata funeſta cõdemnans, ſciant ſe eſſe hęreticos. Apollinaris enim facinoroſiſſimam ſectam Eutices & Dioſcorus ſunt ſecuti. Ideocꝫ omnes hi qui Apollinaris uel Euticetis peruerſitatem ſequuntur, illis pœnis quas diui retro principes contra Apollinariſtas uel ſerenitas noſtra poſtmodũ cõtra Euticianiſtas ſanxit, nouerint ſe eſſe plectendos. Idcirco Apollinariſtas, hoc eſt Euticianiſtas, quibus etſi eſt in appellatione diuerſitas, eſt tamen in hæreſi coniunctio, & diſpar quidem nomen, ſed idem ſacrilegium, ſiue in hac alma urbe, uel in Alexandrina ciuitate, ſeu intra Aegyptum ſunt, necꝫ ita credunt ſicut prædicti uenerabiles credebant, necꝫ uiro Reuerendiſſimo Alexandrinæ urbis antiſtiti Protherio fidem orthodoxã tenenti cõmunicant, ſecundum diuorũ retro principum conſtitutiones quæ de Apollinariſtis promulgatæ ſunt, non habeant poteſtatẽ faciendi teſtamentum, necꝫ id acquirant quod ipſis ex teſtamento cuiuſquam fuerit relictum, nihil etiã ex donatione aliqua conſequantur, ſed ſi quid ipſis uel liberalitate acciderit, uel uiuentis uel morientis fuerit uolũtate collatum, id protinus fiſco noſtro addicatur: ipſi uero in nullos aliquid ex rebus ſuis donare poſſint. Epiſcopos quoꝫ uel presbyteros aliosꝫ clericos illis creare & habere non liceat: ſcientes tam Euticianiſtæ quàm Apollinariſtæ qui auſi fuerint cuiquam epiſcopi uel preſbyteri uel clerici nomen imponere, quàm hi qui conati fuerint impoſitum nomen ſacerdotale retinere, exilio, rerumꝫ ſuarũ amiſſione plectendos. Eos uero qui de hac catholica Roma eccleſiarũ clerici, uel orthodoxæ fidei monachi fuerunt, derelicto uero dei cultu, Apollinaris uel Euticetis hæreſim ſectati ſunt, uel poſt hęc ſectabuntur, omnibus pœnis quæ uel prioribus legibus aduerſus hæreticos conſtitutæ ſunt iubemus teneri, & extra ipſum quoꝫ Romani Imperĳ ſolum pelli. Vniuerſi præterea Apollinariſtæ uel Euticianiſtæ non eccleſias, nõ monaſteria ſibi cõſtruant, necꝫ ſynaxes, necꝫ cõuenticula contrahant, necꝫ ad domum, necꝫ ad poſſeſſionem cuiuſcunꝫ, necꝫ ad monaſterium, necꝫ ad quemcunꝫ alterius locũ operatores ſectæ funeſtiſſimæ congregentur. Quod ſi fecerint, & hoc factum fuiſſe domino uolente cõſtiterit, poſtremo iudicialiter notum, domus uel poſſeſſio in qua conuenerint, fiſco ſocietur, monaſterium uero eius ciuitatis orthodoxæ eccleſiæ in cuius territorio eſt, iubemus addici. Si uero ignorante domino, ſciente uero qui diſpenſationes domus exigit, uel cõductore, uel procuratore, uel prędĳ paraſynaxis conuenticula interdicta conuenerint, cõductor uel procurator ſiue autor uel quicunꝫ in domum uel poſſeſſionem uel monaſteriũ receperint, uel paſſi fuerint illicitas paraſynaxes, cõuentuſcꝫ celebrari, ſi uilis & abiectæ cõditionis ſint, fuſtibus publice & in pœnam ſuam, & in aliorum exerceantur exemplum. Si honeſtæ uero perſonæ ſunt, decem libras auri fiſco noſtro cogantur inferre. Nullum præterea Apollinariſtam uel Euticianiſtam ad aliquã iubemus aſpirare militiam, niſi ad cohortalem uel limitaneam: ſi qui uero contrà fecerint, ſoluto cingulo honeſtorũ hominum & palatĳ cõmunione priuentur, nec in aliqua, niſi in ea qua nati ſunt ciuitate uel uico ac regione uerſent. Si qui uero in hac alma urbe nati ſunt, tam ſacratiſſimo comitatu, quàm omni per prouinciã metropolitana ciuitate pellant. Nulli inſuper Euticianiſtæ uel Apollinariſtæ publice uel priuatim aduocandi cœtus, aut peruerſitatem facinoroſi dogmatis aſſerendi ſit facultas. Nulli etiam cõtra uenerabilem Chalcedonenſem ſynodum liceat aliquid uel dictare, uel ſcribere, uel legere, atcꝫ emittere: nemo huiuſmodi habere libros audeat. Quod ſi in his criminibus fuerint inuenti, perpetua deportatione damnent. Hi uero qui diſcendi ſtudio audierint de infauſta hæreſi diſputantes, decem librarum auri quæ fiſco noſtro applicabuntur, ſubeant diſpendium. Omnes uero chartæ ac libri qui funeſtum Euticetis dogma fuerint complexi, cõcrementur. Parens chariſſime, tua illuſtris igitur autoritas, quæ hac ſacratiſſima conſtitutione decreuimus in hac alma urbe, diuerſiſcꝫ prouincĳs, ac præcipue in Alexandrina ciuitate, & per uniuerſam Aegyptiacam diœceſim, edictis ex more propoſitis, ad omnium notitiam faciat peruenire, ut cuncta quæ ſtatuimus, in eos qui rei fuerint deprehenſi, ſeueritas protinus exerceatur, ſcientibus moderatoribus prouinciarum eorumcꝫ apparitoribus qui legis huius quę religioſiſſima ſanctione cuſtodienda decreuimus, aut neglexerint, aut aliqua permiſerint temeritate uiolari, denarum librarũ auri mulctam fiſco noſtro cogant inferre, inſuper etiã exiſtimationis ſuæ periculũ ſuſtinebunt. Ea quoꝫ quæ de paganis per omne Romanũ Imperiũ æqualiter ualitura elegimus, inſtantiſſime in eos exerceantur quos conſtiterit prophanos ritus celebrare. Data ſub die Calend. Auguſti, Conſtantinopoli, Diuo VIII. & Antemio III. cc. conceſſ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GRęca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus qui uel tenuiter græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc à patribus trecentis decem & octo Niceę congregatis saluberrime inuentum est & constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem: id est, ut assumantur in supputationem prima gręca elementa, patris & filij & spiritus sancti, hoc est, π υ α. quæ elementa & octogenarium & quadrigentesimum & primum significant numerum. Petri quoque apostoli prima litera, id est, π, quę numerum 80. significat. Eius quoq; qui scripsit epistolã prima litera, cui scribitur secũda litera, accipientis tertia litera, ciuitatis quoq; de qua scribitur quarta, & indictionis quæcunq; est temporis, idem qui fuit numerus assumatur, atq; ita his omnibus græcis literis, quę (ut diximus) numeros exprimũt, in unum ductis, unam quæcunq; fuerit collecta summã epistola teneat: hanc qui susciPit, omni cum cautela requirat expresse, addat præterea separatim in epistola nonagenarium & nouum numerum qui secundum gręca elementa significant. Valete in domino.

MARCELLINI PAPAE EPISTOLA PRIMA AD SALOMONEM COEPISCOPVM, in qua filium æqualem patri ostendit.

MARCELLINVS episcopus sanctę ecclesię catholicæ urbis Romanę, Salomoni coëpiscopo in domino salutem. Quàm laudabiliter pro catholicæ fidei ueritate mouearis, & q̃ solicite dominico gregi deuotionẽ officij pastoris impendas, tradita nobis per diaconũ tuum fraternitatis tuæ scripta demõstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti qui errorũ morbi in regionibus uestris modo exorti sunt. Nam epistolę sermo, & cõmonitorij series, & libelli tui textus eloquitur, quod quidã errore decepti dicunt ideo patrem maiorẽ filio esse, quia illi soli sacrificiũ immolatur, & quod filius nullã cum patre cõmunionis operã habeat, & quod illud propheticũ de solo patre dictum sit: Sciant gentes quoniã nomẽ tibi deus, tu solus altissimus super omnem terrã. Siue quod ideo minor est filius, quia ipse in cruce pendens dixit: Deus deus meus quare me dereliquisti. Quibus cõpetens & congruũ reddat̃ responsum: quia sicut patri, ita etiam filio non solũ christianis temporibus, uerumetiã à priscis tẽporibus sacerdotibus uarijs multisq; modis probamus sacrificiũ fuisse oblatũ, Daniele propheta dicente: Non est locus (inquiunt tres pueri) ad sacrificandũ nomini tuo, & inuenire misericordiã, sed in anima contrita & in spiritu humilitatis suscipiamur. Et sicut holocaustomata arietũ & taurorũ agnorumq; pinguiũ, ita fiat sacrificiũ nostrum in cõspectu tuo hodie ut placeat tibi. Et ut filiũ fuisse agnoscas, cui hi tres pueri sacrificiũ se cõfessi sunt obtulisse, ex ipsius regis ac tyranni qui eos in fornacẽ ignis mitti præceperat confessione addisce, qui se cum tribus, quartũ in ipso æstuantis caminj incendio sociatũ prodidit cõspexisse. Nónne, inquit, tres uiros misimus in fornacẽ uinctos? Et dixerũt ei, Vere rex. Et dixit: Ecce ego uideo quatuor uiros solutos, & deambulantes in medio ignis, & aspectus quarti similis filio dei est. Idem dei filius per prophetã loquit̃, dicens: Tibi offerent reges munera. Et ut hæc de filio dei se dixisse doceret, dixit: Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei.

Et ut

Et ut hæc omnia superius designata Christo filio dei doceamus fuisse oblata, in natiuitate eiusdẽ dei quæ secundũ carnem facta est, probamus fuisse cõpleta, euãgelio cõprobante: Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus regis Herodis, ecce magi ab oriente uenerunt Hierosolymã, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Et infra: Et intrantes domum inuenerunt puerũ cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurũ, thus, & myrrham. Sacrificiũ itaq; quod à christianis sacris altaribus admouet̃, non solum deo patri, sed etiam filio cõmuni deuotione offertur, quoniã nec patri sine filio potest offerri, nec à filio sine patre sentiri. Quod autem cõmunem operam habeant pater & filius, hoc modo docetur, dum primi hominis plasma deus ad imaginẽ dei cõmuni operationis uirtute fecisse fertur, scriptura dicente: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostram. Item ibi: Descendamus & cõfundamus ibi linguam eorũ. Et: Pluit dominus à domino ignem & sulphur super Sodomam. Et in euangelio: Pater meus usq; modo operat̃ & ego operor. Similiter &, opera quę ego facio non sunt mea, sed eius qui misit me patris. Quę omnia nõ discretam patris & filij potentiã monstrant, sed unam diuinitatis operationẽ annunciant. Et is qui paternum opus exequitur, à paternis operibus alienus esse nõ creditur. Si autem ex Euangelio filiũ dei cognosceres altissimũ nuncupatũ, nunquam filio derogans hoc de solo deo patre dictum poneres testimoniũ, cum scriptum sit: Tu puer propheta altissimi uocaberis. Et ut filius cum patre indiscrete in altissimis habitasse credatur, Salomonis testimonio cõprobatur: Ego (sapientia inquit) habitaui in altissimis, & thronus meus in columna nubis. Et in Psalmo 92. Tu autẽ altissimus es in æternum domine, quoniã ecce inimici tui peribunt. Nam cum diabolus thronũ suum cõtra creatoris sui thronũ in altissimis collocare elatus superbia, hæc ausus est nephando ore depromere: Ponã sedem meam ad aquilonẽ (inquit) ascendam super sydera cœli, sedebo super montes excelsos, & ero similis altissimo. Item in Salomone: Ne dixeris, peccaui, & quid accidit mihi triste? Altissimus enim patiens est redditorũ. Si auditũ cordis tui scripturis non uis accõmodare diuinis, quæ filium doceant altissimũ nuncupatum, uel diabolo crede, qui cõtra opificis sui thronũ sedem sibi uoluit collocare. Vt eum agnoscatis filiũ à patre (ut uos suspicamini) nõ fuisse penitus derelictũ, hoc de se in Euangelio posuit testimoniũ: Pater qui me misit mecũ est, & nõ reliquit me solũ, quia quæ placita sunt ei facio semper. Vnde pro surreptione mandamus, ut omnis cura atque solicitudo inuigilet, ne fides temeretur aut uioletur. Iam nullus est ignorantiæ locus, nullus utatur simplicitatis excusatione præterita. Scienti peccare necessaria est cõfusio, & quod errore contraxit scientia reformetur. Ista frater tene & hæc doce. Vtinam ad plenioris affatus satietatẽ præsentiæ tuæ nobis gaudia contigissent, ut gratularemur nos & colloquio & præsentia tui frui, quam sumus ante scripta cõplexi. Veruntamẽ probasti dilectissime frater quo christianã fidem ueneraris affectu, dum ea quæ ad regulas patrũ pertinẽt, & ad mandata catholica, sine aliqua culpæ transgressione seruare, & spreta erratica & nociua doctrina, catholica & apostolica tenere præcepta, & rectæ fidei regulas docere atq; seruare satagis. Hæc frater charissime & alia quæ patrum regulis continentur, in labijs & cordibus nostris indiuisa retractatione meditemur, & sicut scriptum est, narremus ea filijs nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atq; surgentes, quia beatus in domino qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc & magister gentium secutus, discipulum suum instruens admonet, hæc meditare, in his esto, subijciens plenitudinem, attende tibi & doctrinæ, quoniã si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur à uitijs, dum impensa cura diuino operi, humano locum non relinquit errori. Quod si ea quæ prædicta sunt ualidis teneantur

fixa radicibus, nec à paterna traditione receditur, & cõstanter quęstionibus obuiatur, ac prauorum intentio cassatur, bonorumq; fides & cõstantia roboratur. Data VIII. Idus Septemb. Diocletiano & Constantino consulibus.

ALTERA MARCELLINI AD ORIENTALES FRATRES EPISTOLA ADHORTATORIA, docens nulli presbytero licere in foro publico contra fratrẽ litigare, sed potius omnia iuxta charitatis regulã inter Christianos esse componenda.

DILECTISSIMIS fratribus uniuersis episcopis per orientales prouincias cõstitutis, Marcellinus episcopus. Quid tam dulce solicito, cq; quod mihi de uobis innotescũt illa quę cupio? Quid tam religiosis cõueniens institutis, quàm ut inter se sacerdotes pacẽ (quam necesse est alijs pro officio annũciare) cõseruent? Plena fateor gratulatione suscepi, quod uotiua mihi de charitate quæ inter uos est ecclesiarũ pacẽ in literis indicastis: sponte mihi quicquid hortari poteram, quicquid monere, delatũ est: cõfirmet hoc deus quod est operatus in nobis, & quæ præcepit pro animarũ salute facienda, hæc ipse qui pręcepit pro ea qua nos redemit pietate faciat. Et his tã bonis nũcijs nos quoq; religiosam sanctorũ uicem reddimus nunciorũ. Quicquid cũ orientalibus quos ad ecclesiæ corpus unitatemq; reuocatos, dudum dei nostri ope literis significauimus destinatis, denuò cum apertũ fuerit repetitis uobiscũ participamus indicijs. Mox pro nostro edicto ab orientalibus missa legatio est, certa sperauit, certa cõsuluit: sed facimus de his quæ fuerunt dicenda cõpendia, ipsius potius ad instruendam notitiam uestrã quæ à nobis sunt responsa dirigentes, ne quid sibi sub spacio prolixiore terrarũ aut opinio uindicet, aut error assumat, cum ad rerũ fidem ipsam teneri sufficiat ueritatẽ. Quid autẽ ad continentiã nostrarũ pertinet literarũ, oportuit quidẽ desideria plenius expedire. Quapropter scitote uos à persecutione fratrum & ab omni litigio abstinere debere, dicente scriptura, Seruum dei non oportet litigare: nec quicquã nocere, sed omnes persecutores ecclesiæ seruorumq; eius uestris redargutionibus corrigere, testante apostolo, argue, obsecra, increpa. Quęcunq; ergo cõtentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad ecclesiã deferant, & ab ecclesiastis uiris terminent. Maior autẽ nõ potest à minore iudicari, nec episcopi pontifici à quo cõsecrari probantur, præiudiciũ inferre ullum possunt. Quod si præsumptũ fuisse cognoscit, uiribus carere nõ dubiũ est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta cẽseri. Clericus uero cuiuslibet ordinis abscq; pontificis sui permissu nullum præsumat ad seculare iudiciũ attrahere, nec laico quemlibet clericũ liceat accusare: detractiones tamẽ & accusationes atq; persecutiones inter Christianos oppidò uitandæ sunt, quia licet pauci simus in cõparatione aliorũ, si tamen unanimes fuerimus, facilius aduersarijs resistemus. Sanctus enim protomartyr Stephanus lapidabat, sed Iesus suscipiebat plagas: ideo unicuiq; prouidendũ est, ne aliquem iniuste iudicet aut puniat, ne Iesum iudicet aut puniat. Et dominus in euãgelio ait: Nolite iudicare, ut non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Vnde & doctor gentiũ loquitur dicens: Hoc igitur dico & testificor in domino, ut iam nõ ambuletis sicut gentes ambulant in uanitate sensus sui, enebris obscuratũ habentes intellectũ, alienati à uita dei per ignorantiã quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorũ: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ immunditiæ omnisq; auaritiæ. Vos autem non ita didicistis Christũ, si tamen illum

illũ audistis, & in ipso edocti estis, sicut est ueritas in Iesu, deponere uos secundum pristinã conuersationẽ ueterem hominẽ, qui corrumpit secundũ desideria erroris. Reuouamini autẽ spiritu mentis uestræ, & induite nouũ hominẽ qui secundũ deũ creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Propter quod deponentes mendacium loquimini ueritatẽ unusquisq; cũ proximo suo, quoniã sumus inuicẽ mẽbra. Irasci mini & nolite peccare. Sol nõ occidat super iracundiã uestrã: nolite locũ dare diabolo: qui furabat iam nõ furet, magis autẽ laboret operãdo manibus suis q̃d bonũ est, ut habeat unde tribuat necessitatẽ patienti. Omnis sermo malus ex ore uestro nõ procedat. Sed si quis bonus est ad ædificationẽ opportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite cõtristare spiritũ sanctũ dei, in quo signati estis in diẽ redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cum omni malitia. Estote autẽ inuicẽ benigni, & misericordes, donantes inuicem, sicut & deus in Christo donauit uobis. Estote ergo imitatores dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiã deo in odorẽ suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominet in uobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas quę ad rem non pertinet, sed magis gratiarũ actio: hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immũdus, aut auarus, quod est idolorũ seruitus, non habet hæreditatẽ in regno Christi & dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis, propter hæc enim uenit ira dei in filios diffidentię: nolite ergo effici participes eorũ. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & ueritate, probantes quid sit beneplacitũ deo. Et nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarũ, magis aũt redarguite. Quę enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Omnia autẽ quę arguunt à lumine manifestant. Omne enim quod manifestat lumẽ est, propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaq; fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tẽpus, quoniã dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quę sit uoluntas dei. Et nolite inebriari uino in quo est luxuria, sed implemini spiritu, loquẽtes uobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus uestris, domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri, subiecti inuicẽ in timore Christi. Omne enim q̃d irreprehẽsibile est, catholica defendit ecclesia. Nõ licet ergo Imperatori uel cuiquã pietatẽ custodienti aliquid contra mandata diuina præsumere, nec quicq̃ quod euangelicis propheticisq; & apostolicis regulis obuiat agere. Iniustũ enim iudiciũ & definitio iniusta regis metu uel iussu à iudicibus ordinata nõ ualeat, nec quicquã quod cõtra euangelicæ, uel propheticæ, aut apostolicæ doctrinę constitutionẽ successorum ue eorũ siue sanctorũ patrũ actum fuerit, stabit. Et quod ab infidelibus aut hęreticis factũ fuerit omnino cassabit. Vos autẽ state in fide, uiriliter agite, & omnia uestra cum charitate fiant: huius rei gratia (ut ait Apostolus) flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum eius in interiore homine, habitare Christũ per fidem in cordibus uestris in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo & profundum & altitudo, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus secundum uirtutẽ quæ operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu in omnibus generationibus seculi seculorum, Amen. Data V. Idus Decemb. Diocletiano VI. & Maximo VIII. IIII. CC. Concess.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIVI MARCELLI EPISCOPI CONTRA MAXENTIVM TYRANNVM EPISTOLA

inuectiua, qua boni regis officiū præscribitur, & omnes sub multa æternæ pœnæ admonentur, ne Christianos simplicitate summa præditos à uera fide abducant.

MARCELLVS episcopus sanctæ & apostolicæ & catholicę urbis Romæ Maxentio. Magistra bonorū omniū charitas, quæ nihil rapit extraneū, nihil agit asperū, nihil confusum, nihil factiosum, nihil quod honori diuino repugnet, animæ propriæ nocear, aut proximi commodo deroget, oblita sui, nō quæ sua sunt, sed quę dei uel proximi quærens, nemini inuidens, omnibus cōsulens, nō sæuiens, sed cōpatiens, nō rapiēs, sed largiēs, nō murmurans, sed omnia ęquanimiter tolerans: si in te perfecte habitaret, tēpera res animū à malis, fæuire desineres in dei ecclesiā, ac sanctos eius persequi cessares, tyrānidi modū imponeres, furorē cohiberes, humanitati inuigilares, modestiā amplectereris, & bonis potioribus frui satageres. Charitas enim exercet corda, sensus corroborat, ut nihil graue, nil difficile, sed totū fiat dulce quod agit, dū eius sit proprīū nutrire pacifica, seruare cōposita, dissociata cōiungere, praua dirigere, & uirtutes reliquas perfectionis suæ munimine solidare. De ipsa ergo omnes monēs apostolus, ita loquit, dicēs: Si linguis hominū loquar & angelorū, charitatē autē nō habeā, factus sum uelut æs sonans aut cymbalū tinniēs: & si habuero omnē prophetiā, & nouerim mysteria omnia & omnē scientiā, & habuero omnē fidē, ita ut mōtes transferā, charitatē autē nō habeā, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperū omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū ita ut ardeā, charitatē aūt nō habeā, nihil mihi prodest. Charitas patiēs est, benigna est. Charitas nō ęmulat, nō agit perperā, nō inflat, nō est ambitiosa, nō quęrit quæ sua sunt, nō irritatur, nō cogitat malū, nō gaudet super iniquitate, cōgaudet aūt ueritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunq̄ excidit. Quisquis ergo in eius se radice inserit, nec à uiriditate deficit, nec à fructibus inanescit, quia amore fœcunditatis opus efficax nō admittit. Licet modo charitas in persecutoribus ecclesię seruorumq̄ dei arefacta sit, uiget tamē in amatoribus eius, & in eis qui patiunt propter iustitiā, de quibus ipsa per se ueritas testat dicens, Beati qui persecutionē patiūtur propter iustitiā. Et alibi: Si me persecuti sunt, & uos persequent: potius em̄ nos & omnes domini sacerdotes, qui eius uidelicet sunt ueri sacerdotes, elegimus propter iustitiā, & uerā fidē persequi, & pro Christi nomine pati, q̄ multis diuitijs ditari, honoribusq̄ copiosissimis abundare, & cœlesti regno carere. Ista em̄ tēporalia sunt, illa æterna, ista caduca, & ad horā transeuntia, illa uero perpetua & sine fine mansura. Tu ergo qui nos suades cultū dimittere diuinū, & à recta fide recedere, dęsq̄ immolare, melius tibi foret, ut tu prius mutabilē te præberes, omnesq̄ exhortaris fidei documenta & diuini cultus ministeria ita tenere, sicut patres nostri sancti apostoli sibi tradita prędicauerūt & docuerūt. Boni enim principis ac regis est ecclesias cōtritas atq̄ scissas restaurare, nouas ædificare, & dei sacerdotes honorare atq̄ tueri. Vnde sanctos apostolos eorumq̄ successores sub diuina cōtestatione cōstituisse legimus, nō debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro dominico, neq̄ expellere æterni regis dispensatores, sed si qui expulsi fuerint aut suis rebus expoliati, primo omnia legaliter reddi, quę eis ab inimicis aut à persecutoribus ablata sunt, & sedes proprias cum omnibus ad se pertinentibus regulariter restitui, & postea tēpore cōgruo uocari ad synodū regulariter congregatā: nec licet ei, priusquā fiāt hæc de se iuxta statuta prædictorū responsa dere, aut de suis impetitionibus si se uiderit prægrauari reddere rationem. Sed his rite peractis, suisq̄ omnibus libere dispositis, si tum iuste uidet suis respondeat accu-

satoribus, & inducias si ei necesse fuerit accipiat nō modicas, ut explorare ualeat ea quæ obijciunt ei, ne aliqua delusus fraude innocenter ruat, quoniā nō oportet quenq̄ iudicare uel dānare priusq̄ legitimos habeat præsentes accusatores, locūq̄ defendendi accipiat ad abluenda crimina. Vnde ait Propheta: Priusquā agnoscas, nō iudices quenq̄. In hoc ergo quod episcopi & reliqui serui dei persequunt, non tantū ipsi persequunt, quantū ille cuius uice funguntur, sicut scriptū est: Qui uos tāgit, tangit pupillā oculi mei. Et alibi: Qui uos cōtristauit, me cōtristauit: & qui facit iniuriā, recipiet id quod inique gessit. Vos ergo, licet corpora nostra possitis occidere, animas tamen nō potestis occidere, nec gradus nobis diuinitus collatos potestis auferre. Synodū ergo absq̄ huius sanctæ sedis autoritate episcoporū, quanq̄ quosdam episcopos possitis cōgregare, non potestis regulariter facere, neq̄ ullum episcopū qui hanc appellauerit apostolicā sedē damnare, anteq̄ hinc sententia finitiua procedat. Nam si seculares in publicis iudicijs libellis utunt appellatorijs, quanto magis sacerdotibus hæc eadē agere licet, qui super illos sunt de quibus dictum est: Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes: & ideo nullus episcopus nisi in legitima synodo suo tēpore, apostolica aut regulari autoritate cōuocata, super q̄buslibet pulsatus criminibus audiat uel iudicet, ne innocēs dānetur aut perdat cōmunionem. Quod laici aut suspecti episcopos nō debeant accusare, neq̄ accusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendū sit, & à beato Clemente, ipsis eum instruentibus apostolis, legimus definitū: & nos eadē firmamus, quoniā ijdem odio multotiens incensi, recte uiuentes atq̄ credentes perturbare nituntur. Propterea persona, fides, uita, & cōuersatio atq̄ suspicio accusantiū enucleatim primo inquirenda est, deinde quę obijciuntur fideliter pertractanda, quia nihil ante fieri debet quàm impetitorū uita & suspicio, atq̄ odiū inquiratur. Et si bonae cōuersationis nō fuerint, aut laici, uel manifesti inimici, aut odio respersi fuerint, nequaq̄ in episcoporū recipiantur accusatione. Hæc uobis à quibus minis infeste persequimur scienda mandamus, ut ab his uos caueatis, & cessetis persequi eos q̄ deo ministrant, quorū orationibus & terrena bella sedantur, & deus peccatoribus conciliatur: & si amplius nos elegeritis persequi q̄ deo placere, & nos magis eligimus sustinere persecutionē quàm regulā cōfundi ecclesiasticā, hortante nos ipsa ueritatis uoce, atq̄ ita testante: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animā aūt nō possunt occidere. Et iterū: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum & tollat crucē suā & sequat me. Qui enim uoluerit animā suam saluā facere, perdet eam. Qui autē perdiderit animam suā propter me, inueniet eā. Quid enim prodest homini, si mundū uniuersum lucret, animæ uero suæ detrimentū patiat? Aut quam dabit homo cōmutatiōnē pro anima sua? Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tūc reddet unicuiq̄ secundū eius opus. Ista uobis ualde timēda & cauenda sunt, à quibus ecclesia dei eiusq̄ ministri uexant & persequunt, quibus dominus per prophetā minando loquit dicens: Homo in honore nō cōmorabitur, assimilatus iumētis exæquatus est. Hæc est uia eorū, insipiētia eorū, & post eos iuxta os eorū curret: quasi oues in inferno positi sunt, mors pascet eos, & subijcient eos recti in matutino, & figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum, ueruntamen deus redimet animam meam de manu inferi cum assumpserit me. Noli timere cum ditatus fuerit uir, cum multiplicata fuerit gloria domus eius, neq̄ enim moriens tollet omnia, nec descendet post eum gloria eius. Quia anime suæ in uita sua benedicet. Laudabunt te cum bene fuerit tibi. Intrabit usq̄ ad generationem patrum suorum, usq̄ in finem non uidebit lumen. Homo cum in honore esset, nō cōmouebitur, assimilatus iumentis exæquatus est. Et alibi: Quid gloriaris in malitia, potens in iniquitate? Tota die insidias cogitauit lingua tua, quasi nouacula acuta faciens dolum. Dilexisti malitiam magis quàm bonum, mendaciū magis quàm loqui iustitiam. Dilexisti omnia uerba ad deuorandū, lingua dolosa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed deus deſtruet te in ſempiternũ, terrebit & euellet te de tabernaculo, & eradicabit te de terra uiuentiũ. Et uidebũt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebũt. Ecce uir qui nõ poſuit deũ fortitudinẽ ſuã, ſed ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarum, cõfortatus eſt in inſidijs ſuis. Ego autẽ ſicut oliua uirẽs in domo dei ſperaui in miſericordia dei in ſeculũ, & in æternũ cõfitebor tibi in ſeculũ quoniã feciſti, & expectabo nomẽ tuũ quoniã bonũ in conſpectu ſanctorũ tuorũ. Iſta uobis omnia ad interitum, nobis autẽ ad confortationẽ, ne pereamus, dicta ſunt. Vobis ergo ideo hæc ſcribimus, quia debitores uobis ſumus, dicente domino, diligite inimicos ueſtros, benefacite eis qui uos oderũt. Et alibi ſcriptura loquiť dicens: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illũ: ſi ſitit, potũ da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congregas ſuper caput eius. His fulti autoritatibus bellũ quod aduerſum nos excitatis, adeò feliciter dextera domini protegente nos atq; pro nobis pugnante, pacifice portare cupimus, ut triũphante Chriſto omniũ uerorũ fiat una uictoria ſacerdotũ, & choruſcãte lumine, ueritatis ſole erroris tenebræ cũ ſuis autoribus pellanť, quia nõ eſt in hominis poteſtate conſilium dei. Iuſtus eſt enim dominus, & omnia iudicia eius iuſta ſunt, atq; omnes uiæ eius miſericordia & ueritas & iudiciũ. In manu domini poteſtas terræ, cui execrabilis eſt omnis iniquitas, in manu dei poteſtas hominis, & ſuper faciẽ ſcribæ imponẽt honorẽ ſuũ. Perdidit deus memoriã ſuperborũ, & inique agentiũ, & nõ dereliquit memoriã humiliũ, & bonorũ hominũ. Hoc aũt pro certo habet omnis qui recte colit deũ, quia ſi uita eius in probatione fuerit, corroborabiť, & ſi in tribulatione liberabitur. Si uero in correptione fuerit, ad miſericordiã perueniet. Tu ergo ne delecteris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem facit deus tranquillitatem, & poſt lachrymationem & fletum exultationẽ infundit. Benedictus dominus deus patrum noſtrorum, qui cum iratus fuerit, miſericordiam faciet, & in tempore tribulationis peccata dimittit. Magnus eſt dominus in æternum, & ipſe reget nos in ſecula, quoniã regnũ eius permanet in ſecula ſeculorum, Amen. Data XVI. Calend. Februarij, Maxentio, & Maximo IIII. cc. Conceſſ.

EVSEBII PAPAE EPISTOLA PRIMA AD GALLICANAS ECCLESIAS, VBI DE hæreticis ſuſcipiendis, & accuſatione Epiſcoporũ à Laicis, & uera charitate, multa aguntur.

CHARISSIMIS fratribus domino & deo dilectis epiſcopis omnibus per Gallicanas prouincias conſtitutis Euſebius. Scripta ſanctitatis ueſtræ cũ magna gratiarũ actione ſuſcepi, gauiſus ſcilicet de ueſtra ſoſpitate, ſed cõtriſtatus nimis de ueſtra oppreſſione. Quod ſignificaſtis enim quid de conuerſis hæreticis fieri debuiſſet, ſcitote nos eos qui in ſanctæ trinitatis fide baptizati ſunt, per impoſitionẽ manus ſuſcipere. De accuſationibus uero clericorũ ſuper quibus mãdaſtis, ſcitote à tẽpore Apoſtolorũ in hac ſancta urbe ſeruatũ eſſe, accuſatores & accuſationes quas exteræ conſuetudinũ leges nõ aſciſcunt, à clericorum accuſatione ſubmotas. Similiter laicos non accuſaſſe epiſcopos hactenus obſeruatum & conſtitutũ eſt, quia eiuſdẽ nõ ſunt cõuerſationis. Et oppidò eis quidẽ infeſti exiſtũt, quippe cum uita & ſecreta eorũ, à laicorũ actibus debeant eſſe remota, nec ab his impeti debeant, quorũ caſtitatem & grauitatem nolunt imitari, maxime cum nec hi eos in ſuis uoluntrecipere accuſationibus. De ipſis uero ſuis, uidelicet agricultoribus atq; miniſtris, dominus laicis & cunctis eos perſequentibus ait: Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et ipſa ſacra ſcriptura dicit: Qui uos tãgit, tangit pupillã oculi mei. Talia enim & his ſimilia ſancti patres prouidẽtes pericula, laicos ſeculo militantes ab accuſatione

ſacerdotũ prohibuere, ſimiliter ſeruos & libertos, atq; cenſibus publicis uel priuatis ſubiugatos, omnesq; infames ab eadẽ accuſatione uel tergiuerſatione ſubmouerunt. Nõ enim oportet ut permittanť carnales, ſpirituales perſequi: nec ſceleribus irretiti, uel ſeculo militantes, epiſcopos infamare, uel lacerare, aut crimen opponere. Nam ſi hoc apoſtoli aut ſucceſſores eorũ permitterent, perpauci remanſiſſent, qui domino in ſacerdotali ordine militaſſent. Idcirco & nos ſequentes patrũ ueſtigia, pro ſaluatione ſeruorũ dei, quaſcunq; ad accuſationem perſonas leges publicę nõ admittunt, his impugnandi alterũ, & nos licentiã ſubmouemus, & nullæ accuſationes à iudicibus audiantur eccleſiaſticis quæ legibus ſeculi prohibentur. Quapropter illi quibus indita eſt ad unguem polita perfectio, talia ſilere debent, ita ut nec mutilentur, nec præponantur: nec illi qui aut in fide catholica, aut inimicitia ſuſpecti ſunt ad pulſationẽ prædictorũ admittantur, quia ueritatis profeſſores infidelitas & inimicitia impedire ſolet. Nec illi credendi ſunt, aut admittendi, qui aliorum ſponte crimina cõfitentur: & ideo replicanda eſt ſolicite ueritas: quam ſponte prolata in illis uox habere nõ poteſt, hanc diuerſis cruciatibus è latebris ſuis religioſus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora ſoluuntur, quæ geſta ſunt fideliter & ueraciter exquirantur. Vnde quæſo primũ ad leges publicas, deinde ad iudices ora cõuertite, qui poſſunt & uolunt in defenſione omnium iuſte loqui. Nos enim quos dei ſeruitiũ poſt iſtarũ rerum abiectionẽ fecit ingenuos, qui taliũ inſultationes, aut cõtumelias, aut deſpicimus, aut deridemus, quibus ſcriptum eſt de famulis, & uulgi hominibus per Apoſtolũ: Mementote quia ueſter & aliorũ dominus in cœlis eſt: ad hæc ſeculi mala reuocabimur? Faciendũ à nobis eſt, quod facientem alterũ profanũ eſſe cõtendimus? Quod per miniſteriũ iuſſionis & manus alienũ inceſtaret aſpectũ, noſtro peragetur imperio? Nolite hãc per uniuerſas eccleſias mentẽ rapaciũ luporũ more & natura ſeruare, quia poſtquã nos maculat, fortè pro deſiderijs eorũ cruenta diſcuſſio effectũ in his quô tendunt nõ habebũt, dicente nobis propheta: Ponamus circulũ in naribus eorũ, & frenũ in labijs, & reducamus eos in uiam rectã. Quia eodem propheta aſſerente impugnanť qui dicũt, erunt quaſi nõ ſint, & peribunt uiri qui cõtradicunt nobis. Infames enim ſunt pro culdubio impugnatores epiſcoporũ, omnesq; qui aduerſus patres armanť, & conculcatores eccleſiarũ ſacerdotumq; eius, & qui de publicis fugiũt prælijs, & mandata dei cõtemnunt, & qui aliqua culpa infamiæ aſpergunť maculis. Omnibus impugnandi epiſcopos, patrũ ſequẽtes inſtituta, & nos licentiã ſubmouemus, quia odit deus eos qui patres perſequunť, ut patrũ inuaſores, qui in omni mundo infamia notanť, & ideo iuſte & regulariter reſpuunť. Nunc longa nõ opus eſt admonitione, iam perditis odiũ debemus aperire, de quibus iam non ſupereſt quod dãnetur autoribus, de quibus dominus per Prophetã loquiť, dicẽs: Reprobãtes uerbũ ſperaſtis in calumniã, & in tumultum, & eſtis in eo: propterea erit uobis iniquitas hæc ſicut interruptio. Rurſus etiã de talibus propheta clamat dicẽs: Accedite huc ſemẽ adulterij & fornicarij. Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os & eieciſtis linguam? Nunquid nõ uos filij ſceleſti eſtis ſemen mendax? Ceſſent impij commentitia aduerſus ſimplices iam fraude mentiri. Cuſtodi (inquit propheta) linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Recede à malo, & fac bonum, quære pacem & perſequere eam. Oculi domini ad iuſtos, & aures eius ad clamorem eorum. Vultus autem domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Et paulò poſt: Interficiet impium malitia, & odientes iuſtum culpabuntur. Nos quanquam multa patiamur à talibus, diligamus nos chariſſimi inuicem, quoniam charitas ex deo eſt. Et omnis qui diligit, ex deo natus eſt, & cognoſcit deum. Qui non diligit, non nouit deum, quia deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit deus in mun-

dum ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, nō quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationē pro peccatis nostris. Charissimi, si deus dilexit nos, & nos debemus alterutrū diligere. Deum nemo uidit unquā. Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est: in hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniā de spiritu suo dedit nobis, & nos uidimus, & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis cōfessus fuerit, quoniā Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos agnouimus & credimus ueritati, quam habet deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate in deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniā diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui autem non diligit fratrem suum quem uidet, deum, quem non uidet, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum à deo habemus, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Omnis qui credit, quoniam Iesus Christus ex deo natus, & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. In hoc cognouimus, quoniam diligimus natos dei, cum deum diligamus, & mandata eius faciamus: hæc est enim charitas dei, ut mandata eius custodiamus. Et mandata eius grauia non sunt, quia omne quod natum est ex deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum fides nostra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus, nō in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniā Christus est ueritas, quoniam tres sunt qui testimoniū dant, spiritus, sanguis, & aqua, & hi tres unum sunt. Si testimoniū hominum accipimus, testimoniū dei maius est, quia testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimoniū dei in se. Qui non credit filio, mendacē facit eum, quia nō credit in testimonio, quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc testimonium est, quoniam uitam æternam dedit nobis deus. Et hæc uita in eius filio. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filiū dei, non habet uitam. Hæc scribo uobis, ut sciatis, quoniam uitam habebitis ęternā, qui creditis in nomine filij dei. Et hęc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunq; petierimus secundum uoluntatē eius, audiet nos. Et scimus quia audit nos, quicquid petierimus. Scimus, quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita peccanti non ad mortem. Est peccatū ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatū ad mortem. Scimus, quia omnis qui natus est ex deo non peccat, sed generatio dei conseruat eum, & malignus nō tangit eum. Scimus enim quoniam ex deo sumus, & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus deum uerum, & simus in uero filio eius: hic est uerus deus, & uita æterna. Propter mala sua multi potentes oppressi sunt ualde, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Benedictio autem dei in mercedē iusti festinat, & in honore boni processus illius fructificat. Beatus uir qui non est lapsus uerbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti. Scitote charissimi, pro ea pietate quæ uobis dei famulis impendenda est, omnes suggestiones uestras fidei catholicæ profuturas, me dignanter suscepisse, ut ipsarum quoq; opere, & pax Christiana reparari, & error impius possit aboleri. Et si amplius de talibus aut his similibus aliquid fuerit deliberandū, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate horum, nostra quid obseruari debeat solicitudo constituat. Data VI. Calend. Augusti. Constante Cos.

Altera

ALTERA EVSEBII EPISTOLA ADMONITORIA, AD FRATRES PER ALEXANDRIAM & Aegyptum Christum syncere prædicantibus, ne se à uera fide per astutias falsorū prophetarū auellere patiantur.



EVSEBIVS Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ episcopus, dilectissimis, in charitate Christi unanimis, charitatis glutino connexis, fratribus per Alexandriam & Aegyptum domino militantibus, & rectam fidem tenentibus, in domino salutem. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi cōsolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur ipsi à deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur, pro uestra exhortatione & salute: siue exhortamur, pro uestra exhortatione & salute, quæ operatur in tolerantiam earundem passionum quas & nos patimur, & spes nostra firma est pro uobis, scientes, quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Vetera dilectissimi transierunt, & ecce facta sunt noua. Omnia autem ex deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniamquidem deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tanquā deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini deo. Eum qui non nouerat peccatū, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. Adiuuantes autem exhortamur, ne in uacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministeriū nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, & suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & ueraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes, & ecce uiuimus, ut castigati & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Os nostrum patet ad uos charissimi, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in carnalibus, angustiamini autem in spiritualibus. Eandem autem habentes remunerationē, tanquā filijs dico dilatamini & uos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ autē participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autē cōsensus templo dei cum idolis? Vos enim estis templū dei uiui, sicut dicit dominus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus, propter quod exite in medio eorū, & separamini de medio eorum dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam uos, & ero uobis in patrē, & uos eritis mihi in filios, & filias, dicit dominus omnipotens. Has igitur habētes promissiones charissimi, mūdemus nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus, perficientes sanctificationē in timore dei. Errorē uestrū corrigite fratres, & ab omni eroris macula uos custodite, ut purū dei munus offerre ualeatis. Seruos dei nolite persequi. Episcopos nolite infamare neq; accusare, quia deus eos suo iudicio uoluit reseruari. Quod em̄ nō ab humanis, aut prauæ uitæ hominibus eos deprauari, aut accusari

uoluit ipſe dedit exemplũ, quando per ſeipſum & non per alium, negotiantes eiecit ſacerdotes de templo, & menſas numulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo: & ſicut alibi ait, Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernit. Dei ergo ordinationem accuſat, qui epiſcopos accuſat uel condemnat, dum minus ſpiritualia quàm terrena ſectatur. Cauſa enim fidei & dilectionis quibus ſalus Chriſtiana conſiſtit, multa me ſolicitudine laborare cõpellit, metuentem ne prauitas quę in ſuis fuerat amputanda principijs, proceſſu temporis & pertinacior fiat & altior. Nam inimicum nimis eſt atq; incongruum, eos qui epiſcopos uel reliquos ueros ſacerdotes ſua perſecutione uexant, catholicorũ nominibus ſine diſcretione miſceri, cum iam natam impietatem non deſerentes ipſi ſua prauitate condemnantur, quos conuenit percelli pro perfidia, aut liberari pro uenia: quia ſicut plenũ pietatis eſt oppreſſis charitatem dominicam reddi, ita iuſtum eſt omnia perturbantis autoritatẽ amputari. Miror chariſſimi, quare tam citò mouemini, atq; à ueſtro ſenſu transferimini, cum ſcriptum ſit: Poſt cõcupiſcentias tuas non eas, & à uoluntate tua auertere. Si prẽſtes animæ tuę concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis: adeſt enim cõmiſſio illorum. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & non eſt tibi nihil in ſeculo: eris enim inuidus tuæ uitæ. Operarius ebrioſus nõ locupletabitur, & qui ſpernit modica paulatim decidet, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos, & qui ſe iungit fornicarijs, erit nequam, putredo & uermis hæreditabunt illum, & extolletur in exemplũ maius, & tolletur de numero anima eius. Qui credit citò, leuis corde eſt, & minorabitur, & qui delinquit in animã ſuam inſuper habebitur. Qui gaudet iniquitate denotabitur: & qui odit correptionem minuetur uita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Qui peccat in animã ſuam pœnitebit, & qui iocundatur in malitia, denotabitur. Ne iteres uerbũ nequam & durum, & non minoraberis. Amico & inimico noli enarrare ſenſum tuum, & ſi eſt tibi delictũ, noli denudare: audiet enim te, & cuſtodiet te, & quaſi defendens peccatum, odiet te, & ſic adhęrebit tibi ſemper. Audiſti uerbum aduerſus proximum, cõmoriatur in te fidens, quoniam non te diſrumpet, à facie uerbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, ſic uerbum in corde ſtulti. Corripe amicum ne fortè cum fecerit iniuriam, & non intellexerit, dicat, non feci, aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum ne fortè nõ dixerit. Et ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum, ſæpe enim fit cõmiſſio, & nõ omni uerbo credas. Eſt qui labitur in lingua ſua, ſed nõ ex animo. Quis eſt enim qui nõ deliquerit in lingua ſua? Corripe proximum antequam commineris, & da locum timori altiſſimi, quia omnis ſapientia & ſciẽtia timor dei, & in illa eſt timere deum, & in omni ſapientia diſpoſitio legis. Non eſt ſapientia neq; ſcientia, & non eſt cogitatus bonus, niſi in illa. Peccatorũ prudentia eſt nequitia, & in ipſa execratio, & eſt inſipiens, qui imminuitur ſapiẽtia. Melior eſt homo qui deficit ſapientia, & deficiens ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem altiſſimi. Eſt ſolertia certa, & ipſa iniqua, & eſt qui emittit uerbum certum enarrans ueritatem. Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo. Et eſt iuſtus qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate, & eſt iuſtus qui inclinat faciem, & fingit non uidere ſe quod ignoratum eſt. Et ſi ab imbecillitate uirium uetetur peccare, ſi inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet. Ex uiſu cognoſcitur uir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciat de illo. Eſt correptio mendax in ore contumelioſi, & eſt iudiciũ quod non probatur eſſe bonum, & eſt tacens, & ipſe eſt prudens. Quàm bonum eſt arguere, quàm iraſci, & cõfitentem in oratione nõ prohibere. Cõcupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per uim iudicium iniquum. Quàm bonum

num eſt correpto manifeſtare pœnitentiam, ſic enim effugies uoluntarium peccatum. Eſt tacens qui inuenitur ſapiens, & eſt odibilis qui procax eſt ad loquendum. Eſt autem tacens non habens ſenſum loquelæ: eſt & tacens, tempus ſciens aptitemporis. Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus, laſciuus autem & imprudens non ſeruabit tempus. Qui multis utitur uerbis, lędit animam ſuam, & qui poteſtatem ſibi aſſumit iniuſte, odietur. Eſt proceſſio in malis uiro indiſciplinato, & eſt inuentio in detrimentum. Eſt datum quod non eſt utile, & eſt datum, cuius retributio duplex. Eſt propter gloriam minoratio, & eſt qui ab humilitate leuabit caput. Eſt qui multa redimat modico precio, & eſt reſtituẽs ea ſeptuplũ. Sapiens in uerbis ſeipſum amabilem facit, gratiæ autem fatuorũ effundentur. Datum inſipientis non erit utile tibi, oculi enim illius ſeptemplices ſunt. Exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflãmatio eſt. Hodie fœnerat quis, & cras expetit, & odibilis homo huiuſmodi. Fatuo nõ erit amicus, & nõ erit gloria bonis illius. Qui enim edunt panem illius, falſæ linguæ ſunt: quotiens et quanti irridebunt eum? neque enim quod habendũ erat directo ſenſu diſtribuit, ſimiliter & quod non erat habendum. Lapſus falſæ linguæ quaſi qui à pauimẽto cadens, ſic caſus malorum feſtinanter uenient. Homo ingratus quaſi fabula uana in ore indiſciplinatorũ aſſidua erit. Exore fatui reprobabitur parabola, nõ enim dicit illam in tempore ſuo. Eſt qui uetatur peccare ab inopia, & in requie ſua ſtimulabitur. Eſt qui perdet animam ſuam prę confuſione, & ab imprudenti perſona perdet eam, perſonæ autem acceptione perdet ſe. Eſt qui præ confuſione promittit pro amico, & lucratus eſt eum inimicũ gratis. Opprobrium enim nequam in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſidue erit. Laudat furem aſſiduitas uiri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium ſine honore, & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione. Vos fratres admonemus profutura hominibus inuicem indeſinenter ſectari in charitate Chriſti. Similiter obſecramus uos in domino, ut digne ambuletis uocatione, qua uocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia inuicem ſupportantes in charitate, ſoliciti ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus deus, & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem noſtrũm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uero euangeliſtas, alios autẽ paſtores & doctores ad conſummationẽ ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij dei in uirum perfectum, in menſurã ętatis plenitudinis Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionẽ erroris: de occultis enim cordis alieni temere iudicare iniquum eſt, & eum cuius non uidentur niſi opera bona, peccatũ eſt ex ſuſpitione reprehendere. Oues ergo quæ paſtori ſuo commiſſę ſunt, eum nec reprehendere (niſi à recta fide exorbitauerit) debẽt, nec ullatenus accuſare poſſunt, quia facta paſtorum oris gladio ferienda non ſunt, quanq; recte reprehendenda uideantur. Ideo iſta dicimus, quia in ſcripturis ueſtris reperimus quoſdam epiſcopos noſtris in partibus à proprijs ouibus accuſatos, aliquos uidelicet ex ſuſpicione, & aliquos ex certa ratione. Et idcirco quoſdam eſſe rebus ſuis expoliatos, quoſdam uero à propria ſede pulſos. Quos ſcias, nec ad ſynodum comprouincialem, nec ad generalem poſſe uocare, nec in aliquid iudicare, antequam cuncta

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ eis ſublata ſunt, legibus poteſtati eorum redintegrentur. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, & eccleſias quæ ei ſublatæ ſunt, cum omni priuilegio ſuo reſtitui, & poſtmodum non ſub anguſti temporis ſpacio, ſed tantum temporis ſpacium eis indulgeatur, quantum expoliati uel expulſi eſſe uidentur antequam ad ſynodum conuocentur, & ab omnibus quibuſcꝫ ſuæ prouinciæ epiſcopis audiãtur. Nam nec conuocari ad cauſam, nec dijudicari poteſt expoliatus uel expulſus, quia non eſt priuilegium, quo expoliari poſſit iam nudatus. Vnde & antiquitus decretũ eſt, ut omnes poſſeſſiones, & omnia ſibi ſublata, atque fructus cunctos ante litem conteſtatam præceptor uel primas poſſeſſori reſtituat. Et alibi ſcriptum habetur: Ille qui uiolentiã pertulit, uniuerſa in ſtatu quo fuerant recipiat, & quæ poſſidet ſecurus teneat. Et alibi in ſynodalibus patrum decretis, & regum edictis legitur ſtatutum: Redintegranda ſunt omnia expoliatis uel eiectis epiſcopis præſentialiter ordinatione pontificũ, & in eorum unde abſceſſerunt loca fundatus reuocanda, quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut uirtute maiorũ, aut per quaſcunque iniuſtas cauſas res eccleſiæ, uel proprias, aut ſubſtantias ſuas perdidiſſe noſcuntur, ante accuſationem aut regularem ad ſynodum uocationem eorum. & reliqua. Eſt etiam in antiquis Eccleſiæ ſtatutis decretum, ut qui aliena inuadit, non exeat impunitus, ſed cum multiplicatione omnia reſtituat. Vnde & in Euangelio ſcriptũ eſt: Quod ſi aliquid defraudaui, reddo quadruplum. Et in legibus ſeculi cautum habetur: Qui rem ſubripit alienam, illi cuius res directa eſt, in decuplũ quæ ſublata ſunt, reſtituat. Et in lege diuina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus, Amen. Talia ergo non pręſumantur abſque ultione, nec exerceantur abſque ſua damnatione. Pacem & non damnũ, aut iniuſtitiã alicuius ſectamini inuicem & in omnes. Veritatem autem faciẽtes in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexũ per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundũ operationem in menſurã uniuſcuiuſcꝫ membri augmentũ corporis facit in ædificationem ſui in charitate. De cætero chariſſimi gaudete, & perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacẽ habete, & deus pacis & dilectionis erit uobiſcum. Dominus cuſtodiat uos & nunc, & in die æternitatis, Amen. DATA IX. CAL. Octobris, Conſtante. CC. conceſſ.

TERTIA EVSEBII EIPSTOLA AD EPISCOPOS ET DIACONES THVSCIAE ET CAMpaniæ, ut non ſolum diligentiores ſint circa ea gerenda, quæ adminiſtratio religioſa deſiderat, ſed etiam bonis operibus in hoc ſeculo ſint diuites, ne æterno gaudio priuentur. Et nonnulla alia de feſto inuẽtionis crucis, de hæreticis ſuſcipiendis, de impoſitione manuũ habebitis.

DILECTISSIMIS fratribus uniuerſis epiſcopis per Cãpaniam & Thuſciam conſtitutis, Euſebius. Benedictus dominus deus noſter qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam beati Petri Apoſtolorum principis ſacerdotio ditauit, nobiſcꝫ uiam monſtrandam circa nos propter uniuerſalem curam quæ nobis proprer priuilegium eiuſdem Eccleſiæ charitas indulſit, qui cohæremus firmitate fidei, iungamur quoque uotiua iocunditate colloquij, quo facilius dum per literarũ miniſteria ad uos uſque pertẽdimus, etiã corda ueſtra ad religioſum cultũ apoſtolicis admonitionibus incitemus,

citemus, & dum dilectionis noſtrę ſpei reddimus uelut quoddam debitũ, plenum circa deum monſtremus affectum. Iungamus ergo dilectiſſimi fratres, continuas & humiles preces, & deum noſtrum oris & cordis lachrymis ſupplicantes iugi deprecatione poſcamus, ut inſtitutione & opere illi cuius eſſe membra cupimus, hæreamus, nec unquam ab illa uia quæ Chriſtus eſt deuio tramite declinemus, ne ab eo iuſte quem nos impie relinquimus, deſeramur infideles. Quod cum ſuperni fauoris auxilio ea nobis poteſt ratione contingere, ſi apoſtolica dogmata, ſi patrum mãdata ſeruamus. Dicit enim dominus noſter: Qui diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Et licet hæc poſſint generaliter dicta ſufficere, ut uel declinemus errata, uel cuſtodiamus catholica, ab apoſtolis tamẽ eorũcꝫ ſucceſſoribus nouimus conſtitutũ criminationes aduerſus doctores nõ debere ſuſcipere, nec peregrina iudicia fieri, nec quenq̃ alterius iudicis q̃ ſui ſentẽtia debere conſtringi. Caput enim eccleſiæ Chriſtus eſt, Chriſti autem uicarij ſacerdotes ſunt, qui uice Chriſti legatione funguntur in eccleſia. Idcirco quicquid ad eorum fit iniuriã, ad Chriſtum pertinet qui dixit: Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit: & qui ſpernit me, ſpernit eum qui miſit me. Iſta fratres terribilia ſunt, & oppidò diligenter conſideranda & cauenda, & tam propter eos qui ſeipſos aut cupiditate, aut auaritia, aut inuidia perdere moliuntur, ne in profunda labantur, aut in talia incidãt mala, quàm propter perſecutores Eccleſiæ ſeruorumcꝫ eius qui iuxta ueritatis uocẽ oculos habentes non uident, & aures habentes non audiunt, nec intelligũt quæ placent deo, ſequentes in omnibus apoſtolicã regulam, & prædicantes eius omnia conſtituta ob cuſtodiam epiſcoporũ, qui columnæ eccleſiæ à deo dicti ſunt, & cæterorum uerorum ſacerdotũ firmantes cana patrum ſtatuta, ſtatuimus iterum cum omnibus qui nobiſcum ſunt epiſcopis, ſicut dudum decretum reperimus, ut homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſti, uenefici, ſuſpecti, criminoſi, doloſi, periuri & qui raptum fecerunt, uel falſum teſtimoniũ dixerunt, ſeu qui ad ſacrilegos diuinoſcꝫ concurrerunt, ſimilesq̃ eorum nullatenus ad accuſationẽ uel ad teſtimonium erunt admittendi, quia infames ſunt & iuſte repellendi, quia funeſta eſt uox eorum. Vocem enim funeſtã in omnibus interdici potius quàm audiri oportet. Periculum ergo quod doctoribus imminet, ſummopere ſemper cauendũ eſt & declinandum, & illi ſunt à cunctis portandi & cuſtodiendi, dicente domino: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Prima enim ſalus eſt rectæ fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis patrũ nullatenus deuiare. Nec poteſt domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiam meam. Et hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in ſede apoſtolica extra maculã ſemper eſt catholica ſeruata religio. Ideo chariſſimi & uos iuxta ſanctã ſcripturã diſcite bene facere & mala declinare, & patrum regulis imbui, ſicut ſcriptũ eſt: Fili ſi habes bene fac tecũ, & deo dignas oblationes offer. Memor eſto quoniã mors nõ tardat, & teſtamentũ inferorũ, quia demonſtratũ eſt tibi. Teſtamentũ huius mundi morte morieẽ. Ante mortẽ benefac amico tuo, & ſecundũ uires tuas exporrigens da pauperi. Nõ defrauderis à die bona, & particula boni doni nõ te prętereat. Nonne alijs relinquis dolores & labores tuos? In diuiſione ſortis da & accipe, iuſtifica animã tuã. Ante obitũ tuũ operare iuſtitiã, quia nõ eſt apud inferos inuenire cibũ. Omnis caro ſicut ſenũ ueteraſcet, & ſicut foliũ fructificans in arbore uiridi. Alia generanẽ, & alia deſciunẽ. Sic generatio carnis & ſanguinis alia finitur, & alia naſciẽ. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cũ ipſo. Et omne opus electũ iuſtificabiẽ, & qui operaẽ illud honorabitur in illo Beatus uir qui in ſapiẽtia ſua morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabiẽ, & in ſenſu cogitabit circumſpectionẽ dei. Qui excogitat uias illius in corde ſuo & in abſcõſis

Universidad de Deusto
Biblioteca

illius intelligens erit, uadens post illam quasi inuestigator, & in uijs illius consistēs. Qui respicit per fenestrā eius, & in ianuā illius audiens. Qui requiescit iuxta domū illius, & in parietibus illis figens palum. Statuit casulā suam ad manus illius, & requiescunt in casula illius dona per æuū. Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis illius morabitur, protegit sub ramis illius à feruore, & in gloria eius requiescet. Qui timet dominū faciet illud, & qui continēs est iustitiæ apprehendet illā, & obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à uirginitate suscipiet illū. Cibabit illū pane uitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illū. Et firmabitur in illo, et non flectet, et continebit illū, & non confundetur, & exaltabit eum apud proximos suos, & in medio ecclesiæ aperiet os eius, & implebit eū spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ uestiet illū, iocunditatē & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illū. Homines stulti non apprehendent illā, & homines sensati obuiabūt illi, homines stulti nō uidebūt illam. Longe enim abest à superbia & dolo. Viri mendaces non erūt illius, & uiri ueraces in uenient in illa, & accessum habebunt usque ad inspectionē dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris, quoniā à deo perfecta est sapientia. Sapiētia enim dei stabit laus, & in ore fideli abūdabit, & dominator dabit eam illi. Non dixeris per dominū abest, quæ odit nō feceris, nō dices ille me implātauit. Non enim necessarij sunt illi homines impij. Omne execramentū erroris odit deus, & nō erit amabile timētibus eum. Deus ab initio constituit hominē, & reliquit illū in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua. Si uolueris mādata, conseruabūt te, & in perpetuū fidem placitā seruare. Apposui tibi aquam & ignē, ad quod uolueris porrige manum, ante hominē uita & mors, bonū & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, quoniā multa patientia dei, & fortis in patiētia, uidens omnes sine intermissione. Oculi domini ad timētes eum, & ipse cognoscit omnē operam hominis. Nemini mādauit impie agere, & nemini dedit spaciū peccādi. Non enim concupiscit multitudines filiorum infideliū & inutiliū. Ne iocūderis in filijs impijs si multiplicent, nec oblecteris super ipsos, si non est timor dei cum illis. Non credas uitæ illorū, & non respexeris in labores eorum. Melior est enim unus timens deum, cū mille filij impij. Et utile mori sine filijs, quàm relinquere filios impios. Ab uno sensato inhabitabit patria, & à tribus impijs deseretur. Multa alia uidit oculus meus, & fortiora horū audiuit auris mea. In synagoga peccantium exardebit ignis, in gente incredibili exardescet ira. Non exorauerūt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destruxerūt confidentes suæ uirtuti, & nō pepercit peregrinationi illorū, sed percussit eos, & execratus est illos præ superbia uerbi illorū. Non misertus est illis totā gentem perdēs, & extollentes se in suis peccatis. Et sicut sexcenta millia peditū, qui cōgregati sunt in duritia cordis sui. Et si unus fuisset ceruicatus, mirū si fuisset immunis. Misericordia enim & ira est cum illo potens exoratio, & effundens iram secundū misericordiam suā. Sic correptio illius homines secundū opera sua iudicabit. Non effugiet in rapina sua peccator, & non retardabit sufferentiā facientis misericordiā. Omnis misericordia faciet locū unicuiq; secundum meritū operum suorū, & secundū intellectū peregrinationis. Nō dicas à deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno nō agnoscar. Quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cœlū & cœli cœlorū, abyssus, uniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius cōmouebunt, mōtes simul & colles & fundamēta terræ. Et cū conspexerit illa deus, tremore cōcutient, & in omnibus his insensatū est cor. Et omne cor intelligitur ab illo, & uias illius quis intelligit? Et procellā quā nec oculus uidit hominis? Nam plurima opera illius sunt in absconsis, sed opera iustitiæ illius quis enarrabit, aut quis sustinebit? Large enim est testamentū à quibusdā, & interrogatio hominū in cōsummatione est. Qui minoratur corde, cogitat mala, & uir imprudens &

& errans cogitat stulta. Omnis ergo fratres sermo malus de ore uestro nō procedat sed si quis bonus est ad ędificationē opportunitatis, ut det gratiā audiētibus. Et nolite cōtristare spm̄ sanctū dei, in quo signati estis in die redēptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cū omni malitia. Estote autē inuicem benigni, misericordes, donātes inuicē sicut & deus in Christo donauit uobis. Estote ergo imitatores dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiā deo in odorē suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquiū, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immūdus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) nō habet hæreditatē in regno Christi & dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis. Propter hæc enim uenit ira dei in filios diffidētiæ. Nolite ergo effici participes eorū. Eratis enim aliquādo tenebræ, nunc autē lux in domino ut filij lucis ambulate. Fructus em̄ lucis est in bonitate, & iustitia, & ueritate, probātes quid sit beneplacitū deo, & nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autē redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Omnia autem quæ arguūtur à lumine manifestātur: omne enim quod manifestat̄, lumē est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaq; fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimētes tempus, quoniā dies mali sunt, propterea nolite fieri impruden tes, sed intelligentes quæ sit uolūtas dei. Et nolite inebriari uino, in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto loquētes uobismetipsis in psalmis et hymnis in cordib. uestris, domino gratias agētes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri, subiecti inuicem in timore Christi. Crucis ergo domini nostri Iesu Christi quæ nuper nobis gubernacula sanctæ Romanæ ecclesiæ tenentibus quinto nonas Maij inuenta est, in prædicto calendarū die inuētionis festū uobis solenniter celebrare mādamus. Similiter & hęreticos omnes quic ūq; dei gratia cōuertunt̄, in sanctæ trinitatis nomine credētes baptizati sunt, Romanę ecclesię regulā tenentes per manus impositionē reconciliari præcipimus. Manus impositionis sacramentū magna ueneratione tenendū est, quæ ab alijs perfici nō potest, nisi à summis sacerdotibus. Nec tēpore apostolorū ab alijs q̄ ab ipsis apostolis legit̄ aut scitur peracta esse, neq; ab alijs (sicut iam dictū est) q̄ ab illis qui eorū locū tenent, unquā perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptū fuerit, irritum habeatur & uacuū, nec inter ecclesiastica unq̄ reputabitur sacramēta. De cętero fratres gaudete & exultate in domino, ut sancti spiritus gratia illuminati & cōfortati, uos uestros q; & exultate in domino, ut sancti spiritus gratia illuminati & cōfortati, uos uestros q; ad pascua æternæ uitæ peruenire atq; perducere adminiculante domino ualeatis. Gratia domini nostri Iesu Christi & charitas dei & cōmunicatio spiritus sancti sit semper cū omnibus nobis, Amen. DATA VIII. Calen. Sept. Constante. C. cōsule.

EPISTOLA AEGYPTIORVM PONTIFICVM AD MARCVM PAPAM pro exemplaribus Niceni Concilij, quia Arriani eorū exēplaria incēderāt.

SANCTO & apostolici culminis uenerādo domino Marco sanctę Romanæ & apostolicæ sedis atq; uniuersalis Ecclesiæ papæ, Athanasius & uniuersi Aegyptiorū episcopi. Ad uos peruenisse nō dubitamus quanta & qualia ab hæreticis, & maxime ab Arrianis quotidie patimur, quoniā in tantū ab eis persequimur, ut etiā uiuere nos tædeat. Nam instāti tēpore subitò & insperatè in nos irruētes, nos q;

iuxta præceptū domini, qui ait, si uos persecuti fuerint in unam ciuitatē, fugite in aliam: fugiēdo propter cladem populi declinātes, nos comprehēdere nō ualuerūt, sed omnia nostra depopulati sunt, in tantū eīm nostra uastauerūt, ut nec libros, nec uestimenta ecclesiastica, aliaq; ornamēta, nec reliqua utensilia nobis dimitterēt. Libros uero nostros usq; ad minimū incendētes, nec iota unum relinquētes propter ueritatis fidē Nicenā synodū, qua clerus & populus imbuebatur, & maxime iam imbuti erant, in contumeliā nostrā, & omniū Christianorū, incenderūt. Quapropter precamur pater beatissime, quia nō dubitamus apud uos plenaria esse Niceni Concilij exemplaria, ut nobis illa quæ sanctæ recordationis prædecessoris uestri Syluestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prædictæ synodo cū beatæ memoriæ Alexandro digno deo pontifice nostro, id est, Alexādrinę magnę ciuitatis episcopo in diaconatus interfuimus officio, sub nostrę presentiæ testimonio per beatos uiros Victorē, Vincentiū presbyteros apostolicę sedis apocrisarios missa sunt prædicto papæ Syluestro cum astipulatione subnexa capitula lxx. Sane presentibus nobis lxxx. capitula in memorata tractata sunt synodo, xl. à græcis græca lingua ædita, & xl. à latinis similiter latina ædita lingua: sed uisum est trecētis decem & octo patrib. in prædicto sancto spiritu repletis Cōcilio cōgregatis, & maxime iam dicto Alexandro, & apostolicæ sedis apocrisarijs, ut x. capitula adunarentur, alijs atq; cōgruis in locis infererenē, et ad formā lx. discipulorū uel totius orbis terræ linguarū, lx. tāti & tam excellētis concilij fierēt capitula, quæ omnē Christianorū informarēt orbem, & omnes sub sacerdotali & Christiano nomine degentes una fides, & una sacerdotalis atq; clericalis regeret norma, nec quisq; à suo dissideret capite. Nunc ergo, ut prædictū est, inimici sanctę dei ecclesiæ, & maxime Arriani à quibus quotidie expugnamur, conterimur, & opprimimur, præfata lxx. Niceni Concilij capitula quæ de præfata synodo iam facta, iubēte domino meo Alexandro, decreto omniū episcoporū attuli, quæ etiā coram omnibus recitaui atque transcripsi, sunt igne cōbusta, optamus ut à uestræ sanctæ sedis ecclesię autoritate quę est mater & caput omnium Ecclesiarū, ea ad correptionē & recreationē fidelium orthodoxorū percipere per presentes legatos mereamur. Verè nouimus apostolatus uestri cor gratia sancti spiritus in tantū esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis, quanto magis nobis qui licet exigui ordinis, tamē uestri sumus, uobisq; obedientes, cum omnibus nobis cōmissis, & esse semper uolumus. Ideo decet & oportet uos nobis hæc quæ rogamus, & alia quę necessaria iuxta sapientiā quā uobis præstitit altissimus esse cognoueritis, absq; tarditate præstare, ut tantæ miseriæ squalores à fideliū mētibus detergātur, & quasi uulnus corpori infixū aditu tantæ miseriæ obserato, salutari curetur antidoto, ut diuino freti iuuamine, uestraq; autoritate atq; auxilio roborati, aduersantiū tergiuersationes euadere ualeamus, atq; incōfuso uultu nō fraude cuiusq; perculsi assistere ęterno iudici mereamur, et uocē audire Christi, Euge serue bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituā, intra in gaudiū domini tui.

RESCRIPTIO MARCI PAPAE DE MISSIONE CAPITVLORVM NICENI CONCILII ATHANASIO & omnibus Aegyptiorum Episcopis.

DOMINIS uenerabilib. fratribus Athanasio, & uniuersis Aegyptiorum Episcopis, Marcus S. Ro. Ecclesię episcopus. Doleo fratres et nimiū contristor super afflictione uestra, sed oppidò cōsolor, quod uento agitata non estis harundo, sed recti in fide inter omnes procellarū & turbinū colluctatiōes incessanter perduratis. Lectis ergo frat. uestræ literis, uigorē cōstantię quē olim noueramus, agnouimus

mus, congratulantes uobis quod ad custodiendū gregem pastoralē curam uigilanter insequimini, ne lupi qui sub specie ouium subintrarūt, bestiali sæuitia supplices quasq; dilacerent, qui non ad hoc subintrarūt, ut aliqua correctione proficiant, sed ut ea quæ sunt sana corrumpant. Quapropter moneo & hortor dilectionem uestram, ut bonū quod incepistis adminiculante diuina gratia usq; in finē perducere satagatis, ueritatis uoce monente: Beatus qui perseuerauerit usq; in finem: unde enim beata perseuerantia nisi de uirtute patientiæ? Nam iuxta apostolū, omnes qui uoluerint pie uiuere in, Christo persecutionē patienē: quæ non in eo tantū computanda est, quod contra Christianā pietatem, aut ferro, aut ignibus agit, aut quibuscunq; supplicijs cum persecutionū sæuitiā suppleant, sed dissimilitudines morū & contumacię inobedientiū, & malignarū tela linguarū, quibusq; conflictationibus cōmunia semper membra pulsant, ita ut nulla piorū portio à cōflictatione sit libera, periculis nec ocio careant nec labore, nam hęc & omnia incrementa probabiliū studiorū, & in eis usq; in finem perseuerantia, atq; bonę uoluntatis incrementa, ad Christi gratiā semper sūt referēda, ut in omnibus quę agimus deus omni perfecte laudet tēpore. De capitulorū nanq; uerorū Niceni cōcilij, quibus nos interfuisse literis uestræ fraternitatis significastis, à nostris qui unà nobiscū interfuerunt diligentioribus requisiuimus collocutionibus, qui ita ut uestræ testatæ sunt literæ, omnem nobis ordinē exposuerunt, & uestram epistolam per omnia ueram esse testificati sunt, non ut nos aliquid sinistrū uestra ex parte arbitraremur, sed nos & uos illosq; absq; ulla in posterum titubatione unum sentire optaremus, & sancta Romana ecclesia quæ semper immaculata permansit, & domino præuidente, & beato Petro apostolo opem ferente in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione firma & immobilis omni tempore persisteret. His ita peractis diligenter requirētes in sancto nostræ & apostolicæ sedis scrinio eadē quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Syluestro sunt directa, septuaginta (ut significastis) capitula illęsa inuenimus. Ipsa enim uobis propter autoritatē et subscriptionē tantorum patrū & eius magni concilij minime misimus, sed per eadem coram apocrisarijs uestris alia similia eundem numerū eademq; uerba, & ipsam subscriptionē continentia, uobis rescribere & sub certa stipulatione & confirmatione mittere curauimus. Et quis est qui fratribus suis talia negare audeat? Nam non negligenda nobis hæc per sancti spiritus gratiam dominus docuit, sed fideliter exercenda & fratribus cōtradenda & docenda distribuit. Hęc apostolorū uiua traditio, hęc est uera charitas quę prædicāda est, & pręcipue diligēda ac fouenda, atq; fiducialiter ab omnibus tenēda: hęc sancta & apostolica mater omniū ecclesiarū Christi ecclesia, quę per omnipotētis dei gratiā à tramite apostolicę traditionis nunq; errasse probat, nec hæreticorū nouitatibus de prauāda succubuit, sed ut in exordio normā fidei Christianę percepit ab autoribus suis apostolorū Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundū ipsius domini saluatoris diuinā pollicitationē, qui discipulorū suorū principi in suis fatus est euangelijs: Petre, inquiens, ecce Satan expetiuit ut cribraret uos sicut qui cribrat triticū, ego aūt pro te rogaui ut nō deficiat fides tua, & tu aliquando cōfirma fratres tuos. Cōsideret itaq; uestra excellens prudētia quàm bonū sit supersistere in dispensatione uobis credita, & in fide recta, atq; hęreticis & æmulis Christi repugnare, & nunquā à ueritatis tramite declinare, quoniā dominus et saluator omniū cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri nō defecturā promisit, & cōfirmare eū fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meę exiguitatis prædecessores cōfidenter fecisse semper cunctis est cognitū, quorū & pusillitas mea licet impar sit & infirma, pro suscepto tamē diuina dignatiōe ministerio, pedissequa cupit existere: uę em̄ erit nobis q huius ministerij onus susceptū habemus, si ueritatē saluatoris nostri Iesu Christi, quā apostoli prędicauerūt, prędicare neglexerimus: uę erit nobis si silentio ueritatē oppresserimus,

qui erogare nummularijs iubemur, id est Christianos populos imbuere & docere. quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis eius ueritatē cōfun dimur prędicare? quid erit de nobis cū de cōmissis nobis animabus, & de officio su scepto rationē iustus iudex Christus deus noster districtā exegerit? Ideo fratres hor tor dilectionē uestrā, obtestor & moneo, ut qua debetis & potestis solicitudine uigi letis ad inuestigandos hæreticos & inimicos sanctæ dei ecclesiæ, & à suis mentibus ne pestis hæc latius diuulgeī, seueritate qua potestis pro uiribus extirpetis: quoniā ut habebit à deo dignę remunerationis prēmium qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus, ita ante tribunal domini de reatu ne gligentiæ se non poterit excusare quicunq; plebem suam contra sacrilegę persuasio nis autores noluerit custodire. Data xx. Calendas Nouembris, Nepotiano et Se cundo uiris clarissimis consulibus.

EPISTOLA ATHANASII ET AEGYPTIORVM EPISCOPORVM AD LIBERIVM PAPAM, de oppressionibus Arrianorum.

DOMINO beatiss. & honorabili sancto patri Liberio papæ Athanasius, & uniuersi Aegyptiorum episcopi, in unum synodice apud Alexandriam cōgregati. Vestræ beatissimæ paternitatis iura penes deū sunt manifesta, dum prædicationibus scilicet apostolicis, & doctrinis ueræ fidei cultura uniuersa repleta sit terra: per diuinorū tamen eruditionē eloquiorū uestra instruēte admonitione exhortato ria superædificaī orthodoxa Christi ecclesia apostolica institutione fundata, & à fidelibus patribus firmissime roborata, ad quā omnes beatissimi apostoli pari honoris et potestatis cōsortio prēditi populorū agmina cōuertentes, pie sanctęq; de tenebris ad lumē, de lapsu ad ueram fidē, de morte ad uitā homines diuinę prędestinationis gratia pręceptis ac monitis perduxerūt, quorū sanctorum apostolorū uestra fraternitas honorāda sequēs merita, et perfectius implēs exēpla, ecclesiā dei morū probitate, et actuū sanctitate cōdecorat, & fide sacra christianis moribus uigēs, quę fieri deo placita pręcepit studijs pōtificalibus indesinēter operaī & perficit, seruās legis diuinę mādata, quia nō legis auditores iusti sunt apud deū, sicut narrat apostolus, sed factores legis iustificabunt. Nos em̄ hęc meditari cupiētes, et ea quę à sancta sede uestra apostolorū, eorūq; successorū prędicatione susćepimus, atq; quę in Nicęna synodo roborata cognouimus prædicare, et Arrianorū blasphemias, atq; aliorū hęreticorū repellere cupientes q̄tidie ab his persequimur, & dānationi tradimur atq; morti destinamur. Qua de re precamur, ut uestris exhortatiōibus, tā per uos q̄ & per apocrisarios uestros adiuuemur, ne dū illi crescunt & nos minuimur, uera fides destruaī, et eorū hæresis ultra fidē nostrā crescat: quoniā timemus, ut postq; abūdauerit iniquitas, refrigescat charitas multorū. Pro qua re multa uestrę sacræ doctrinę tam apud deū q̄ apud cūctos fideles merces et laus reposita est, si uestra hęc re censeī autoritate: nostrā em̄ fidem quā à sanctis patribus accepimus et tenemus atq; docemus subter inseruimus, ut si aliquis uobis aliter nos credere aut docere, aut accusando, aut mussitando retulerit, uel detrahendo scriptis mandauerit, per hanc manifeste nos ita credere et docere agnoscatis. Credimus nanq; in unū deum patrē omnipotentem, omniū uisibiliū necnon inuisibilium factorē, & in unum dominū nostrū Iesum Christū filium dei natū ex patre unigenitū, hoc est, ex substātia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum uerū ex deo uero, natum, non creatum, homousion, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, cœlestia, terrestria. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cœlū, uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritū sanctū. Eos aūt qui dicunt

dicunt, erat tempus quando nō erat, & priusquā nascereī non erat, & quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia uel essentia, dicūt esse trepton, hoc est, cōuertibilē atq; mutabilē filiū dei: hos anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Hanc uenerabilē fidem trecenti quidē decem & octo patres agnouerunt, & amplexi sunt, & cōsonantes & unanimes scriptis explanauerūt. Sed modo quoniā cōtra hæc (ut nostis) talia exurgūt, qualia nō debent, uenite & nos dilectissimi fratres cū deo descendamus ad uisitationē, id est, inquisitionē sermonū eorum, & confundamus per approbationē uerissimā ibidem linguas eorū eleuatas contra scientiam unigeniti filij dei, et iniquitatē in altitudinē humanitatis eius loquētes, disrumpamus uincula eorū per gladiū spirituālē, quod est uerbū dei, & projciamus à nobis iugum ipsorū per expugnationē profani sensus illorū. Tunc enim ipse quoq; dominus irridebit eos, & subsannabit, & tunc loqueī ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, secundū beatum Hieremiā dicens: Falsō prophetæ isti uaticinanī in nomine meo, nō enim misi eos, & non prēcepi eis, neq; locutus sum ad eos uisionē mendacem, & diuinationē & fraudulentiā & seductionē cordis sui prophetant uobis. Ideo hęc dicit dominus de prophetis qui prophetāt in nomine meo mēdaciū: Erunt protecti in uijs Hierusalē, & cōculcatio omniū pie confitentiū me, & non erit qui sepeliat eos. Nemo enim abscondere potest quibusdā subreptionem cōmentitijs, sicuti nec olijs fici antiquis transgressor præcepti Adā potuit, qui per propriam linguā inuerecunde nudaī, laqueus em̄ fortis uiro labia eius, & captus proprijs sermonibus, & opera manuū eius, retributio aūt labiorum eius dabitur ei & impietatis reprehensio. Arguam te, inquit, & statuā contra faciem tuā, existimasti inique quod essem tibi similis. Propterea sicut dicit dominus ad Gedeon, deponamus eos ad aquā ueræ discretionis, & probemus eos ibi regulari examinatione in idipsum pronos corruentes per ostensionem praui intellectus eorū, utrum ne sint apud eos sapientes diuini uerbi scientiā ignorantes, quoniā dicentes esse se sapientes stulti facti sunt, et mutauerūt gloriā catholicę ecclesię propria nouitate et uoluntate, siue per ea quæ illicite in eius defensione gesta sunt, hęreticā turbulentiam introducentes, illud cōpetenter ad nos retinentes quod bene ad Iesum filiū Sirach dictū est: Vsq; ad mortē certa pro ueritate, & dominus pugnabit pro te. Huius rei gratia uniuersalis uobis in Christo Iesu cōmissa est ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis opē ferre nō negligatis: quia dū fortis armatus custodit atriū suū, in pace sunt omnia quę possidet. Ideoq; tāta urgēte necessitate summopere cōprimite uestra summa autoritate infestos, releuate oppressos, ut absq; graui damno, opitulante facultate, ipsi gratāter omni tempore sacrificare mereamur illęsi. Et subscriptio: Aeterna te seruet diuinitas per multos annos sanctissime patrum pater. Amen.

LIBERII PAPAE AD ATHANASIVM ET AEGYPTIORVM EPISCOPOS EPISTOLA, IN QVA FIdem eorum commendat, & sacræ scripturæ testimonijs innixus, aduersus Arrianos hæreticos animat.

DIlectissimo filio Athanasio, & omnibus in unū cōgregatis, & de trinitatis fide recte sentiētibus Aegyptiorū episcopis, Liberius papa. Olim et ab initio tantā percepimus à beato Petro apostolorū princi pe fiduciā, ut habeamus autoritatē pro uniuersali ecclesia ad rectā defendendā fidem, quatenus nulli liceat statū sanctæ ecclesię cōmouere ad læsionem recte credentiū absq; sui periculo honoris. Epistolam siquidē uestram nobisq; directam ante nos recitari fecimus, tribulationes & persecutiones quas pro recta fide patimini intelleximus. Super quibus & nos unà uobiscum cōdolemus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

condonemus, & laborare pro uobis ut pater pro filijs parati sumus. Fidem uero Niceni cõcilij in eadẽ epistola rectã reperimus, super qua & deo gratias uberrimas retulimus, pro qua nõ solummodo persecutiones & passiones sustinere uobiscũ parati sumus, sed etiã si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, inquantũ nostra sinit fragilitas, nõ respuimus. Igit̃ prędictũ sanctum conciliũ (ut legimus) definiuit Nicenum, aliã fidem nullilicere proferre, aut conscribere, uel cõponere, aut sapere, uel docere aliter, nec quicquã in fide sentire, aut proferre, quod his patrũ regulis possit obuiare. Qui aũt præsumpserit cõponere aliã fidem, aut proferre, docere, uel tradere aliud symbolũ ad uiam ueritatis conuerti desiderantibus de quacunq; hęresi, uel ex ludæis, uel ex paganis Christianos se fieri uolentibus, hi si episcopi fuerint, aut clerici, alienari quidẽ episcopos ab episcopatu, cleros à clero. Si uero monachi, aut laici fuerint, anthemate feriri. Protestatur etenim beatus apostolus dicens: Si quis certat, non coronatur, nisi legitime certauerit. Et iterũ dominus ait: Qui autẽ perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit: uidelicet certaminibus sacris propositis nobis pro defensione catholicæ ecclesiæ, magnaq; salute ex hoc sperata ab omniũ bonorũ datore deo. Nõ deficiant manus nostrę dilectissimi fratres per occasionẽ cuiuslibet, desidia dissolutę, sed fortes efficiamur per gratiã domini atq; uirtutẽ potentię eius, quoniã perfecit pedes nostros tanquo ceruorũ, & super excelsa firmius statuit intellectus summæ eius humanitatis propter nostrã salutem, maxime tantũ habentes impositã sanctorũ testium nubẽ. Deponẽtes ergo omne pondus, & circumstantẽ aduersariorũ nouitatẽ, per patientiã curramus, aspicientes in autorẽ fidei, & cõsummatorẽ Iesum, qui in proposito nobis propter eum negotio, spiritum nobis suę ueritatis condonet, loquentẽ in nobis atq; prohibentẽ magnalia fidei per doctrinam sanctorũ patrũ quos aduersarij calumniant̃ quotidie. In prophetis nanq; habetur: Propter Sion nõ tacebo, & propter Sion non quiescã, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendat̃. Profecto catholica ecclesia quę uera cõsistit Sion, & ciuitas Christi cœlorũ regis per tot annorũ spatia expugnata ab auersantibus uerba fidei, qui neq; deũ timent, neq; hominẽ reuerent̃, sed incassum perducentibus pias & canonicas de hoc uerbo doctrinas, dum aduersis tantisq; scripto & sine scripto cõtestationibus inuitati fuissent corrigere propriam, & sepelire hæresim, sicuti & per anteriorẽ cognitionem luculentius demonstratũ est, tam per libellos quàm per suggestiones reuerendissimorũ sacerdotũ, & uenerabilium abbatũ, apostolo protestante nobis, ut hominem hęreticũ post primam et secundam correptionẽ euitare debeamus, scientes quia huiusmodi subuersus est, & delinquit proprio iudicio condemnatus, nullo modo oportet nos deinceps tacere, aut quiescere, ne quomodo iniqui iudicemur odibilem deo pacem amplectentes: quoniam scriptum est, Zelaui in peccatoribus pacem peccatorũ uidens: & dicatur etiam de nobis, Sacerdotes mei contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanũ non habuere distantiam, inter pollutum & mundum non intellexerunt: sed consurgere in deo, & consistere prompte ei, & induentes arma spiritus aduersus malignantes contra fidem eius, ut approbemus spiritus sapienter, id est, uerba eorum si ex deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia: Probatorem dedi te in populo meo robustum, scies & probabis uiam eorum. Multa nanque nobis necessaria est uigilantia, & tanta diuinæ sapientiæ ri-
matio quæ occulta tenebrarum reuelat ad requisitionem huiusmodi rei, & scrutationem, quoniã latet quodammodo & abscondit, uixq; cõprehenditur, dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatẽ callide blandiat̃, ut ualeat scrutantiũ mentem latẽre. Quod utiq; sciens beatus apostolus ait: Nam huiusmodi pseudoapostoli, & operarij subdoli transfigurant se in apostolos Christi. Sed non mirum, quoniam & ipse Satanas transfigurat se uelut angelus lucis; & ideo non mirum, si ministri eius transfi-

transfiguratur uelut ministri iustitiæ, quoniam finis secundum opera eorum, sed & dominus in hoc præmuniens nos, ait: Attendite à falsis prophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus sunt lupi rapaces, à fructibus eorũ cognoscetis eos. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quæstione deprecationẽ, & dicentes cum Dauid: Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua: lucerna enim pedibus meis uerbum tuum domine, & lumen semitis meis: quoniã ipsius est (sicut ait beatus Daniel propheta) sapientia, fortitudo: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinã. Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Quia sapientiã inquit, & fortitudinem dedisti mihi, & ostendisti mihi quæ rogaui te. Cum opera diuina uniuscuiusq; personæ descripta, eorum qui pro nouitatis commento accusati sunt de uenerabili nostro scrinio obsecundantibus, & nobis ordinabiliter offerentibus, solertius intendamus, ita ut qui hæc pręsumpserint præuaricari, primum quidem subiaceant iudicio terribili omnipotentis dei, deinde autem qualemcunque regalem indignationem reuereantur, per quam quidem si episcopi aut clerici sunt, à sui sacerdotij, siue à sui cleri ordine modis omnibus excedant. Si autem monachi sunt, segregentur & alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur de eis. Sin autem sunt priuati, si quidem nobiles existunt suarum substantiarũ proscriptionem patiantur. Sin autem ignobiles consistunt, non solum in corpore uerberentur, sed exilio perpetuo castigentur, ut omnes timore dei compressi, & cõminata eis digna supplicia, reuerentes immobilem & sine turbatione pacem sanctarum dei ecclesiarum custodiant. Data octaua Calendarum Iunij, Asclepio & Deodato III. cc. consu.

EPISTOLA AEGYPTIORVM PONTIFICVM AD FELICEM PAPAM DE infestationibus Arrianorum.

DOmino beatissimo & honorabili sancto patri Felici, sanctæ sedis apostolicę urbis Romę papæ, Athanasius, & uniuersi Aegyptiorum Thebaidorum & Libyorum episcopi in sancta Alexandrina synodo, gratia dei congregati. Uestro sancto suggerimus apostolatui, ut nostri more solito solicitudinem gerere dignemini, iuxta uestrã prudentiss. sapientiã quæ omnibus luce clarius manifesta est: quia apostolicis uestra beatitudo uisceribus cõmota, per tribulationem nostram nos omnes hortata est ad tuitionẽ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ in unũ conuenire, & de nostra canonicè oppressione, & unanimiter tractare, dum cõstat nos unà cum beato Paulo apostolo eadem compassibiliter dicere, Quis infirmat̃, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? satagentes ne aliqua de eis quę nobis creditę sunt rationabilibus ouibus à bestijs capiatur. Ideo Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à uestra apostolica sancta sede auxiliũ hausimus, & nostri uos curã habere agnouimus, prefatã apostolicã & summã expetimus, iuxta canonum decreta, sedẽ, ut inde auxiliũ capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes & dogmata atq; subleuationes ceperũt: ad eam quoq; quasi ad matrem recurrimus, ut eius uberibus nutriamur, quoniã non potest mater obliuiscì infantẽ suũ: sic & uos nolite obliuiscì nos uobis cõmissos, quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerũt, & quotidie facere moliuntur afflictionibus, et apprehendere aut ferro nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus, quod nequaquam uobis inconsultis agere pręsumimus, canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere pontifice; ideoq; ad

propoſitum recurrentes & ad brauium properantes, ueſtræ apoſtolicæ ſedis implo-
ramus auxiliū: quia ut credimus, non deſpexit deus preces cum lachrymis ſibi
oblatas ſeruorum ſuorum, ſed ob id uos prædeceſſoresq; ueſtros apoſtolicos uide
licet præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniumq; eccleſiarum eis curam habe
re præceplt, ut nobis ſuccurratis, nosq; tuentes, cui omne epiſcoporum iudicium
eſt commiſſum, liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis: nam ſcimus in Nicena
magna ſynodo trecentorum XVIII. epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe
roboratum, non debere abſq; Romani pōtificis ſententia cōcilia celebrari, nec epi
ſcopos damnari: licet hæc & alia quamplura neceſſaria ab hæreticis, qui nos quoti
die infeſtant & perdere nituntur, ut facilius nos capere poſſint, ſint ſynodica capi-
tula incenſa nobisq; ſublata. Qua de re hac inuenta occaſione indifferenter omni
canonica & apoſtolica poſtpoſita autoritate, nos ui à proprijs uobis inconſultis illi-
cite expellunt ſedibus, ouesq; nobis à Chriſto domino apoſtolica commiſſas gra-
tia inuadunt, gradibus priuant, & quod peſſimum eſt & omnibus Chriſtianis legi-
bus inimicū, perficere decertant. Vos ergo, ut ſemper ueſtræ ſedi ſanctę conſuetu-
do fuit, periclitantibus ſubuenite, oppreſſos roborate, tribulantibus manum por-
rigite, taliaq; prohibete, & leges imponite, ut apoſtolica doctrina quæ in deo eſt,
citò ad uictoriam iudicium perducere ualeat noſtrum, nosq; apoſtolorum princi-
pe ſuffragante Petro, ab imminentibus periculis liberare. Nouimus nanq; in iam
præfata Nicena ſynodo generaliter eſſe decretum, ut nullus paſſim uageq; epiſco
pos aut præſumptiue lacerare, aut accuſare, & qui non eſt rectæ fidei uel bonę ui-
tæ uel claræ conuerſationis, aut infamare præſumat: ſed prius ſi erga epiſcopos uel
autores eccleſiæ quiſquā cauſam habuerit, eos cum charitate manſuete conueniat,
ut ab eis uulnus unde agitur recte ſanetur, aut ipſe ſi ſecus egerit accuſator excom
municet. Quod ſi ab eis nihil ualuerit recte percipere, tunc primo ſummos adeat
primates, & ipſi tempore congruo canonice eos conuocare debebunt: qui ſi aut
ſuis rebus expoliati, aut à proprijs ſedibus eiecti, aut exulantes, uel oppreſſi, aut
inique tractati fuerint, primo eruantur, & canonice reſtituantur, atque omnia
ſibi ſublata, integerrime eis legibus reddantur, quoniam priuſquam hęc fiant, ut in
prædicto conſtitutum eſt concilio, nec canonice conuocari, nec diſtringi à quoquā
poſſunt, quoniam nec ſeculi leges hæc fieri permittunt, quanto magis eccleſiaſti-
cæ. Similiter & à ſupradictis patribus eſt definitum conſonanter, ut ſi quiſquam
epiſcoporum aut metropolitanum, aut comprouinciales, uel iudices ſuſpectos ha
buerit, ueſtram ſanctam Romanam interpellet ſedem, cui ab ipſo domino poteſtas
ligandi ac ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim firmamen-
tum à deo fixum & immobile percepit, quoniam ipſam formam uniuerſorum ti-
tulorum lucidiſſimam dominus Ieſus Chriſtus ueſtram apoſtolicam conſtituit ſe-
dem, ipſa eſt enim ſacer uertex in quo omnes uertuntur, ſuſtentantur, releuantur:
& ſicut in Chriſto Chriſtiani, & in petra, id eſt, Chriſto, Petrus, renouātur eccleſię.
Tu es (ſicut diuinum ueraciter teſtatur eloquium) Petrus, & ſuper fundamentum
tuum eccleſiæ columnæ, id eſt epiſcopi, qui eccleſiam ſuſtinere, & proprijs hume-
ris portare debent, tibi ſunt confirmatæ: tibiq; claues regni cœlorum commiſit,
atq; ligare & ſoluere poteſtatiue quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt, promulgauit.
Tu prophanarum hæreſium, & impetitorum atq; omnium infeſtantium depoſi-
tor, ut princeps & doctor, caputq; omnium orthodoxæ doctrinæ immaculatæ fi-
dei exiſtis. Igitur ne deſpicias pater tuorum patrum pietatem, bonamq; intentio-
nem, & ſicut illi patres & prædeceſſores noſtros à multis liberauerunt oppreſſio-
nibus & anguſtijs, ita nos liberare digneris. Nam fuit ſemper ueſtræ ſanctæ & apo
ſtolicæ ſedi licentia, iniuſte damnatos, uel excommunicatos, poteſtatiue ſua autori
tante reſtituere, & ſua eis omnia reddere, & illos qui eos condemnauerūt, aut ex-
cōmuni-

cōmunicauerunt, apoſtolico punire priuilegio, ſicut etiam noſtris, & anterioribus
cognouimus actum temporibus. Porrò & ipſi primates, qui epiſcoporū & ſummo
rum eccleſiaſticorū negotiorum cauſas ſuſcipere debent, in præfixa Nicena ſyno-
do ſunt dinumerati, ne in poſterum cōtentio ex hoc oriretur. O ſanctiſſime pater
patrum abſcinde blaſphemias, & iactantiam uaniloquorū, & inſidiantium infeſta
tiones, nos & fratres noſtros opprimentiū atq; perdere uolentiū, qui ad uos qua-
ſi ad caput confugimus, ut ueſtro ſuffulti auxilio liberemur, & uobis nobisq; com
miſſas Chriſti oues à luporū ore domino adminiculante antequam deglutiantur,
eripiamus. Nec enim phas eſt ſupplicū apoſtolicæ ſedis ſcripto, aut ſine ſcripto pre
ces oblatas deſpicere, ſed ut condecet & priuilegiū ueſtræ ſedis eſt, & nos & illi ca-
nonicaliter conuocemur, & ante uos de noſtris obiectionibus canonice cum oma
ni probitate concertemus, ſicut prædeceſſores noſtri penes ueſtros fecerunt ante-
ceſſores, & ſicut canonica in prædicta ſancta ſynodo docent inſtituta, & ueluti
paleati uerbi per uentilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem in
cōmuni conſiſtentes auditorio, de maturis & nutrientibus catholicæ eccleſiæ do-
gmatibus quę confirmant cor hominis, participationē paternarum conſequamur
inſtitutionū. Antiquis enim regulis cenſitum eſt, ut quicquid, quamuis in remotis
aut longinquis poſitis prouincijs, ſuper epiſcoporum querelis, aut accuſationibus
ageretur, non prius tractandū uel accipiendum eſſet, quàm ad notitiam almę ſedis
ueſtræ fuiſſet pronunciatio prolata, quæ infirmaret, aut firmaret, indeq; ſumerent
normam, unde eccleſiæ ſumpſere prædicationis exordium, ne paſſim ab inſidiato
ribus columnæ euerterētur eccleſiæ. Certum eſt enim eidem ſanctæ ſedi ueſtrę in
honorem beatiſſimi Petri, patrum decreta peculiarem decreuiſſe reuerentiam, dei
pro rebus inquirendis atq; determinandis quas ſolicite decet, iuſteq; ab ipſo præſu
lum examinare uertice apoſtolico, cuius ſolicitudo ſemper fuit & eſt tam mala dā-
nare, q; probare laudanda. Quocirca humillimū ueſtro apoſtolico culmini perſol-
uentes obſequium, ut ipſe dominus præcepit, & ſanctorū decreta patrum ſtatue-
runt, cum lachrymis ſuggerimus, quod ſine gemitu cordis reticere non ualemus.
Nam in tantū à perſecutoribus ſanctæ dei eccleſiæ, noſtrisq; inimicis perſequimur,
ut magis nos tædeat uiuere quàm mori. Vnde præ omnibus fatemur in tantū cor
eſſe noſtrum uulneratum, ut propheticum illum planctum exoptemus, dicentes:
Quis dabit capiti noſtro aquam, aut oculis noſtris fontem lachrymarū, ut ſeden-
tes ploremus die ac nocte? Ecce enim eccleſia dei non leuiter perturbatur, colum-
næq; eius nimis infeſtantur, atq; à prauis amoueri hominibus nituntur, Chriſtiano
rum uero uoces ac gemitus epiſcoporum longe lateq; reſonant, nouitates inſur-
gunt, calumnię creſcunt, perſecutio graſſatur, perditio fit populorum: ueſtrūm eſt
enim nobis manum porrigere, quia uobis cōmiſſi ſumus: ueſtrūm eſt nos defende
re atq; liberare, noſtrūmq; eſt à uobis auxiliū expetere, ueſtris parere iuſſionibus.
Præ nimio ergo dolore & gemitu omnia quę nobis inſtant, & nos infeſtant, neceſ-
ſariò recordari, uobisq; ſignificare nequimus. Ideo almū ueſtrum exoramus apo-
ſtolatum, ut ſuperius, legem quæ in memorata Nicena ſynodo eſt promulgata, li-
cet prædictorum inſidiatorū & aliorum malorum hominū, ut facilius epiſcopos,
deiq; miniſtros ualeāt illaqueare, deprauatione ſit ſuffocata, reparetis, & quæ ne-
ceſſaria fore cognoſcitis ueſtræ ſanctę ſedis autoritate, nos cunctosq; fratres infor-
metis, ut malorum inſidias hominū ueſtra fulti autoritate illæſi domino opitulante
euadere ualeamus, quia non eſt inſidias luporum præuidere ouium, ſed paſtorū.
Scimus enim ut ſemper ueſtræ ſedis præſules primo apoſtoli, deinde ſucceſſores
eorum fecerunt uos uniuerſalis eccleſiæ, & maxime epiſcoporū qui oculi propter
contemplationē & ſpeculationē uocantur domini, curam gerere, ac de reuelatio-
ne & lege noſtra aſſidue cogitare debere, ſicut ſcriptum eſt: Beatus uir qui medi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatur in lege domini die ac nocte, quæ meditatio non lectione per figuram literarū tantum conſpecta, ſed exuberante in uobis Chriſti gratia in ueſtra cognoſcit̃ conſcientia immobiliter inſita, & nullatenus de ueſtro corde recedente lege Chriſti dei domini ſacroſancta, ſicut in pſalmo dicit propheta: Os iuſti meditabitur ſapientiã, & lingua eius loquetur iudicium, lex dei eius in corde ipſius, nõ atramento, ſed ſpiritu dei uiui ueſtra in arcana mente conſcripta, neq; in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, ſicut beatiſſimi apoſtoli Pauli ad Corinthios miſſa nos docet epiſtola. Quibus præmiſſis ſignificamus deo placitæ paternitati ueſtræ, die VII. Calendarum Auguſtarum indictionis quartæ noſtram humilitatẽ diuina gratia ſuo, ut præcepit, munere præueniente, ueſtris ſanctis ac deo dignis precibus in ſancta Romana eccleſia pontificalis honoris accepiſſe conſecrationem & ſtolam, in quo dignitatis faſtigio, ut à deo omnipotente regamur altiſſimo, & à malis omnibus liberemur, ut non ſacerdotale nomen tantum, ſed Chriſti domini dei noſtri protegente auxilio, & meritũ habeamus, ueſtris ſanctis ac deo acceptabilibus nos commendantes orationibus poſcimus, quatinus & ueſtris deprecationibus pro nobis ad deum effuſis muniti, & eruditionibus bonis inſtructi, digni efficiamur cum omni nobis populo Chriſtiano commiſſo illæſi protegi uelamento diuino. Ad ſalutationem ergo ueſtræ ſanctæ & honorandæ paternitatis, uice noſtra Benedictũ humilem noſtrum fratrem, ueſtrum epiſcopum, & Alexandrum presbyterum, Criſpinum quoq; diaconem ueſtros famulos deſtinauimus, quos poſtulamus celerius nobis à ueſtra beatitudine perſolui, ut ueſtris cohortationibus roborati, & ueſtris regulis informati, inimicis uidelicet compreſſis, ad proprias prudenter conſolati ualeamus eccleſias ante hyemem deo propitio remeare. Veſtrũm eſt quippe pater ſanctiſſime canonica diſtrictione ſolicite eccleſiaſticæ regulæ aduerſantibus, & fratrum inſidiatoribus obuiare, nec permittere nouiter dici quod patrũ uenerabilium autoritas omnino non cenſuit. Nos enim humiles corde, quę recta ſunt adiuuante domino ſapientes, uno uinculo charitatis uobiſcum ſumus conſtricti, ueram fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter defenſantes. Studioſius itaq; à catholicis improbis probe reſiſtere innitendum eſt, ne torpentes deſidia oppreſſi culpæ taciturnitatis teneamur obnoxij, & quaſi fauorem impendentes iudicemur, dum aduerſa catholicæ fidei propulſare negligimus: unde dictum eſt: Negligere quippe dum poſſis conturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere: nec caret ſcrupulo ſocietatis occulte, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Liquet doctor ſanctiſſime uenenoſa ſerpentiũ ſine ſimplicitate aſtutia, dum manifeſta eſt doloſa inimicorũ fallacia. Succurrite quæſumus oppreſſis, liberate nos de manu perſequentiũ, ut cum beato Iob cantetis: Benedictio perituri ſuper me ueniebat, & cor uiduę cõſolatus ſum, iuſtitia indutus ſum, & ueſtiui me ſicut ueſtimẽto & diademate iudicio meo; oculus fui cæco & pes claudo, pater eram pauperũ, & cauſam quã neſciebam diligentiſſime inueſtigabam. Conterebam malas iniqui, & de dentibus earum auferebã prędam, & reliqua. Nos enim quos tua maxima expectat cura, id eſt, omnes epiſcopi, præcipue tuum mereri debemus iudicium, & non ab alijs deuorari. Meritò ergo nos domini cauſa reſpicit ſacerdotes, ſi ſilentio faueamus errori: ſiquidem corripiantur huiuſmodi, nec ſit liberum eis pro uoluntate facere iudicium: deſinat nouitas inceſſere uetuſtatem, deſinat eccleſiarum quietem inquietudo turbare: nã ut omnes metropolitani uel reliqui epiſcopi ſua odia, aut uindictam in reliquos epiſcopos exercere nõ ualeant, ideo nominatim in Nicena ſynodo expreſſi ſunt primates, qui reliquos epiſcopos audire & iudicare debeant, ne ulla fraus in iudicio epiſcoporum poſſit irruere. Vos ergo qui in ſummo ſpeculo gratia dei eſtis poſiti, attendere eos & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones, & ſcandala excitant: ideoq; exoramus, ut minime deſpiciatis humilitatis noſtræ & omniũ orien-

orientalium orthodoxorum ſacerdotum & populorum afflictiones & deprecationes cum lachrymis oblatas, ſed ſicut luminaria uniuerſo mundo uerbum uitę retinentes, introductas extinguite tenebras nefandiſſimorum inſidiatorum, temporibus etiam noſtris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta huiuſmodi caligine, Lucifer nobis reſplẽdeat per uos ſanctiſſime pater, & dogmatũ definitio omnes lętificans, quam glorioſę eccleſię ſancti patres per propria pĳſſime dogmata in æternæ uitæ firmam hæreditatem prædicaſſe noſcuntur. Subſcriptio: Incolumem te & beneplacitũ deo ſanctiſſime pater patrum orantem pro nobis dominus cuſtodiat in æuum, Amen.

FELICIS PAPAE EPISTOLA DE OPPRESSIONE ARRIANORVM.

FELIX ſanctæ uniuerſalis eccleſiæ Papa, atq; per gratiã dei catholicæ & apoſtolicę eccleſiæ urbis Romę epiſcopus, unà cum ſancto concilio noſtro reuerendiſſimorũ ſacerdotum huc nobiſcum conuenientium in confirmatione pĳſſimorum catholicæ eccleſiæ dogmatum, & releuatione oppreſſorum fratrum coẽpiſcoporum uidelicet noſtrorum qui rectam Niceni concilij tenent fidem, & fratres non infeſtant, uniuerſis ſpiritualibus fratribus noſtris, & reliquis in ſacerdotali collegio domino conſecratis, atque omni plenitudini eccleſiæ catholicæ, gratia uobis & pax multiplicetur in confortatione & ſancti ſpiritus communione, quatinus in eo proficientes à gloria in gloriã, uirtutes annũciemus eius qui de tenebris nos uocauit in admirabile lumẽ ſuũ, apud quem non eſt tranſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio. Portate fratres hortamur perſecutiones & tribulationes patienter, ut eius inueniamini filij quem quotidie patrem uocatis deum in cœlis, & in eo uincatis omnia, qui propter nos uicit omnia, qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. Imitatores quoq; dei conuenit in omni uerbo & opere imitari deũ, ideoq; illud oportet nos dicere, q̃d ipſe de ſe perhibuit dominus: Veniet princeps huius mundi, & in me nihil inueniet. Venerunt & illi qui uos & nos perſequũtur, quia uos ſine nobis perſequi nõ poſſunt, quoniam unius dei membra ſumus, & unum illius ſacerdotium per eius ſanctificationem retinemus, & in nobis de ſuis nihil inuenerunt, quia quicquid ſumus, gratia dei ſumus: licet propterea calumniari nos irrationabiliter ſtuduerint quod facere ſolent inimici, ſuam ex hoc cooperire dementiam properantes, quatinus per mendacium ueritatem ualeant obumbrare. Scripſi enim uobis, inquit Apoſtolus, per multas lachrymas, ut non cõtriſtemini, ſed ut ſciatis quam charitatem abundantius habeo in uobis: etenim detrahentibus detrahere non eſt bonum, ut non ad ea quæ ſcripta ſunt, commoti iniuriæ certamine, deficiamus. Non debemus omnino timere opprobrium hominum, neq; eorum exprobrationibus uinci, quoniam hoc nobis dominus iubet per Eſaiam prophetam dicens: Audite me qui ſcitis iudicium populus meus, in quorum cordibus lex mea eſt, nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne timeatis. Conſiderantes etiam quod in pſalmo ſcriptum eſt: Nónne deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis & cogitationes talium hominum, quoniam uanę ſunt: uana autem locutus eſt unuſquiſq; ad proximum ſuum, & labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt mala: ſed diſperdet dominus uniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? Nam ſi hæc in memoria retinerent, minime ad tantam proſilirent iniquitatem: non enim probabili & paterna doctrina hoc faciunt, ſed ut ſuam exerceant in

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruos dei uindictam: scriptum nanq; est: Via stulti recta in oculis eius, & sunt uiæ quæ uidentur homini iustę, nouissima autem eorũ deducunt ad mortẽ. Nos enim qui hoc patimur, iudici reseruare debemus qui reddet unicuiq; secundum opera sua, qui etiam per ministros suos intonuit dicens: Mihi uindictam, ego retribuam. Vos enim in recta fide, & pura ac bona succurrite uoluntate uicissim, nec aliquis à supplemento fratris subtrahat manum, quoniam in hoc ait dominus cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionẽ habueritis ad inuicem: unde & ipse per prophetam loquitur dicens: Ecce quàm bonum & quàm iocundũ habitare fratres in unũ: spirituali dico habitaculo, & cõcordia quæ in deo est, & unitate fidei huius delectabilis, secundũ ueritatem inhabitaculi, quę uidelicet in Aaron magis decorabatur atq; sacerdotalem induentibus dignitatẽ, sicut unguentũ super caput, principalem intellectum irrigans, & usq; ad ipsam extremã scientiam deducens: in hoc habitaculo benedictionẽ & æternã uitam promisit dominus. Huius ergo propheticæ uaticinationis meritũ amplectentes, fraternã præsentem syllabã exposuimus, nostra propter charitatẽ minime quærentes aut quæsituri. Non enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo secundũ uulgarem fabulã excutere palum: absit: non sunt nostra ista, quapropter hoc auertat diuinitas. Non sunt edocti habitus nostri ita uincere, sed in patiẽtia longanimitatis & spiritu humilitatis: quia sicut per duritiam minime (ut prophetice dicamus) purgatur nigella, ita nec pacis soporatus fructus intelligentiæ per asperitatem exprimitur: propter hoc enim uerborum supportauimus colaphos, ut aut paulatim ualeamus eum imitari, qui propter nos se humiliare dignatus est, & extremę illius ultionis per hanc plagam uerba declinemus. Audiamus ergo & consentiamus ecclesię oratori, qui per linguã spiritus clara uoce exclamat dicens: Omnia uobis in charitate fiant. Ergo siue quærimus, siue tantũmodo dicimus, & tantũmodo audimur, charitas intercedat, ars aliqua existat ad cõpositionem concordiæ boni & coniunctionẽ. Oportet enim de deo quęrentibus nobis spiritu rectitudinis mentis nostrę dinumerantes intentiones templum pacifice inhabitare propter deum, qui per prophetam locutus est: Quærens quære & apud me habita: speculũ enim dedit nos deus populo suo, & oportet eos qui à deo sunt deputati sacerdotiũ adipisci, ita in humilitate gressum mẽtis ad inuicem tendere, ut in melius ædificentẽ hi qui ad nos respiciunt, quàm (quod dicere piget) per nostram discordiã semitam pedum eorũ concutere. Ad concordiã iudicemus nos ipsos, & unum in charitate sapiamus, humilitatẽ ueneremur, per quam apprehendi solet altitudo spiritus. Si enim uerborum amplius usq; nunc taciturnitatem quàm garrulitatẽ dilexerimus, hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis uestris reciproce respondentibus iniuriæ fomitem excitemus, & pusillanimitate dijudicemur ab eo qui omnia ad charitatẽ dirigere promulgauit. Orauimus uero & tunc ostium circunstantię labijs nostris imponi, uerbũ insonitum concipere potius quàm uerbũ sonabile: & hoc tamen mihi donum est à domino, & factus sum sicut homo nõ audiens & nõ habens in ore suo redargutiones. Sed quia tẽpus est loquendi & tempus tacendi, operio uerbũ, & claudo ostiũ, per taciturnitatẽ competenter exorans: Domine labia mea aperies, & respondeã exprobrantibus mihi uerbũ: licet enim tacuissemus, nõ semper tacebimus aperiente nobis domino claues uerbi. Igitur directis in præsenti beatitudini fraternitatis uestrę apocrisarijs, qui post multas factas inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in fine ad hoc peruenerunt, admonẽtes nos atq; hortantes interpretari unius ueri dei nostri uoluntatis intellectũ, atq; huiusmodi interpretationẽ destinare uestræ sacratissimę ueneration: nos acceptã habentes bonæ conscientiæ prędictorũ uenerabiliũ uirorũ admonitionẽ, cognoscentes autem & quæ principatus apostolorum summitas docet, paratos esse ad satisfactionẽ omni poscenti uerbum de spe quæ

quæ in nobis est secundum dei timorem, mansuetudinemq; ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam exercitationem & altercationem uerborum propter satietatem, & pręsentis temporis incongruitatem declinantes, ac pręcauentes, nihil omnino aliud intelligentes ac proferentes uel dicentes quàm quod audiuimus & cognouimus à sanctis uniuersalibus magnis apostolis, eorumq; successoribus, & patres nostri enarrauerunt nobis, & audientes prædicauimus ad supernam tendentes uocationem. Nostrum est studiũ ubi pacis constitutio manet his qui in stadio pietatis sunt. Bene unica gloria intercessori tribuitur & corona: deo manifestati sumus qui iudicat omnia & comprobat. Non iurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, nec fauorem inanem amplectimur, sed in uerbo dei propositi huiusmodi requisitionis resolutionem fecisse dignoscimur confitentes, quoniam pacis dominus deus ad alterum nostrorum unitatem & dilectionẽ conseruauit in gloria eius benignissimæ maiestatis. Omnẽ cum uestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem tam nos quàm qui nobiscũ sunt multum salutauimus. Data XIII. Calend. Nouemb. Philemone & Attico uiris clarissimis consulibus.

LIBERII PAPAE EPISTOLA VT NVLLVS PRO PERSECVTIONIBVS DVM durare potest suam relinquat ecclesiam.

DOMINIS sanctissimis & deo amantissimis uniuersis episcopis Liberius episcopus salutem. Nihil est quod diu stare possit nisi dei gratia. Cæterũ nequitia diaboli contemptibile malum plenum ueneno mortifero sęuit, qui sursum atq; deorsum circuit quærens quem deuoret. Vnde uigilare & sobrij esse ad orationes, & deo propinquare debemus, & fatuas domino auxiliante hominum insidias, prout dominus posse dederit, resipuere, & patres sequi, & non transgredi terminos patrum, non ut nostras relinquamus dum in eis persistere aliquo modo ualebimus ecclesias, ut ad alias properemus, aut populos commissos negligere, ut quietem amplius quàm pro eis elaborare, pro quibus etiam animas ponere debemus, studeamus: quanquã multi nos persequãtur, & oues Christi dilacerare desiderãt, qui quasi uestibus ouium apparent, intus autem sunt lupi rapaces, quos ex fructibus cognoscimus. Isti primo quidem uidentur ex nobis esse, sed non sunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscũ. Quando uero suam euomuerint impietatem, dolum qui in eis est erumpẽtes & apprehẽdentes infirmiores, & eos qui ad eloquia diuina sensus inexercitatos habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subuertentes quos oportet præscientes cauere, ne malitia eorum quidam seducti abscindantur à propria firmitate. Exacuunt enim linguas suas, iuxta prophetæ uocem, sicut serpentes, uenenum aspidum sub labijs eorum. Nec uos pigeat per temporales cruciatus pro Christi nomine laborare, sed emolumenta futuræ remunerationis huius seculi uexationes tolerare persuadeant. Scriptũ nanq; est: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen domini inuocabo. Tantum enim à nobis exigitur quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare. Vnde quidem tanto nobis necesse est importunis prædicationibus insistere, quanto nobis perfectæ negotiationis creditur duplicata talentorũ assignatio, atq; dominica nobis ad suscipiendam eius requiem, persuadet assertio. Suggestum nanq; nobis est, quod pro præteritis laboribus & infestationibus nõ

nulli uestrum assignatas sibimet & à deo cõmissas relinquunt plebes, & in futuro plures relinquere uelint eas quas tueri debent ecclesias, & pro ouibus sibi cõmissis laborare negligũt, & monasteriorũ se quieti contradere festinent, & uacationẽ ab episcopatus laboribus eligere, & silentio atq; otio uitam degere magis appetant, quàm in his quæ sibi cõmissa sunt permanere: dicente domino: Beatus qui perseuerauerit usq; in finem. Vnde nanq; est beata perseuerantia, nisi de uirtute patientiæ? quoniam secundũ apostolicam prædicationẽ, omnes qui uoluerint in Christo pie uiuere persecutionẽ patiuntur. Ideoq; fratres charissimi non uos afflictionũ amaritudo à pio mentis uestræ proposito coartet recedere. Cõsiderate nanq; quanta pro absolutione nostri & liberatione, creator dominusq; & redemptor noster pertulerit, quibus ue se contumelijs afficiendum tradiderit, ut nos à uinculis potestatis diabolicæ liberaret. Attendite itaq; uobis & omni gregi, in quo uos spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit proprio sanguine, ut non sit qui uos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis, ut uobis plebes cõmissas relinquatis, & alicui propter malorum opprobrium hominũ quieti uos tradatis, ut uos solũmodo saluetis, & filios orphanos relinquatis. Apertissime enim spiritus sanctus per apostolum dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide & charitate, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum, hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentium suam conscientiã. Propter quod hortamur uestram charitatem exemplo eius qui pro nobis pati uoluit, promptos uos in cunctis eius permanere seruitijs, nec quidem quoquo modo à commissa cura recedere, sed totis uiribus in cõmissis uobis negotijs fortiter usq; in finem perdurare: quoniam beatus est qui perseuerauerit usq; in finem: nec laudatur initium, sed finis. Nemo uos seducat inanibus uerbis. Propterea enim uenit ira dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici comparticipes eorum dogmatum, neq; communicetis infructuosis uerbis illorum, magis autem & redarguite, quoniam cœtus præuaricatorum sunt, & extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non ueritatis: completum est in eis, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit dominus. Veritatem enim non loquentur: docuerunt enim linguam suam persecutores ecclesiarum, eorumq; sacerdotũ, loqui mendacium, ut impie agerent laboraverunt, & renuerunt scire me, dicit dominus. State ergo uos dilectissimi super uias, & uidete, interrogate de semitis domini antiquis, & uidete quæ est uia bona sanctorum patrum, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus uestris. Sed & si patimini propter Christum, beati eritis: metum autem eorum ne timueritis, neq; conturbemini, dominum autem deum sanctificate in cordibus uestris, ipso dicente: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest animã & corpus perdere in gehennam. Nónne duo passeres asse ueneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores uos estis. Rememoramini ergo fratres eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis uestris deficientes, nondum enim usq; ad sanguinem certauimus aduersus peccatum repugnantes. Confidimus autem de uobis fratres charissimi meliora & uiciniora salutis, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, magistro gentium docente, poterit nos separare à charitate domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conseruantes repromissionem percipiamus.

mus, quam repromisit his qui legitime certare deproperant. Adhuc omnino modicum aliquantulum, qui uenturus est ueniet, & non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur. Quod si subtraxerit se quis, non placebit animæ suæ, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Propter quod assumite arma dei, ut possitis resistere in die malo aduersus omnes inimicos sanctæ dei ecclesiæ & uestros, & induite uos lorica iustitiæ, calciati pedes in præparatione euangelij pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi ignita extinguere, & galeam salutis accipite, & gladium spiritus quod est uerbũ dei, per omnem orationem & obsecrationem radicati & fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu domino nostro. Sed & nunc fratres commendamus uos omnes domino & uerbo gratiæ eius, qui potest perficere & dare hæreditatem uobis cum omnibus sanctis. Ipse autem deus pacis & dilectionis det uobis idipsum sapere in alterutrum, ut uobis inuicem succurratis, & non sitis diuisi, ut unanimes uno ore, & uno corde honorificemus eum in concordia & consolatione fratrum, qui potest confirmare nos secundum euangelium eius iuxta reuelationem mysterij eterni, temporibus scilicet perpetuis, quibus uobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis, quod hi qui fratribus inuident, eosq; damnare aut perdere cupiunt, per se sua dogmata destruũt: dicit enim dominus, Omne regnum in se diuisum non stabit, & omnis scientia & lex aduersum se diuisa non stabit. Ideoq; necesse est, ut concorditer salubres susc ipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis unanimes diuinis & apostolicis cõstitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidentissima canonum decreta uiolari, quatenus & Nicenorum canonum constituta, & quæ à nobis uel à prædecessoribus nostris sunt prouide & salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro.

EPISTOLA DAMASI PAPAE AD PAVLINVM ANTIOCHENVM EPISCOPVM, quod Christus integrum hominem susceperit sine peccato, & quod unus sit Christus ante secula ex patre natus, & in tempore ex uirgine editus.

DILECTISSIMO fratri Paulino Damasus. Per filium meum Vitalem ad te scripta direxeram, tuę uoluntati & tuo iudicio omnia derelinquens: & per Petrum presbyterum indicaueram me in articulo iam perfectionis eius aliqua ex parte cõmotum. Vnde ut nullus tibi scrupulus resideret, ne uolentes forsitan ecclesiæ copulari tua cautio præblanda differret fidem, misimus nostram tam tibi qui eius fidei communionique socaris, quàm his qui in ea subscribentes tibi & nobis per te uoluerunt sociari dilectissimi frater. Quapropter si supradictus filius meus Vitalis, & hi qui cum eo sunt, tibi uoluerint aggregari, primũ debent in ea expeditione fidei subscribere, quæ apud Niceam pia patrum uoluntate firmata est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1 Deinde quoniam nemo potest futuris uulneribus adhibere medicinam, hæresis eradicanda est, quæ postea in oriente dicitur pullulasse: id est, cõfitendus est ipse sapientiæ filius dei sermo humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est integrum Adam, & ut expressius dicam, totum ueterẽ nostrum sine peccato hominem. Sicut enim confitentes eum humanũ corpus suscepisse, non statim ei & humanas uitiorum adiungimus passiones: ita & dicentes eum suscepisse & hominis animam & sensum, non statim dicimus & cogitationum humanarum subiacuisse peccato.

2 Si quis autem dixerit uerbum pro humano sensu in domini carne uersatum, hunc catholica ecclesia anathematizat: necnon & eos qui duos in saluatore filios confitentur, id est, unum ante incarnationem, & alterũ post assumptiouem carnis ex uirgine, sed eundem dei filium, & ante & postea confiteantur quicunque huic epistolæ subscribere uoluerint, ita tamen ut si & in ecclesiasticis canonibus quos optime nosti, & in Nicenã fidem ante subscripserint, hunc debeas absq; aliqua ambiguitate suscipere. Non quod hæc ipsa quæ nos scripsimus, non poterimus conuertentium susceptioni proponere, sed quod tibi consensus noster liberũ in suscipiendo tribuat exemplum.

SYNODVS ROMANA SVB DAMASO PAPA.

POST Nicenum concilium aliud in urbe Romana postea congregatum est, quo catholici episcopi addiderunt de spiritu sancto, quia postea is error inoleuit, ut quidam ore sacrilego auderẽt dicere spiritum sanctum factum esse per filium. Vnde anathematizamus omnes qui non tota libertate proclamant eum cum patre & filio unius potestatis esse atq; substantiæ. Anathematizamus quoq; eos qui Sabellij sequuntur errorem, eundem dicentes patrem esse quem & filium. Anathematizamus Arrium atq; Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, filium & spiritum sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arrij stirpe uenientes non perfidiam mutauerunt, sed nomen. Anathematizamus Fotinum, qui Hæbionis hæresim instaurat, qui dominũ Iesum Christũ tantũ ex Maria uirgine confitetur. Anathematizamus eos qui duos filios asserunt, unum ante secula, & alterum post assumptionem carnis ex uirgine. Anathematizamus eos qui pro hominis anima rationali & intelligibili, dicũt dei uerbum in humana carne uersatum, cum ipse filius sit uerbum dei, & pro anima rationali & intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, rationalem & intelligibilem sine peccato animam susceperit atq; saluauerit. Anathematizamus eos qui uerum dei filium extensione aut collectione, & à patre separatum in substantiuum & in finem habiturum esse contendunt. Si quis non dixerit semper patrem, semper filium, semper spiritum sanctum, anathema sit. Si quis non dixerit filium natum de patre, id est, de substantia diuina ipsius, anathema sit. Si quis non dixerit uerbum domini filium dei, deum, & omnia posse, & patri æqualem, anathema sit. Si quis dixerit quod in carne constitutus filius dei cum esset in terra, in cœlis cum patre non erat, anathema sit. Si quis dixerit quod in passione crucis dolorem sustinuit filius dei deus, & non caro cum anima quam induerat in forma serui, quam sibi acceperat, sicut ait scriptura, anathema sit. Si quis non dixerit, quod in carne quam assumpsit Christus, sedet ad dexteram patris, in qua uenturus est iudicare uiuos & mortuos, anathema sit. Si quis nõ dixerit spiritum sanctũ de patre esse uere ac propriè, sicut filiũ de diuina substantia & deũ uerũ, anathema sit. Si quis nõ dixerit omnia posse spiri-

spiritum sanctum, omnia nosse, & ubiq; esse sicut patrem & filium, anathema sit. Si quis dixerit spiritum sanctũ facturam aut à filio factum, anathema sit. Si quis nõ dixerit omnia per filium & spiritum sanctũ patrem fecisse, id est, uisibilia & inuisibilia, anathema sit. Si quis nõ dixerit, patris, & filij, & spiritus sancti unam diuinitatẽ, potentiã, unam gloriam, dominationẽ, unum regnum atq; unam uoluntatem, ac ueritatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit ueras patris & filij & spiritus sancti, æquales semper, iubentes omnia, & continentes uisibilia & inuisibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia uiuificantes, omnia facientes, omnia saluantes, anathema sit. Si quis non dixerit spiritum sanctũ adorandũ ab omni creatura, sicut & filium & patrem, anathema sit. Si quis de patre & filio bene senserit, de spiritu autem sancto non recte habuerit, hæreticus est.

EPISTOLA DAMASI PAPAE AD HIERONYMVM PRESBYTERVM.

DAMASVS Episcopus fratri & compresbytero Hieronymo in domino salutẽ. Dum multa corpora librorũ in meo arbitrio oblata fuissent, contigit ut & librum psalmorũ in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meæ imbuere cogitaui. Frater amantissime & in Christo semper sacerdos rogo te, ut secundum septuaginta interpretes, & presbyteros, id est, Matthiam, & Ptolemæum, Muchium, Cassium, Hydronium, Ciatrem, Simonem, & cæteros, in quantum tua poterit cõscientia de LXX. inuenire uestigia nobis transmittas. Peto etiam tuam charitatem, ut sicut à rectore tuo Alexandro coëpiscopo didicisti Græcorũ psallentiam, ad nos dirigere tua fraternitas delectetur: quia tantæ apud nos simplicitatis indago est, ut tantũ in die dominico Apostoli epistola una recitetur, & Euangelij capitulum unum dicatur, nec psallendi mos tenetur, nec hymni decus in nostro ore cognoscitur. Peto ergo per fratrem compresbyterum nostrum Bonifacium, ut libeat fraternitati tuæ nobis aperire uestigia. Missa quinto Calend. Nouemb. per Bonifacium presbyterum Hierosolymam.

HIERONYMI PRESBYTERI AD DAMASVM PAPAM EPISTOLA, VBI SVGGERIT de Gloria patri, & alleluia, in fine psalmorum apud Romanam Ecclesiam concinendo.

BEATISSIMO Papæ Damaso sedis Apostolicæ urbis Romæ, Hieronymus supplex. Legi literas apostolatus uestri, poscentes secundum simplicitatem LXX. interpretum canens, psalmographum interpretari festinem, propter fastidium Romanorum, ut ubi obscuritas impedit, apertius & græcè & latinè trahatur sensus. Cliens ergo precat' tuus, ut uox ista psallentium in sede tua Romana die noctuq; canatur, & in fine psalmi cuiuslibet siue matutinis uel uespertinis horis coniungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria patri & filio & spiritui sancto, & reliqua. Istud carmen laudis omni psalmo coniungi præcipias, ut fides trecentorũ decem & octo Episcoporum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Niceni concilij in uestro ore pari consortio declaretur: ubi autem deus & homo honorabili uoce cantatur, alleluia semper cum omnibus psalmis affigatur, ut omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In ecclesia autem post resurrectionem usq; sanctam pentecosten finiatur, inter dierum uero spatia tibi soli quinquagesimæ propter nouitatem sancti paschæ, ut uox ista laudis canatur in Aleph, quod prologus græcè, latinè autem præfatio dicitur.

EPISTOLA STEPHANI ARCHIEPISCOPI, ET TRIVM CONCILIORVM Africæ, ad Damasum Papam, de priuilegio Romanę sedis.

BEatissimo domino & Apostolico culmine sublimato sancto patri patrum Damaso Papæ, & summo omnium præsulum pontifici Stephanus archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & uniuersi episcopi de tribus Cōcilijs Aphricanæ prouinciæ. Notū uestrę facimus beatitudini, quod quidam fratres in cōfinio nobis positi, quosdā fratres nostros uenerabiles uidelicet episcopos uobis incōsultis à proprio deijciunt gradu, uel deijcere moliuntur, cum uestræ sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorū, in honore beatissimi Petri, patrum decreta omnium cunctam reseruare sententiam inquirendi reuerentia de dei rebus, quas omni cura & solicitudine obseruare debemus. Maxime uero debent ab ipso præsulum examinari uertice apostolico, cuius uetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, ut quicquid horum quamuis in remotis uel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandū uel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis uestræ fuisset deductum, ut eius autoritate iuxta quod fuisset pronunciatum firmaretur: & reliqua multotiens talia & his similia, quæ super his constituta sunt: quibus si illicite factum est, ut semper uestræ sedi consuetudo fuit, festinanter occurrite & his uiriliter, ut pater pro filijs certantes, state, sicut bene à Iesu filio Syrach dictum est: Vsq; ad mortē certa pro ueritate, & semper dominus deus tuus pugnabit pro te. Accipere enim personam impij non est bonum, ut declines à ueritate iudicij. Sin minus illicita sunt hęc, pateat nobis talis omnibus licentia beatissime pater: aut si liceat hos uel aliquos etiam minorum graduum clericos nisi canonice tempore legitimo uocatos, aut sine legitimis accusatoribus, aut absq; ueris & innocentibus testibus, uel nisi manifeste canonice conuictos aut sponte confessos, uel à suis sedibus eiectos aut suis expoliatos rebus, uocare ad synodum uel damnare, quia legimus eos non posse canonice ad synodum ante suam diu tenendam & gubernandam uiribus scilicet pleniter resumptis restitutionē, suisq; omnibus sibi legaliter restitutis integerrime uocari, aut ut ueniant ad synodum, nisi sponte uoluerint imperari. Deus ergo creator omnium conseruet longęuum apostolatum uestrum ad stabilitatem ecclesiarum sanctarum, & orthodoxæ fidei, uosq; pastorem bonum, qui spiritualibus pro ouibus uestram ponitis animam, atq; baculo pastorali lupos rapaces expellitis, omnibusq; oppressis auxilium fertis, quod & istis atq; omnibus uos semper facere optamus sanctissime Papa. Subscriptio, & alia manu: Ora pro nobis charissime pater.

EPISTOLA DAMASI PAPAE AD STEPHANVM ARCHIEPISCOPVM, ET AFRICANOS Episcopos, de autoritate sedis apostolicæ, & episcoporum accusatoribus.

DAMASVS seruus seruorum dei, atq; per gratiā eius episcopus sanctæ catholicæ ecclesiæ urbis Romæ, Stephano archiepiscopo concilij Mauritaniæ, & uniuersis episcopis Aphricanę prouinciæ. Lectis fraternitatis uestræ literis, primo gratias ago q̄d tantorum fratrum meruī benedictione fruī: deinde quod circa fratres solicitos uos reperī, & cum eis crucē domini deferre, qui ait: Qui uult uenire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequat̄ me. & reliqua ad hūc modum pertinentia. Igitur quando in prędicti opportune gestorū consultatione, apostolicis uestra beatitudo uiscēribus cōmota nos hortata est, tuitionem fratrum apostolica impendere autoritate, & eorum iniurijs subuenire, dum constet eadem uos cum apostolo compassibiliter dicere, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & non uror? satagentes ne aliquis de his qui uobis crediti sunt, à sæuis bestijs laceretur aut capiatur. Pro qua re oportet iuxta uestram prudentem cōmonitionem, magis autem secundum domini diuinam præceptionē, nos qui supra domum eius, hoc est, uniuersalem ecclesiam catholicam episcopale suscepimus ministerium, solicite uigilare, ut ne quid de sacris eius muneribus, id est, apostolicis uiris, apostolorumq; successoribus atq; ministris quisquam nobis inconsultis damnetur. Scitis fratres charissimi firmamentum à deo fixum & immobile, atq; titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium episcoporum apostolicam sedem esse constitutam, & uerticem ecclesiarum: Tu es enim (sicut diuinum pronunciat uerbum ueraciter) Petrus, & super firmamentū tuum ecclesiæ columnæ, qui episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt: & tibi claues regni cœlorum commissi, atq; ligare & soluere potestatem quæ in cœlis sunt & quæ in terris promulgaui. Tu prophanatorum hominum & membrorum meorum, maximeq; discipulorum meorum existis ut princeps & doctor orthodoxæ & immaculatę fidei, cuius uice hodie gratia dei legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ sedis præsules eius uicem gesserunt, gerunt & gerent: ideo omnia quæ innotuistis non licere mandarem, nisi uos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta super quibus cōsulitis illicita esse non dubitetis. Discutere nanq; episcopos & summorum ecclesiasticorum negociorum causas metropolitanos unà cum omnibus suis comprouincialibus, ita ut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotijs licet: sed definire eorum atque ecclesiasticarum summas querelas causarum, uel damnare episcopos, absque huius sanctæ sedis autoritate minime licet, quam omnes appellare (si necesse fuerit) & eius fulciri auxilio oportet. Nam ut nostis, synodum sine eius autoritate fieri non est catholicum: nec episcopus in legitima synodo, & suo tempore apostolica uocatione cōgregata, definite damnari potest: neq; ulla unquā concilia rata leguntur, quę non sunt fulta apostolica autoritate. Accusatores autē episcoporū, & testes super quibus rogastis, absq; ulla infamia aut suspicione uel manifesta macula, & uerę fidei pleniter instructi esse debēt, & tales quales ad sacerdotiū eligere iubet diuina autoritas: quoniā sacerdotes (ut antiqua tradit autoritas) criminari nō possunt, nec in eos testificari qui ad eundem non debent nec possunt prouehi honorē: uocatio enim ad synodū iuxta decreta patrū canonica, eius qui impetitur tam sua præsentia, q̄ & scriptis atq; apocrisarijs, per spatiū fieri debet congruū atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

canonicum: quia nisi canonice uocatus fuerit, suo tempore & canonica ordinatione, licet uenerit ad conuentū quacunq; ordinatione, nisi sponte uoluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec seculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis diuinæ. Deiectis uero atq; suis rebus expoliatis nihil uobis uerius significare queo, quàm sancti patres diffinierunt, & nostri prædecessores apostolica autoritate roborauerunt. Ita enim hæc se habent, episcopos eiectos atq; suis rebus expoliatos, ecclesias proprias primo recipere, & sua eis omnia legaliter reddi sancti canones decreuerunt, & postea si quis eos accusare uoluerit, æquo periculo facere sanciuerunt, iudices esse decernentes episcopos recte sapientes & iuste uolentes, ad tempus diuq; illis resumptis uiris, & suis potestatiue fruentibus rebus, amicisq; & dei seruis sapientibus consulentibus uiris in ecclesia conuenientes, ubi testes essent singulorū qui oppressi esse uidentur. Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite pugnare: sic nec illi qui eiecti uel suis bonis sunt expoliati, cum illis qui in suo stant gradu, & suis fruuntur amicis atq; bonis, litigare rite possint. Nec seculi quoq; leges hæc secularibus fieri permittunt, sed prius eiectos uel oppressos aut expoliatos cum suis omnibus restitui iubent, & postea suo tempore sicut lex eorum continet ad placita uenire præcipiunt, nec ulla carceris custodia appellantem arceri permittunt. Docent enim ex parte, sicut nostis, terrena quę sunt cœlestia. Accusatores uero & accusationes quos seculi leges non ascisc̄t, nul latenus sunt in horum admittendę causis, quia omne quod irreprehē sibile est catholica defendit ecclesia. Decet enim domini sacerdotes fratrum causas pie tractare, & uenerabiliter intendere, atq; eorum iudicia super sacrificia ordinare, nec proterua aut tyrannica dominatione (ut de quibusdā refertur) sed charitatiue pro deo & fraterno amore cuncta peragere, & quod sibi quis fieri secundum dominicā uocem non uult, alij inferre non pręsumat, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Ea uero quæ apostolorū prædicatione, & patrum institutione præcepimus, semper tenere debemus, ne aliqua noua cudere, aut ad noxam fratrū intendere uideamur, sed alterutrum onera portemus, ut iuxta apostolū legem domini adimplere ualeamus. Tempus enim congruū præuideri oportet, quando uniuscuiusq; accusatæ personæ causa rectissime in medio producatur, quatenus grauitatem eius & consonantiā quæ contra patrum decreta uel synodorum cōfessionem prodi minime cognoscatur, quàm ordinabiliter omnes intendāt, ut ad eam in omnibus rationabiliter respondeant, & iuste se uelle manifeste ostendant. Nullus autem introducatur personaliter, sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione, iuxta quod gestorū ordo exigit. Accusatores uero & iudices nō idem sint, sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, unusquisq; in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primo semper fiat, ut talionē calumniator recipiat: quia ante inscriptionem nemo debet iudicari, uel damnari, cum & seculi leges hæc eadem retineant: de quibus omnibus uera semper fiat æquitas, quatenus accusationis & iudicij ac testimonij mercedem per ueritatem gestorū consequi ualeant. Scriptum est enim, abominatio domino labia mendacia, & testem fallacem proferentem mendacia, & seminantē inter fratres scandala, atq; litigia, ipso monēte atq; dicente, Non facies calumniā proximo tuo, nec ui opprimes eum: non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis: nō considerabis personam pauperis, nec honores uultum potentis: iuste iudica proximo tuo, & quod tibi non uis fieri alteri ne facias, & reliqua. & maxime præceptum habentes apostolicum attendere nos ipsos & gregi, in quo nos spiritus sanctus posuit episcopos, regere dei ecclesiā quam acquisiuit per sanguinem suum propriū: conuenit & iterum attendere lupos, attendere malos operarios, qui peruersa faciunt, & aduersa loquūtur, ut detrahere semper discipulis domini, & infamare quærant, quos corrigere uos & omnes domini sacer-

sacerdotes summo studio oportet, quia peius malū non est, quàm ut ciues ciuibus inuideant, & sacerdotes uel clerici sacerdotibus uel pontificibus insidiētur, testante etiam ueritatis uoce: Qui uos tangit, tangit pupillā oculi mei: & qui scandalizauerit unū de pusillis istis, melius est ut suspēdatur mola asinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. Et item: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, ille proculdubio scandalizatus est in deum, qui eius scādalizat episcopum uel sacerdotem. & multa talia quæ hic non inseruntur, ne nimis prolixa efficiatur epistola. Monentes quoq; instruere debetis memoratos uicinos uestros, ut à talibus se subtrahant, & quæ illicite contra præfixos fratres egerunt citò corrigant, & quos nobis incōsultis læserunt, nobis incōsultis plena satisfactione sanent, & citò reconcilient, si noluerint apostolicæ sedis suscipere censuram. Nam si quid fortasse in eis aut contra eos emerserat, nostrum fuerat expectandū examen, ut nostra (ut semper huic fuit sedi concessum priuilegiū) aut condemnarentur autoritate, aut fulcirentur auxilio. Neq; enim suo pro libitu nostra debuerant iura peruadere absque apostolicæ sedis dispositione mandante. A talibus deinceps omnes se abstineant sacerdotes qui noluerint ab apostolicæ petræ, super quam Christus (ut prędictum est) uniuersalem cōstruxit ecclesiam, cui episcoporū summa iudicia atq; maiorum causæ, sicut paulò superius memoratum est, reseruatæ sunt atq; soli datę, censura à sacerdotali honore secludi. Inducię enim accusatis in criminalibus episcopis sex mensium, uel eo amplius si necesse fuerit concedendæ sunt, quoniam & laicis hoc permissum nullus secularibus imbutus disciplinis ignorat: quanto magis sacerdotibus qui superiores esse eis nō dubitantur? Habetur quoq; in decretis sanctorum patrum sancitum, nō fore canonicum quenquā sacerdotum iudicare uel damnare, antequam accusatores canonice examinatos præsentes habeat, locumq; defendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas ad abluēda crimina, &c. Nec extra propriam fiat prouinciam primo discussionis accusatio sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, quoniam & antiqua docet hoc patrum regula, in qua & imperialia pariter statuta concinunt. Criminū, inquiunt, discussio ibi agenda est, ubi crimen admissum est: nam alibi criminum reus prohibetur audiri, & alibi in canonibus præcipit̄, quæcunq; negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda sunt, & reliqua talia & his similia, salua in omnibus apostolica autoritate, ut nihil in his definiatur priusquā ei placere cognoscatur, quia omnes fultos esse oportet, & si quid eis graue intolerādumq; acciderit, eius est semper expectanda censura. Neque enim proterue aut stimulo suæ cogitationis impulsus (ut sæpe actum agnouimus) detrahere aut accusare præsumat quenquam sacerdotū, quia iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius uice legatione pro populo, Christi sanguine redempto, funguntur. Causas enim eorum quia dei causæ sunt, eius esse iudicio reseruandas, qui ualet corpus occidere, & animam mittere in gehennam: qui dicit, mihi uindictam, & ego retribuam: apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Instruendi etiam omnes sunt, quoniā per nos illis Christus intonuit, non esse ouium lupi insidias præuidere, sed pastoris. Monet ergo beatus apostolus Paulus ne de his temere leuiterq; præsumatur iudicium, de quibus nemo potest uerius uel melius iudicare quàm deus. Tu, inquit, aūt quare iudicas fratrem tuum, aut cur spernis eum? omnes enim stabimus ante tribunal: scriptum est enim, uiuo ego dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur domino, itaq; unusquisq; nostrūm per se rationem reddet deo. In hoc ergo nō sibi quispiā temerarios ausus usurpet, ut præter quod ad concordiam pertinet aliud agat, unde unitas ecclesiæ sic dissipetur. Non ergo leuiter quisquam assentiat in detractione, uel iudicatione, uel damnatione fratrum, maximeq; sacerdotū qui proximiores sunt deo, & qui proprio ore corpus Christi conficiunt, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ob hoc uenit ira dei in filios diffidentiæ qui Christum persequuntur in suis membris. Nolite fratres, nolite effici participes eorum, nec cõmunicetis peccatis talium aut infructuosis uerbis illorũ, magis autẽ redarguite taliũ cœtus, qui extẽdere moliũtur quasi arcũ in fratres linguas: defendite ergo fratres, & omnes monete ut armentur cõtra fratrũ persecutores. Cõfidimus autem de uobis meliora & uiciniora saluti, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, magistro gentiũ docente, poterit nos separare à charitate domini nostri Iesu Christi, quę maxime in sacerdotibus & reliquis perficiẽ membris eius. Nolite itaq; amittere confidentiã uestrã, quæ magnã habet remunerationẽ. Ecce enim iudex ante ianuã astitit, coronas hilariter promittens his qui pro eo fratribus auxiliũ ferunt, & oppressis succurrunt, atq; in charitate collaborant. Quod si subtraxerit se quis, non placebit deo, sed cadit, quia nõ subleuauit cadentẽ sed emarcuit. Non autem simus subtractionis in oppressionẽ, sed adminiculi in acquisitionẽ & supplementũ fratrum. Propter quod assumite armaturam dei, ut possitis resistere omnibus taliter præsumentibus, & induite uos loricam iustitiæ, & calciati pedes in pręparationẽ euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeã salutis assumite, & gladiũ spiritus, quod est uerbum dei, per omnẽ orationẽ & obsecrationẽ radicati & fundati, ut id ipsum dicatis omnes, & nõ sint in uobis schismata diuidentes corpus ecclesiæ bonũ & integrũ in tortuosas nouitates. Monet ergo Apostolus non amplius nos inuicẽ temere iudicare: temere enim iudicat, si quis episcopum absq; sedis apostolicæ autoritate cõdemnat, cum ei, ut paulò superius prælibatũ est, hoc specialiter priuilegium reseruatũ sit: sed hoc iudicate magis, inquit, ne ponatis offendiculũ fratri uel scandalum, patenter enim his & alijs innumerabilibus decretorũ testimonijs omnibus manifestum est, non debere episcopũ damnari, licet eius perscrutetur opinio, donec iudiciũ de ore nostræ apostolicæ autoritatis, hoc est principis apostolorũ cognoscaẽ, utpote quoniam solus & præ omnibus creditus est, atq; percipere meruit à rege regũ Christo deo claues regni cœlorũ ad aperiendũ fidelibus & beneuolis hominibus in eundẽ dominũ nostrũ, & claudendũ infidelibus & maleuolis, atq; suis sacerdotibus, & sanctæ ecclesiæ suo precioso sanguine redemptæ impugnatoribus siue nocentibus. Quod utiq; & nos facere postulauit, nõ quod noui aliquid nunc imperatur, sed illud quod per desidiã aliquorũ aut scienter aut negligenter transgreditur, deinceps obseruẽ ab omnibus, ut illa semper quæ apostolica & patrũ traditione constituta sunt, sub metu irrefragabili autoritate teneantur. Scriptum nanq; est in secũda ad Thessalonicẽses epistola, & ad Timotheũ, apostolo monente: State, & tenete traditiones uestras quas didicistis seu per uerbũ, seu per epistolam. Item alibi per prophetã: Expectaui quoq;, sicut beatus Esaias intonuit, ut facerent iudiciũ, fecerunt autem iniquitatẽ & nõ iustitiam, sed clamorẽ, omnes pios cõturbantes: & hoc scire debeant, quoniã iudiciũ dei est secundũ ueritatẽ in eos qui talia agunt, licet diuitias bonitatis dei, & sustentationis, & patientiæ ignorantes, quoniã benignitas dei ad pœnitentiã eos adducit: secundũ duritiã autem eorũ, & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera eius. Et alibi scriptũ est: Ego sum dominus deus uester, nõ facietis iniquitatem, in iudicio non accipies personã hominis, neq; mireris uultum potentis, ab omni iniquo uerbo recedes, innocentem & iustum non oppugnabis, neq; interficies, ille proculdubio facit iniquitatem in iudicio qui ea sibi uindicat quæ ei uindicare non licet. Ideoq; huic sanctæ sedi concessa sunt. Nullus usurpare sine eius consultu præsumat, qui non uult honore ecclesiastico indignus ut contemptor iudicari. Itaq; oportet negligentes propulsare, sed ita ut nocentes nõ roborentur, & bonos

bonos improbis aut insidiatoribus fratrum resistere, ne torpore desidiæ oppressi tacitunitatis teneantur obnoxij. Itaq; qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est quàm fauere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare. Sitis autem perfecti & integri in eodem sensu, & in eadem scientia firmati, ut per eam uias uestras dirigentes, in eundem inflexibiliter omnibus occurratis oppressis, quia uobis creditur dominus, ad quem accedentes lapidem uiuum ab hominibus quidem reprobatum, & propter talium impietatem, à deo autem electum, & honorificatũ, super quem uos tanquam lapides uiui ædificamini in domum spiritualem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias ipsi in odorem suauitatis. Gratum enim admodum est sacrificium domino oppressis omnibus subuenire, quanto magis illis de quibus ait: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit, &c. Libat quidẽ domino prospera, qui ab afflictis & oppressis pellit aduersa. Sed & nũc fratres cõmendamus uos deo & uerbo gratiæ eius, qui potest perficere, & dare hæreditatem in omnibus sanctificatis. Ipse autem deus pacis & consolationis, det uobis idipsum sapere in alterutrũ, & in ipso semper & in omnibus, ut unanimes uno ore, & uno corde honorificetis eum in concordiam & auxilium fratrum, qui potens est confirmare omnes, & consolari secundum Euangelium eius, & iuxta reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, patefacti autem per scripturas sanctas, & patrum orthodoxorũ doctrinas, secundum præceptum æterni dei, ad obediendum fidei in omnibus cognitis nobis soli sapienti deo domino nostro Iesu Christo, cum quo patri & spiritui sancto, gloria, honor, & imperium, & potestas in secula seculorum, Amen. Dominus uos custodiat dilectissimi fratres incolumes semper. Data VIII. Nouembris Flauiano & Stilicone IIII. Conſ.

QVOD OMNES DE FILIO DEI ET SPIRITV SANCTO, ET DE VNITATE trinitatis male sentientes similes sint Iudæis, & de unitate trinitatis.

QVOD si quis patiatur deum patrẽ, & deum filiũ, & deum spiritum sanctum deos dici, & non deum, propter unam diuinitatem & potentiam quam credimus esse, & scimus, patris, & filij, & spiritus sancti: subtrahens autem filium, aut spiritum sanctum, ita solum ęstimet esse deum patrem, dici aut credi unum deum, anathematizamus cum omnibus Iudæis: quòd nomen deorum in angelis, & in sanctis omnibus à deo est positum & donatum: de patre autem & filio & spiritu sancto propter unam & æqualem diuinitatem, non nomẽ deorũ, sed dei nobis ostenditur, atq; indicaẽ, ut credimus: quia in filio & spiritu sancto solummodo baptizamus, & non in archangelorum nominibus aut angelorũ, quomodo hæretici, aut Iudæi, aut Gentiles dementes faciunt. Hæc ergo est salus Christianorum, ut credentes trinitati, id est, patri, & filio, & spiritui sancto, in ueram solamq; diuinitatẽ, unam potentiã & maiestatem & substantiam eiusdẽ deitatis sine dubio credamus. Dicit quoq; beatus Esaias: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius. & saluator eius ut lampas accendatur. Profecto catholica Ecclesia quæ uera consistit Sion ciuitas Christi cœlorum regis, per tot annorũ spatia expugnata ab aduersantibus uerbo fidei, qui neq; deum timent, neq; hominem reuerẽtur, sed incassum producentibus pias & canonicas de hoc uerbo doctrinas, dum &

aduersis tantisq; quę in scripto & sine scripto contestationibus inuitati fuissent corrigere propriam & sepelire hæresim, sicuti & per anteriorem cognitionē luculentius demonstratum est, tam per libellos quàm per suggestiones reuerendissimorū sacerdotum, & uenerabiliū abbatum, Apostolo protestante nobis, hominē hæreticum post primam & secundam correptionē euitare debeamus, scientes quia subuersus est huiusmodi, & delinquit proprio iudicio condēnatus. Nullo modo oportet nos deinceps tacere aut quiescere, ne quoquo modo iniqui iudicemur, odibilē deo pacem amplectentes: quoniā scriptum est, Zelaui in peccatoribus pacē peccatorum uidens: & dicatur etiam de nobis, Sacerdotes mei contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum non habuere distantiam, inter pollutum & mundum non intellexerunt, sed consurgere cum deo, & consistere prompte, induentes arma spiritus aduersus malignantes cōtra fidem eius, ut probemus spiritus sapienter, id est, uerba illorum si ex deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia: Probatorem dedi te in populo meo robustum, & scies & probabis uiam eorum, multum nanq; nobis necessaria est uigilantia, & tantum diuinum sapientiæ discretionis quæ occulta tenebrarū reuelat ad requisitionē huiusmodi rei & scrutationē, quoniam latet quodāmodo & absconditur uixq; comprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut ualeat scrutantiū mentem latēre. Quod utiq; sciens beatus Apostolus ait: Nam huiusmodi pseudoapostoli operarij subdoli transfigurant se in Apostolos Christi: sed non mirum, ipse enim satanas transfigurat se uelut angelum lucis. Et non mirum, si ministri eius transfigurentur uelut ministri iustitię, quorum finis secūdum opera eorum. Sed & dominus in hoc præmuniens nos ait: Attendite à falsis prophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quęstione deprecationem, & dicentes cum Dauid: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lucerna pedibus meis uerbū tuum domine, & lumen semitis meis: quoniam, sicut ait beatus Daniel propheta, Sapientia & fortitudo eius sunt, dat sapientiam sapientibus, & scientiā intelligentibus disciplinam, ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est, quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi, & ostendisti mihi quæ rogaui te. Cum ope diuina uniuscuiusq; personæ conscripta per nouitatis cōmentum accusati sunt, de uenerabili nostro scrinio obsecundantibus nobis ordinabiliter offerentibus solertius intendamus.

DE COEPISCOPIS ET QVI IDEM SINT AVT SI ALIQVID SINT AVT NIHIL.

DOMINIS uenerabilibus fratribus, Prospero Numidiæ primę sedis episcopo, Leoni, Reparato, Alexandro, Benedicto, Rufo, & omnibus cæteris ubiq; in recta sancta & apostolica fide consistentibus orthodoxis episcopis, Damasus. Licet fratres charissimi uobis sint nota patrum decreta, mirari tamen non possumus uestram solertiam circa instituta maiorum, ut cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad capur, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis, ut inde capiatis responsa, unde accepistis institutionem & normam recte uiuendi. Vnde & uos nō immemores canonum esse recordamur, qui & ipsum fieri præcipiunt, nō ut uobis scientiæ ecclesiasticæ regulæ aliquid desit, sed ut autoritate sedis Apostolicæ fulti, in nullo ab eius deuietis regulis. Igitur de coēpiscopis de quibus nos consulere, quale sit eorum

eorum ministerium, aut quid eis agere liceat, aut quam autoritatem habeant, uel si licet eos fieri an non, quia audiuimus eos iam esse prohibitos, aut quid de eis qui iam ordinati reperientur, agendum sit, nil uobis certius respondere uidetur, quàm olim à prædecessoribus nostris decretum reperimus, ut eis ad ueniam nihil prorsus aliud reseruetur, quàm priuatio sacri ministerij quod illicite assumpserunt, quia prohibiti tam ab hac sacra sede quàm à totius orbis fuerant Episcopis. Nimis ergo eorū institutio improba, nimis est praua: quia ut hi de summo sacerdotij ministerio aliquid pręsumant omni autoritate caret, & sacris canonibus inuenit esse contrarium, atq; ad totius Ecclesiæ perturbationem superba & superflua tendit elatio, & uacuum est & inane quicquid in prædicto sacerdotij summi egerunt ministerio. Quod ipsi idem sint, qui & presbyteri, sufficiēter inuenitur, qui ad formā & exemplum septuaginta inueniuntur prius instituti: sed quia deo gratia modo necessarij sicut in primitiua Ecclesia propter studium quod erga pauperes exigebant non sunt, & quia illicita præsumebant, & quod agebant actum non erat, & propterea multi in securitatē lapsi ecclesiastico fraudabantur & frustrabantur ministerio, ideo tam ab hac sancta sede (ut superius memorauimus) quàm ab omnibus totius orbis episcopis à pontificalibus sunt remoti officijs. Nam ut nobis relatum est, quidam episcoporum propter suam quietem eis plebes suas committere non formidant, & ut illicita atq; prohibita agant, id est, ea quæ solis pontificibus debentur sibi usurpant, & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi à deo commissam negligunt, cum dominus dicat: Bonus pastor animā suam ponit pro ouibus suis, & uocat eas nominatim, & cognoscit suas, & suæ agnoscunt eum. Et item: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. De mercenario autem quid ipse dicat, bene nostis, quia uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues, & reliqua. Pro talibus uero negligitur cura ecclesiæ, & eius status perturbatur, & ideo sunt prohibiti, in tantum ut si aliqui ex his reperti fuerint, à proprio decidant gradu: illi nanq; Episcopi qui talia sibi præsumunt, uidentur mihi esse meretricibus similes, quæ statim ut pariunt infantes suos, alijs nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere ualeant: sic & isti infantes suos, id est, populos sibi cōmissos alijs educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est, ut suo pro libitu secularibus curis inhient, & quod unicuiq; uisum fuerit liberius agant: pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes uitiantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter dominus docuit, nec Apostoli instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos domino repræsentent. Nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse inuenit, ipse proprijs humeris reportauit, nosq; idipsum facere perdocuit. Si ipse pro omnibus tantam curam habuit, ipse docuit, ipse curauit, ipse sanauit, ipse proprijs humeris reportauit, atque in tantum dilexit ut etiam animam suam multas sustinens iniurias, multa opprobria, multasq; passiones, pro nobis traderet, quid nos miseri & desides dicturi sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis curam impendere negligimus, & alijs eas educandas tradimus? Corrigantur hæc fratres necesse est, quia qui plus laborat maiorem mercedem accipiet. Nam non amplius quàm duos ordines inter discipulos domini esse cognouimus, id est, duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum: unde iste tertius processerit funditus ignoramus, & quod ratione caret, extirpare necesse est: quod enim Episcopi nō sint qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet, quoniam ut bene nostis prohibitū à sacris est patribus, ut qui ab uno uel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quicquid enim inter Episcopos, aut de rebus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eos ſolummodo pertinentibus egerint, neceſſe eſt, ut ſuperius iam prælibatum eſt, ut irritum fiat, quia quod non habent, dare nequaquam poſſunt, præſertim cum nullum ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum ſpeciem iſti antequam prohiberentur, ut ſuperius memoratum eſt, in Eccleſia gerebant, nil de hoc quod Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus ſpecialiter debebatur, legitur aſſumpſiſſe, nec in lege domini quæ Moyſi ab ipſo domino legitur dictata, de his quæ ſummis ſacerdotibus, id eſt, Moyſi & Aaron erant ſpecialiter conceſſa, filij Aaron quicquã præſumant. Nulli enim dubium eſt, quod Moyſes & Aaron ſoli præcipiente domino in tabernaculo dei erigebant altare, ſoli ungebant, ſoli ſacerdotes ſacra unctione inſtituebant, & alia quæ ad ſummum ſacerdotium pertinebant, de quibus ſufficienter in diuinis legitur literis, agebant, quoniam ſummi domini ſacerdotes erant, ſicut de eis ſcriptum eſt: Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius. Sic & modo, quia umbra legis tranſijt, & lux Euangelij in nos dei gratia manifeſte coruſcat, de his quæ in ſummis ſacerdotibus, id eſt Epiſcopis, quorum figuram Moyſes & Aaron tenuerunt, illi qui ſeptuaginta diſcipulorum formam geſtant, in quorum uidelicet typo filij Aaron erant, nihil præſumere debent, ſicut nec illi quicquam de ſummi ſacerdotij miniſterio attingebant. Nam quod coëpiſcopi antequam præfato prohiberentur tenore ad formam ſeptuaginta inſtituti erant, Canon ſufficienter manifeſtat, ubi ait: Corepiſcopi quoque ad exemplum & formam ſeptuaginta uidentur eſſe. & reliqua. Nec illud prætereundum nobis uidetur, quod alibi in Canonibus expreſſum eſt: Qui in uicis & poſſeſſionibus coëpiſcopi nominantur, quamuis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi cõſecrati fuerint, & cætera. Nec ab re dictum perpendo, quanquam manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, cum Epiſcoporum nomen pluralem in ſe contineat numerum, & apud grammaticos pluralis ſit genitiuus: uidetur enim mihi quod tunc non ab uno, ſed à pluribus ordinabantur, quia nullatenus diceret Epiſcoporum, ſi ab uno fieret talium ordinatio, cum Epiſcoporum pluraliter dictum ſit. Cum autem dixit coëpiſcopum, profecto uillanum uoluit intelligi Epiſcopum: & ſi uillanus, quid agit in ciuitate, cum in una ciuitate duo omnino prohibeantur eſſe Epiſcopi? Et ſi in uilla & in eo loco ubi antea Epiſcopi non fuerunt, cum & in modica ciuitate, uel in uilla, aut caſtello Epiſcopus fieri prohibeatur, & in omnibus omnino locis ubi antea Epiſcopi non fuerunt, ne uileſcat autoritas, & nomen Epiſcopi, fuerint cõſtituti, quid rogo erunt? Ecce nec locus cum ordinatione concordat, nec ordinatio cum loco: quoniam ſi Epiſcoporum manus impoſitionem perceperũt, & ut Epiſcopi ſunt conſecrati, ubi ſunt conſecrati? ad uillam, quia chore uilla eſt apud græcos. Et qualiter ad uillam ſi nec in caſtello, aut in modica ciuitate licet fieri, rogo ut promatis: & ſi promere non poteſtis, quia ſcio per rationem aut plenam autoritatem minime poteſtis, digitum ori imponite, & eos omni autoritate carere non dubitate, ſcilicet quia tria obſtant quibus eorum ceſſatur actio uel inſtitutio: unum quod ab uno Epiſcopo ordinari ſolent, in quo eorum ordinatio à Canonibus diſcordat, qui per manus Epiſcoporũ eos inſtitui iubent. Aliud, ſi à pluribus Epiſcopis ſunt ordinati, & aut in uilla, aut caſtello, ſeu in modica ciuitate, aut omnino non in eo loco præfixi, quo iuſte Epiſcopi fieri debent, aut dudum non fuerunt, ubi non uileſcat autoritas & nomẽ Epiſcopi, aut ſi in ciuitate cum altero Epiſcopo, cum ut prædictum eſt in una ciuitate duo non debeant conſiſtere Epiſcopi. Tertium, ſi abſolute fuerint inſtituti, ſicut de quibuſdam audiuimus, quæ omnia epiſcopali omnino carent autoritate, & illud adhuc reſtat, quod eorum ordo non habet in diuinis literis autoritatem, quia ut præfixum eſt, ordines ſunt duo tantum primi in Eccleſia, id eſt, Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum. Sanè ſi nec

Epiſcopi

Epiſcopi ſunt, quia pro præfatis cauſis Epiſcopi eſſe non poſſunt, nec presbyteros ſe nominari uolunt, quia amplius eſſe ambiunt, ac ſi plus quàm ſeptuaginta diſcipuli feciſſent, ad quorum formam, ut paulò ſuperius prælibauimus, hi antequam prohiberentur, à quibuſdam ſtultis, & ſua quærentibus, & non quæ Chriſti Ieſu, inſtituebantur, præſumere tentant, & illicita atq; prohibita agere præſumunt, nec hoc dici ſe uolunt quod ſunt, rogo ut manifeſte prodatis quid ſint, quoniam aut aliquid ſunt, aut nihil. Nam manifeſte patet, quoniam Epiſcopi non ſunt; & ſi Epiſcopi non ſunt, & presbyteri eſſe deſpiciunt, quid erunt? aut aliquid prorſus erunt, aut nihil: quia nihil poteſt eſſe, niſi habeat unde ſit, & ſi non habeat unde ſit, aut unde originem ducat, nec autoritatem habet, nec ſtare rite porerit, quia inane eſt, & ut deſtruatur & cadat neceſſe eſt, quoniam nihil eſt, & in nihilum reputabitur. Si uero nihil ex his ſunt quæ ſuperius memorauimus, tunc neceſſe eſt, ut nihil ſint ex his quæ ſacerdotibus debentur, & ideo nec in ſacerdotali catalogo habeantur, niſi tantum ut primo cõmemorauimus, ut pro miſericordia illis qui humiliter hoc ferre uoluerint, nec amplius ambierint, & per ſcriptum propria manu ſubter corroboratum idipſum confirmauerint, hoc ſolũmodo concedatur, ut inter ſacerdotes locum habeant, & miniſterio presbyterorum contenti ſint, atque menſæ domini tantummodo participes exiſtant. Amplius autem qui ambire uoluerint, nec hoc retineant, ut ſacerdotes ſint, ſed omni eccleſiaſtico funditus prius honore. Quod uero eis non liceat ſacerdotes conſecrare, nec diaconos, aut ſubdiaconos, nec uirgines, nec altare erigere, nec ungere, aut ſacrare, nec eccleſias dedicare, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publice quidem in miſſa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas epiſtolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Epiſcopum in baptiſterio, aut in ſacrario introire, nec præſente Epiſcopo infantem tingere, aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui recõciliare, nec eo præſente, niſi illo iubente ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populũ docere, aut ſalutare, nec plebem exhortari, quæ omnia ſolis pontificibus debere tam ex ſuperioribus quàm ex aliis patrum conſtitutis, aut ſacris Canonibus edocti eſtis, & ſi neceſſe eſt quibuſdam munus ſcientibus doceri pleniter, & inſtrui poſſunt, ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummorum pontificum demonſtretur. Similiter & de presbyteris hæc habeantur, & ſine iuſſu proprij Epiſcopi nil agant, quia quod rarum eſt hoc & pulchrius eſſe uidetur, & ſi nomen uileſcit pontificum, omnis ſtatus perturbatur Eccleſiæ. Triplex itaque in hac parte reatus eſt, quod & prohibita agunt, & quod ſacrum miniſterium talis conſortij uilitate polluitur, & Epiſcoporum quantum ad illicitæ uſurpationis temeritatem pertinet iura ſoluuntur. Quod autem ſolis Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere ſpiritum ſanctum, liber actuum Apoſtolorum docet, præſertim cum nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum iſti in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur donum ſancti ſpiritus per manus impoſitionem (ut prædictum eſt) tradidiſſe. Hæc ergo quia omni carent ratione, nullus deinceps uſurpet aut conſentiat ſacerdotum qui noluerit à noſtro ſacerdotali collegio ſeparari. Nec quod à nobis extinguitur, & à prædeceſſoribus noſtris ac reliquis, ut dictum eſt, totius orbis Epiſcopis iam extinctum eſt, apud aliquos tenebroſis ſeminetur radicibus, ſed quæ male pullulaſſe noſcuntur, radicitus euellantur, ne meſſem dominicam ulla corrumpant zizania. Ita enim fructum uberem domini ſacerdotes præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem enecare conſuerũt radicitus amputentur. Ceſſet ergo tot iudicibus prohibita & damnata præſumptio, nec imitentur ſummi ſacerdotes mulieres meretrices, quæ infantes

Universidad de Deusto
Biblioteca

suos præfata uoluptate alijs ad nutriendũ tribuunt, sed ipsi domino suo nutriant, ipsi fructum cum usura reddant, fructuososq; manipulos, & cum gloria repræsentent. Nam si dominus leprosos inter cæteras ouium suarum curas tetigit & mundauit, cur nos eadem agere dedignamur? aut cur nosipsi qui pastorale officium suscepimus, alijs alendas tradimus? maxime cũ dominus Petro præceptori nostro dixerit: Si diligis me, pasce oues meas, & multa talia & his similia. Nam benedictio quam prædicti coepiscopi ante suam prohibitionem per manus impositionem dabant, magis nobis uidetur uulnus inferre quàm salutẽ: & illi qui pontificatus apicem nõ habebant, quomodo ea quę nõ habebant, dare poterant? quoniã nihil dante erat quod ipse possit accipere. Aut quis hominũ, licet more humano loquamur, dare potest quod non habet? præsertim cum pontifices nõ erant, ea quę solis pontificibus debentur, dare nõ poterant. Et propterea magis uulnerabant capita quæ per manus impositionem tangebant, cum ea quæ eis collata nõ erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quicquid ex supradictis ministerijs pontificalibus præsumebant irritum erat, & nihil tactis perficiebant, sed magis iuxta prophetam maledictionem pro benedictione, si ratum est dicere, cõferebant. Quapropter per illam illicitam manus impositionẽ, ut paulò superius prælibauimus, uulneratum caput illi qui uidebantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi uulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula: id est, reiterari necesse est, quod legitime actum, aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitime non habuit, inuenire non possum: cum ille qui honorem pontificalem non habuit, pontificalia non potest iura tribuere, nec hoc sibi poterant uindicare, cuius capaces per hoc quod illis obstiterat non fuerunt. Huius ergo discussionis curam nobis specialiter uindicantes, ita misericordiã rogamus, ut si qua forsitan his commissa sunt corrigantur, ne talia liceat ultra committi, & ne qua excusatio de ignoratione nascatur: quia ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione attributus, uel adornatus, ita non leui nos mœrore contristat quotiens aliquid contra instituta Canonum uel Ecclesiasticam disciplinam præsumpta, aut commissa cognoscimus: quæ si non qua debemus uigilantia resecemus, illos qui nos speculatores esse uolunt excusare non possumus, si eius Ecclesiam quę nobis generaliter commissa est in quantum prævalemus puram à tam illicitis superstitionibus non custodiamus: quia non aliter unus grex, & unus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet idipsum dicamus omnes, simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sapientia. Nec aliter ueri discipuli domini erimus, nisi radicem amaritudinis sursum germinantem, sicut hæc ut asseritis modo facit, ne nocere ualeat, ut episcopale ministerium uilescere faciat per eorũ negligentiam, id est, omniũ sacerdotum qui euellere mala, & meliora plantare, sunt ab eo præpositi, unusquisq; pro uiribus extirpare festinet, & ipse qui pro suis ouibus est æterno iudici rationem redditurus, eas fouere & educare decertet. Si domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur uestigia, ut de nobis dicatur, Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & uoco eas nominatim, & cognoscunt me meæ, & reliqua. Et iterum monente dominicæ uocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, ut Christi oues, qui Christum amat diligenter, & cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctæ sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, amore & reuerentia coartamur, ut tantæ superstitionis quæ nulla (ut suprà dictum est) fulcitur autoritate, periculum quantum possumus declinemus, ne beati magistri nostri, & summi Apostoli dilectio, qua se amatorem dei esse testatus est, uana ineueniatur in nobis; quoniam omnis negligenter pascens totiens sibi commendatum

tum dominicum gregem conuincitur summum non amare pastorem, nec eius se uelle discipulũ fieri, cuius exempla negligit imitari: nam gratia prorsus maior acquiretur, si de cõmissis ouibus lucrum offerat domino solicitudo pastoris. Nam & beatũ Iacob qui pro uxoribus diu seruierat, dixisse meminimus: Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam, & quicquid furto perierat à me exigebas, die nocteq; æstu urebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si ergo laborat & uigilat qui pascit oues Laban, quãto labore, quantisq; uigilijs debet intendere qui pascit oues dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ouibus animam, & adiuuet nos ut de his qui nobis cõmissi sunt, fructum multiplicem ac mensuram supereffluentẽ ad æterna gaudia reportare concedat, tantusq; uos beati Petri Apostolorum principis amor incendat, ut in ouili ipsius, cui omnes creaturæ sunt traditæ, omnes taliter errantes, & illicita atq; prohibita præsumentes, sanctis uestris studijs summo reintegrare cum desiderio festinetis, qualiter animæ precioso Christi sanguine redemptæ eorum nõ pereant deceptione. Restat enim quod per ostium hi nequaquam subintrarunt, quia non habebant ostium per quod ingrederentur: quia ut dictum est, si nec Episcopi sunt, & plusquam presbyteri esse ambiunt, per quod ostium intrabunt? cum hi tantũ duo ordines in Ecclesia leguntur, nec amplius ad pastorale officium aliquod patet ostium per quod pastor intret. Audite fratres non me, sed ipsam dicentem ueritatem: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro. & reliqua. Cum etiam egregius prædicator dicat: Fundamentũ enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. Cum prædicta duo fundamenta in Ecclesia tantum inueniantur posita, quicquid amplius positum in his inuenitur, stare nullatenus poterit, & ideo cum omnibus suis fundamẽtis & actionibus, atq; radicibus, ut euellatur necesse est, ita ut amplius pullulare nec germinare ualeat. Non ergo generet, & non faciat uobis fratres totiens repetita locutio fastidiũ, quia summa necessitas est, sæpius prohiberi quod totiens à uobis ut cognouimus illicite usurpatur, & quoniam ueritas sæpius exagitata magis splendescit ut lumen, & quod totiens repetendo admonetur, nimis usurpatur. Super his enim multa iam ab antecessoribus nostris dicta sunt, à quibus ipsi sicut nunc à nobis, ita olim ab eis damnata & prohibita sunt. Ideo sæpius repetentes omnes monemus ut uitentur huiusmodi, & à talibus se abstineant, qui noluerint unà cum eis à sacerdotali ministerio: ut rebelles fieri alieni: quod ita demum probare poterimus, si tales extirpare, & non eis fauere decertaueritis: & ita in postmodum de tali re querela cessabit, quia contumeliæ studio fit, quicquid interdictum totiens usurpatur. Omnia hæc decretalia & cunctorum decessorum nostrorũ constituta quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita uobis & omnibus episcopis ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, ueniam sibi deinceps nouerit denegari, quoniam occurreret ueritas, si falsitas displiceret: & meritò nos qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faueamus errori. Data Calend. Iunij, Libio & Theodosio IIII. cc. Conf.

De sacerdotibus qui de Ecclesijs suis ad alias migrant Ecclesias.

EOS autem sacerdotes qui de Ecclesijs suis ad alias migraueruut, tandiu à communione nostra habemus alienos, quandiu ad eas redierint ciuitates in quibus primum sunt constituti: quoniam si alius alio transmigrante in locum uiuentis ordinatus est, tandiu uacet sacerdotij dignitate qui suam deseruit ciuitatem, quandiu successor eius quiescat in domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bem ex Italia & Gallia conuenerant.

DAMASVS & cæteri Episcopi Romæ congregati, dilectissimis fratribus in Illyrico constitutis Episcopis in domino salutem. Credimus sanctitatē uestram, fidem in Apostolorū eruditione fundatam tenere, & hanc populis uniuersis exponere, quę uidelicet à constitutis patrum nulla ratione dissentit, per quos iustum est cæteros erudiri: sed relatione Gallicanorum & uenerandorū fratrum, quosdam hæresibus fauere cognouimus, quod malum non solum cauere debent Episcopi, sed etiam reluctari cōtra ea quæ gesta sunt imperitia aut simplicitate quorundam prauis interpretationibus deceptorum. Varijs ergo doctrinis nō decet labefactari, sed magis patrum nostrorum laborare sententijs. Auxentium ergo Mediolanum præcipue in hac causa damnatum esse liquet: unde iustum est uniuerso Romanorū orbe doctores legis ea quæ legis sunt sapere, & non fidem doctrinis uarijs maculare. Itaq; dum primum hereticorum cœpisset nequitia pullulare, sicut etiam nunc blasphemia pullulare patet Arrianorum, tunc patres nostri trecenti decem & octo electi habito tractatu in urbe Nicena, hunc murum fortissimum contra arma diabolica statuerunt, & hoc remedio uenena mortifera sunt depulsa, ut pater & filius unius diuinitatis, unius uirtutis, uniusq; magnitudinis debeat credi, uniusq; essentiæ siue substantiæ, simul & spiritus sanctus. Aliter enim sapientes alienos esse à nostra communione iudicauerunt. Quem terminum salutarem adorabilemq; deliberationem corrumpere quidam alijs cogitationibus, atq; temerare uoluerunt, sed in ipso principio ab his ipsis qui in Arimino reuocare, aut retractare compellebantur, usq; ad hoc causa correpta est, ut confiterentur alia sibi circumuentione subreptum, aut certè quia nō intellexerunt patrum sententiæ in Nicena cōstitutæ hoc esse contrarium: neq; enim præiudicium aliquod fieri potuit, per numerum Arimino congregatum, quando constat neq; Romanum episcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, neq; Vincentium qui tantis annis episcopatum inuiolabiliter custodiuit, neq; alios talibus præbuisse consensum, maxime dum (sicuti prædiximus) isti ipsi qui per conuentionem declinasse uidebantur, ipsi denuò utentes meliori consilio hæc sibi displicere testati sunt. Perspicit itaque uestra salubritas hanc solam fidem quæ Niceæ Apostolorum autoritate fundata est, esse perpetua firmitate seruandam, & simul orientales hoc facere nobiscum qui se catholicos esse cognoscunt, occidentales etiam gloriari. Credimus autem languentes in isto conamine nō tarde à nostra separandos esse cōmunione, & ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore respirent. Nullo enim modo à deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet etiam cum omnibus dei sacerdotibus etiam charitatis uestræ sententia, in qua uos fixos ac firmos existere iudicauimus. Si ergo nos uobiscum recte credere debemus, uestræ nos charitatis literis lętificate reciprocis. Valete fratres charissimi. Data XVII. Calend. Nouembris, Siritio & Ardabure IIII. CC. Consulibus.

VNIVERSIS Episcopis per Italiæ prouincias constitutis Damasus Episcopus in domino salutem. Optaueram dilectissimi pro nostri charitate collegij omnes domini sacerdotes sicut in primitiua fuit Ecclesia, unum esse cor, & animam unam, atq; in una deuotione persistere, nec quenquam sacerdotū gratia, aut formidine secularium deprauari, aut à uia ueritatis quoquo modo abscedere. Sed quia multa quæ corrigi possunt, proueniūt, exuperat culpas delinquentiū misericordia dei, atq; ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio. Relatum est enim ad sedem Apostolicam uos accusationes fratrum per scripta suscipere absq; legitimo accusatore: quod deinceps in omni orbe terrarū fieri Apostolica autoritate prohibemus, & quod nuper factum est absq; ulla retardatione corrigere rogamus, nec unquā prius per scripta eorum qui accusantur causam discutere, nisi per querelarum institutiones uocati canonice ad synodum ueniant, & præsens per præsentem agnoscat ueraciter, & intelligat quæ ei obijciuntur. Quod bene & per sapientiam Salomonis dicitur: Antequā scruteris ne reprehendas, intellige prius & tunc increpa, antequam audieris ne respondeas. Et licet apertissima sit contrariorum reprehensio, ueruntamen oportet his qui elati sunt ad eorum examinationem ordinem seruari ab his qui secundum deum perscrutari deputati sunt, quatenus ita cum operatione cooperante inuenia mus, & confessorem deum qui dicit: Vbi duo sunt uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam & dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat, sed quoniam non est præsentialiter accusatus, ideo nō est eiectus. Nec uos ullo modo agere oportet, quod ille noluit facere, leges enim seculi accusatores præsentes exigunt, & non per scripta absentes. Vnde canonica patrum constituta non semel, sed sæpissime clamant, nec accusationes, nec testimonia ulla per scripta posse proferri, nec de alijs negotijs quicunq; testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum esse noscuntur. Similiter & qui alium accusare elegerit, præsens per se & non per alium accuset, scriptione uidelicet præmissa: neq; ullus unquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum quoq; est, ne ita quisquam subrepat, faciatq; citius quod non licet. Omnipotens deus hæc uos & cuncta diuina mandata & Apostolica præcepta custodientes, in cunctis actibus uestris cœlestis brachij extensione protegat, atq; ad cœlestis remunerationem patrię cum multiplici animarum fructu perducat, Amen. Data III. Idus Aprilis, Siritio & Ardabure IIII. CC. consulibus.

EPISTOLA CONCILII CARTHAGINENSIS AD INNOCENTIVM PAPAM.

DOMINO beatissimo & honoratissimo fratri Innocentio uniuersalis ecclesiæ Papæ, Aurelius, Numidius, Rusticianus, Fidentius, Euagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Pannonius, Victor, Restitutus, alius Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, Ampelius, Auinius, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octauius, Serotinus, Maiorinus, Porturianus, Crispolis, Victor, alius Victor, Leutius, Marinus, Fructuosus, Faustinianus, Quoduultdeus, Candorius, Maximus, Magarius, Rusticus, Rufinianus, Proculus, Thomas, Ianuarius, Octauianus, Præ-

textatus, Sixtus, Quoduultdeus, Pentadius, Cyprianus, Seruilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Dydimus, Saturninus, Bazecenus, Germanianus, Germamenus, Iuuẽtius, Maiorinus, Iuuentius, Candidus, Cyprianus, & Aemilianus Romanus, Aphricanus, & Marcellinus, qui in Concilio ecclesiæ Carthaginensis affuimus. Cum ex more ad Carthaginensem ecclesiam solenniter ueniremus, atq; ex diuersis causis cõgregata ex nobis synodus haberetur, compresbyter noster Orosius nobis literas sanctorum fratrum, & consacerdotum nostrorũ dedit Auerothis & Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis Pelagium & Cœlestium autores nefarij prorsus & anathematizandi ab omnibus nobis erroris aduertimus. Vnde factum est, ut recensendum peteremus quid ante quinquenniũ super Cœlestij nomine hic apud ecclesiam Carthaginensem fuerit exagitatũ. Quo recitato, sicut ex subditis aduertere poterit sanctitas tua, quamuis iudicatio manifesta constaret, quia in illo tempore episcopali iudicio excisum hoc tantum uulnus ab ecclesia uideretur, nihilominus tamen id cõmuni deliberatione censuimus, ut huiusmodi persuasionis autores quamuis & ad presbyteriũ idem Cœlestius postea peruenisse dicatur, nisi hi apertissime anathematizauerint, ipsos quoq; anathematizari oportet, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui decepti sunt ab eis, uel decipi possunt, cognita sentẽtia quę in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaq; gestum domine frater sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam apostolicæ sedis adhibeatur autoritas, pro tuenda salute multorũ, & quorundam etiam peruersitate corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitriũ, nullum relíquant locum gratiæ dei qua Christiani sumus, qua & idipsum nostræ uoluntatis arbitrium uere fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarũ dominatione liberatur, dicente domino: Si uos filius liberauerit tunc uere liberi eritis. Quod auxiliũ fides impetrat, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Isti autem asserunt (sicut à fratribus qui eorum libros legerunt cognouimus) in eo dei gratiã putandam, quod talem hominis instituit creauitq; naturam, quæ per propriam uoluntatem legem dei possit implere siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis datam: eandem quoq; legem ad gratiam pertinere, quod illam deus in adiutorium hominibus dedit. Illam uero gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cuius Apostolus prædicator est, dicens: Condelector enim legi dei secũdum interiorem hominẽ, uideo autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Christum dominũ nostrum: nolunt omnes cognoscere omnino, nec aperte quidem oppugnare audent. Sed quid aliud agunt cum hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt spiritus dei? persuaderi non cessant ad operandam perficiendamq; iustitiam, & dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes quod scriptum est: Spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram: &, non uolentis neq; currentis, sed miserentis est dei: & quod unum corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra, habẽtes dona diuersa secũdum gratiam quæ data est nobis: &, gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua nõ fuit, sed plus omnibus illis laboraui, nõ ego autem, sed gratia dei mecum: &, gratias ago deo qui dedit nobis uictoriã per dominũ nostrum Iesum Christũ, quia idonei nõ sumus aliquid cogitare quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex deo est: &, habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, ut eminentia sit uirtutis dei, & non ex nobis. & innumerabilia quæ de scripturis omnibus si colligere uolumus, tomus non sufficit, & ueremur ne apud te tẽpora ista cõmemorando quæ maiore gratia de sede apostolica prædicas, inconuenienter facere uideamur, sed ideo facimus, quia in eo quod infirmiores sumus quaquauersus quisq; nostrũm uerbum dei prædicando putatur attentior, crebrius eos patimur in nos audacius insurgentes. Si ergo Pelagius episcopalibus gestis quæ in oriente confecta dicunt, omnia tuæ ueneration̄i iuste uisus fuerit absolutus, error tamen ipse & impietas quæ iam multos assertores habet per diuersa dispersos, etiam apostolicæ sedis autoritate anathematizanda est. Cõsideret enim sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur uisceribus, quàm sit pestiferũ & exitiale ouibus Christi, quod istorũ sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationẽ: quod dominus discipulos monuit, & posuit in oratione quã docuit ut nõ deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturæ, & arbitrio uoluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea uideat inaniter à domino peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quæ naturæ iam ita cõditæ sufficientibus uiribus obtinentur? nec debuisse dicere dominũ Iesum Christum, uigilate & orate, sed tantũmodo uigilate, ut non intretis in tentationem: nec beatissimo Petro primo apostolorũ, rogaui pro te, sed moneo te, uel impero ac præcipio, ne deficiat fides tua. Contradicit enim istorum cõtemptione benedictionibus nostris, ut incassum supra populum dicere uideamur, quicquid eis à domino precamur, ut recte ac pie uiuendo illi placeant, uel illa quæ pro fidelibus precatur apostolus dicens: Flecto genua mea ad patrẽ domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det nobis secundũ diuitias glorię suæ uirtutẽ, corroborari per spiritũ eius. Si ergo uoluerimus benedicendo super populũ dicere, da illi uirtutẽ domine corroborari per spiritum tuum, istorum nobis disputatio contradicit, affirmans liberum negari arbitrium, si hoc à deo poscitur, quod in nostra potestate est: uirtute enim corroborari si uolumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ, nõ misericordia quã nunc accipimus, sed quã cum crearemur accepimus. Paruulos etiam propter salutem quæ per saluatorẽ Christum datur, baptizandos negant, sic eos mortifera doctrina in æternũ necant, promittẽtes etiam si non baptizãtur, habituros uitam æternam: nec pertinere ad eos de quibus dominus ait: Venit enim filius hominis quęrere & saluare quod perierat: quia, inquiunt, isti non perierant, nec est quod in eis saluetur, uel tanto precio redimãtur, quia nihil est in eis uitiatũ, uel tenetur sub diaboli potestate captiuum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionem legitur peccatorum. Quanquã per baptismũ Christi etiam paruulorũ dicant fieri redemptionem. Libello uero suo Cœlestius in Carthaginẽsi Ecclesia iam confessus est. Sed multi eorum qui perhibentur esse uel fuisse discipuli, hæc mala quibus fundamẽta Christianæ fidei conantur euertere, quacunq; possunt astutia affirmare nõ cessant: unde etiam si Pelagius Cœlestiusq; correcti sunt, uel ista nunquã sensisse se dicunt, & quęcunq; scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabũt: nec est quemadmodũ de mendacio cõuincantur: generaliter tamen quicunq; dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad uincenda peccata & dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ dei quæ sanctorũ euidentius orationibus declaratur, aduersarius inuenitur: & quicunq; negat paruulos per baptismũ Christi à perditione liberari & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quęcunq; autem alia eis obijciuntur, non dubito ueneration̄i tuã cum gesta episcopalia perspexerit, quæ in oriente eadẽ causa confecta dicuntur, id indicaturã, unde omnes in dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis domine beatissime papa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INNOCENTIVS Aurelio & omnibus ſanctis epiſcopis, & cæteris qui in concilio Carthaginenſi affuerunt Eccleſiæ dilectiſſimis fratribus in domino ſalutem. Inquirēdo de his rebus quas omni cū ſolicitudine decet à ſacerdotibus, maxime à uero iuſtoq; et catholico tractari Cōcilio, antiquę traditionis exempla ſeruantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ religionis uigorē mentis nō minus nunc in conſulēdo quàm antea cum pronūciaretis uera ratione firmatis, qui ad noſtrum referendū approbatis eſſe iudiciū, ſcientes quod apoſtolicæ ſedi (cū omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolū) debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota autoritas huius nominis emerſit. Quem ſequētes cum mala tam damnare cauemus, quàm probare laudanda, uel id uero quod patrū inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi nō humana, ſed diuina decreuere ſentētia, ut quic quid quamuis de diſiunctis remotiſq; prouinciſs cogeretur, nō prius ducerēt finiendum, niſi ad eius ſedis notitiā peruenīret, ut tota huius autoritate iuxta quæ fuerit pronūciatio firmaretur, indeq; ſumerent cæteræ Eccleſię, uelut de natali ſuo fonte aquę cunctę procederent, & per diuerſas totius mundi regiones puri capitis incorrupti manarent, quid pręcipere, quos abluere, quos ueluti in cœno immūdabili ſordidatos mūdis digna corporibus unda uitaret. Gratulor igitur chariſſimi fratres quod per fratrē & coēpiſcopū noſtrū Iulium literas ad nos deſtinaſtis, & cum prolis curam geritis quibus preſidetis Eccleſijs, ſolicitudinē ueſtram pro omniū utilitate monſtratis, & per cunctas totius orbis Eccleſias omnibus unà quod proſit decernendum eſſe depoſcitis, ut ſuis cōſtabilitæ regulis Eccleſiæ, & hoc quod illos cauſat pronūciationis iuſte firmata decretalibus petere non poſſit, qui peruerſis inſtructi imò deſtructi uerborum argutijs, ſub imagine catholicæ fidei diſputantes uelut peſtiferum exhalantes uirus, & ut hominū recte ſentientium in deteriorē partem corda corrūpant, tutam ueri dogmatis quęrunt euertere diſciplinam. Sanandum ergo celerius, ne longius execrandus animis morbus inſerpat, ut ſi medicus cum uiderit huius terreni corporis aliquem eſſe languorē, magnū ſuæ artis ęſtimat documentū, ſi citò quis illius interuentu deſperatus euadat: uel cum poſt ſe putre uulnus aſpexerit, adhibet fomēta uel cętera quibus illud poſſit quod natum fuerat uulnus obduci: ac ſi id manens ſanari nō poterit, ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputet quod nocebat, quod reliquum, integrū & ſeruet intactum. Præcidendum ergo id eſt, quod uelut puro ſanoq; nimium corpori uulnus obrepſit, ne cum tardius abſtergitur, in ipſis penè uiſceribus huius mali non hauriendi pòſt ſentina cōſidat. Nam quid nos de his poſt hæc rectum mentibus æſtimemus qui ſibi ſe putant debere quod boni ſunt, nec illum cōſiderant, cuius quotidie gratiam conſequuntur? Sed iam iſti qui tales ſunt, nullam dei gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum aſſequi ſe poſſe confidunt, quantum uix illi qui ab illo poſtulabant, & accipiunt, promerentur. Quid enim tam iniquum eſſe poteſt, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Chriſtianis mentibus inimicū, quàm huic denegare debere, quicquid in quotidiana gratia conſequeris, cui te ipſe confiteris debere quod natus es? Ergo eris tibi in prouidendo pręſtantior quàm poteſt is eſſe, qui te ut eſſes effecit? Et cum te putes ei debere quod uiuis, quomodo te non putas illi debere quod non quotidianā eius conſequendo gratiam taliter uiuis? Et qui nos adiutorio negas indigere diuino, quaſi ex noſtra poſſibilitate ex toto perfectos, quomodo adiutorium in nos cum tales à nobis etiam eſſe poſſumus, prouocamus? Qui enim adiutorium dei negat, uellem interrogare quid dicat, nos non te mœreri

reri, an illum hoc non poſſe præſtare, an nihil eſſe propter quod unuſquiſque hoc debeat poſtulare? Poſſe hoc deum opera ipſa teſtantur. Adiutorio quotidiano nos gere, negare non poſſumus, hoc enim ſeu bene uiuimus, prouocamus, ut melius ſanctiusq; uiuamus, ſeu praue ſentientes à bonis auertimur, ut ad rectam redeamus uiam eius auxilio plus egemus. Nunquid tam mortiferū, tam pręceps uideatur ad caſum, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere quod liberum arbitrium cum naſceremur accepimus? Vltra iam à domino nihil quæramus, id eſt, autoris noſtri obliti eius potentiam, ut nos oſtendamus liberos, abiuremus, quaſi iam amplius quod dare poſſit, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit, neſcientes quod niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequaq; terreni & mūdani corporis uincere conemur errores, cum pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed dei ſolius facere poſſit auxilium. Nam ſi ille clamat adiutorio ſibi opus eſſe diuino, qui digne hoc nō quæreret ſicubi liberū arbitrium plus prodeſſet, quippe cum uir beatus & iam electus à domino nihil egerit, tamen ita dominum deprecatur poſtulans, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me deus ſalutaris meus. Nos nobis liberum arbitrium, ille dominum poſtulat adiutorem. Quod nati ſumus, poſſe ſufficere nobis, dicimus: ille deum ne derelinquat, exorat. Nónne rogo manifeſte diſcimus quod oremus, cum ille tantopere beatus ſicut ſuprà diximus uir, ne deſpiciatur exoptat: illi enim neceſſe eſt iſta arguant, qui illa confirmāt. Dauid enim orationis ignarus, & ſuæ naturæ neſcius accuſetur, qui cum ſciat tantū in ſua natura eſſe adiutorem, ſibi dominū, & aſſiduū adiutorē, nec illi ſufficit aſſiduū, ſed ne aliquando illum deſpiciat, orationibus protinus exoptat, & per corpus omnis pſalterij hoc & prædicat, et clamat. Si ergo hoc ille ita magnū ſcit, ut aſſidue diceret, ita neceſſariū confeſſus eſt ut doceret, quemadmodū Pelagius Cęleſtiusq; ſepoſita omni reſponſione pſalmorū, taliq; abdicata doctrina ſuaſuros ſe aliquibus eſſe cōfidūt nos adiutoriū dei nec debere quęrere, nec egere, cum omnes ſancti nihil ſe ſine hoc agere poſſe teſtanf? Libero enim arbitrio olim ille peruerſus dum ſuis inconſultis utitur bonis cadens in pręuaricationis profunda, demerſusq; nihil quemadmodū exinde ſurgere poſſet, inuenit, ſuaq; in ęternū libertate deceptus, huius ruinæ iacuiſſet oppreſſus, niſi eum pòſt Chriſti per ſuam gratiā releuaſſet aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationē præteritū omne uitiū ſui baptiſmatis lauacro purgauit, & eius confirmans ſtatum quo rectius cōſtabiliusq; procederet, tamen ſuam gratiā in poſterum non denegauit. Nam quamuis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodū poſſet illū et poſt illa corrigere, multa ſeruauit. Quotidiana pręſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſiq; nitamur, nullatenus uincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante uicimus, eo iterum non adiuuante uincamur. Sed poſſem plura dicere, niſi uos conſtaret cuncta dixiſſe. Quiſquis ergo huic aſſentiēs uidetur eſſe ſententiæ qua dicat, adiutorio nobis non opus eſſe diuino, inimicum ſe catholicæ fidei & dei beneficio profitetur ingratum. Nam nec noſtra cōmunione ſunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. Sic enim ſua ſponte dum ſequuntur illa quæ dicuntur, longius à uera religione fugerūt. Cum enim hoc totum in noſtra profeſſione conſiſtat, quotidianiſq; precibus nihil agamus, niſi quemadmodū dei miſericordiā cōſequamur, quemadmodū ferre poſſumus iſta iactantes? Quis rogo tantus illorum pectora error obcæcat, ut ſi ipſi nullam dei gratiam ſentiunt, quia nec digni ſunt, nec merentur, nec de alijs conſiderant, quid quotidie ſingulis gratia diuina largiatur? Sunt quidem iſti omnes cæcitate digniſſimi, qui nec hoc ſibi reliquerūt, ut ſe auxilio credant euocari ab erroribus poſſe diuino. Negantes enim dei adiutoriū, non alijs, ſed ſibi hoc penitus abſtulerunt, qui euellendi ſunt lon

Universidad de Deusto
Biblioteca

gius & ab ecclesiæ procul remouendi uisceribus, ne diutius multa occupans insanabilis pòst error increscat. Si enim diu fuerint sub hac impunitate seruati, necesse est multas in hac sua prauitate mentes inducant, decipiantq; innocẽtes uel potius imprudẽtes qui fidem catholicam nõ sequuntur, putabant enim eos recte sentire, quos adhuc uident in ecclesia perdurare. Separetur ergo à sano corpore uulnus insanum, remotoq; morbi sæuientis afflatu, cautius quæ sunt syncera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sic totius corporis illibata perfectio, quam uos sequi & tenere hac in illos pronunciatione cognouimus, & unà uobiscum pari assensione seruamus. Qui si tamẽ aliquando in se dei adiutoriũ, quod hucusque negauerunt, prouocauerint, & opus eius sibi auxilio esse cognouerint, ut de hac labe in qua sui cordis incuruatione corruerant liberentur, & quasi in lucem de fœda tracti caligine, remotis abdicatisq; omnibus quibus totus ne uerum aspiceret fœdabatur & caligabat aspectus, damnent hæc quę hucusque senserunt, & aliquando animum rectis disputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, ueris se sanandos consilijs tribuant atq; submittant. Quod si fecerint, erit in potestate pontificum istis aliquatenus subuenire, & talibus aliquam curam præstare uulneribus, quam solet lapsis cum resipuerint & ecclesia non negare, ut à suis præcipitijs intra ouile domini redigantur, ne foras præsenti & tanto pię fidio à fide munitionis excluſi periculis omnibus exponantur, deuorandi luporum dentibus atq; uexãdi, quibus obsistere hac qua illos in se irritauerãt doctrinæ peruersitate nõ possunt. Sed talibus uestris monitis, & sic satis abũdantibus nostrę legis exemplis probatur esse responsum, nec quicquam superesse dicimus quod dicamus, cum nihil prętermissum à uobis, nihil constat esse suppressum quo illi refutati & penitus cognoscantur esse conuicti. Ideo à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est, & satis constat ut doctissimos sacerdotes cũcta dixisse, nec decet credere uos aliquid quod ad causam possit sufficere prętersisse. Bene ualete fratres in domino charissimi.

EPISTOLA CONCILII MILEVITANI AD INNOCENTIVM PAPAM.

DOMINO beatissimo meritoq; uenerabili, & in Christo uenerando papę Innocẽtio Siluanus senex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alippius, Augustinus, Placẽtius, Seuerus, Fortunatus, Possidius, Nouatus, Secũdus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Lucius, Honorius, Adeodatus, Processus, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinus, Faustinus, Malchus, Lictorius, Fortunatus, Donatus, Pontianus, Saturnius, Cresconius, Lucius, Honorius, Seruius, Therentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, item Sabinus, Cresconius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex concilio Mileuitano in domino salutem. Quia te dominus gratiæ suæ pręcipuo munere in sede apostolica, talemq; nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ ualeat, si apud tuam uenerationem quæ pro ecclesia sunt suggerenda tacuerimus, quàm ea tu possis uel fastidiosè uel negligẽter accipere, magnis periculis infirmorum membrorũ Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua quippe hæresis & nimium pernicioſa tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis dominicam etiam orationem impijs disputationibus conantur auferre. Cum enim dominus docuerit, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt posse hominem in hac uita pręceptis dei cognitis ad tantam perfectionem iustitiæ sine adiutorio gratiæ salutoris, per solum liberę uoluntatis arbitrium peruenire, ut etiam nõ sit necessarium dicere, dimitte nobis debita nostra. Illud uero quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum tanquam diuinum adiutoriũ poscere debeamus, ne in peccatũ tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis uoluntatem, tanquam frustra apostolus dixerit, Nõ uolentis neq; currẽtis, sed miserentis est dei. &, Fidelis deus qui uos nõ permittit tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Frustra enim dominus dixerit apostolo Petro, rogaui pro te ne deficiat fides tua: & omnibus suis, Vigilate & orate ne intretis in tentationem: si hoc totum est potestatis humanę. Pueros quoque paruulos si nullis imbuantur christianæ gratię sacramẽtis, habituros uitam æternã, nequaquam christiana pręsumptione contendunt, euacuantes quod dicit apostolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et alio in loco: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur. Vt ergo alia omittamus quæ contra scripturas sanctas plurima differunt, hæc interim duo quibus omnino totum quod christiani sumus conantur euertere, quæ fidelia corda sustineant, non esse rogandum deum, ut contra peccati malum atque ad operandã iustitiam sit noster adiutor, & non opitulari paruulis ad consequendam uitam æternam christianæ gratiæ sacramentũ: Hæc insinuantes apostolico pectori tuo nõ habemus opus multa dicere, & tantam impietatem exaggerare, cum proculdubio te ista permoueãt, ut ab eis corrigendis ne latius serpant, multosq; contaminent, uel potius interimant, dum sub nomine Christi à gratia Christi penitus alienant, omnino dissimulare non possis. Huius autem pernicioſissimi erroris autores esse perhibẽtur Pelagius & Cœlestius, quos qui dem in ecclesia sanari maluimus, quàm desperata salute ab ecclesia resecari, si necessitas ulla compellat. Quorum unus, id est Cœlestius, etiam ad presbyteriũ in Asia peruenisse dicitur, de quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginensi ecclesia melius instruitur. Pelagius uero, sicut à quibusdam fratribus nostris missę loquunt epistolæ, Hierosolymis constitutus nõnullos fallere asseritur: ueruntamen multo plures qui eius sensus diligentius indagare potuerunt, aduersus eum pro Christi gratia, & catholicę fidei ueritate cõfligũt, sed pręcipue sanctus filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur adiuuãte misericordia domini dei nostri Iesu Christi, qui te regere, consulentẽ & orantẽ exaudire dignatur, autoritati sanctitatis tuæ de claro scripturarum lumine deprom ptæ, facilius eos qui tam peruersa & tam pernicioſa sentiunt esse cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur, quàm cõtristemur interitu, domine beatissime. Quamlibet autem ipsi eligant, certe uel alios plurimos quos possunt si ab eis dissimulettur, suis laqueis implicare, cernit uenerabilitas tua instanter & celeriter prouidendum. Hæc ad sanctitatẽ tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensem ecclesiam & Carthaginensis prouinciæ coẽpiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Et alia manu: Memor nostri in domini gratia augearis domine beatissime, meritò uenerabilis, & in Christo honorande sanctissime papa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESCRIPTVM INNOCENTII PAPAE AD MILEVITANVM CONCILIVM.



INNOCENTIVS Siluano ſeni, Valentino, & cæteris qui in Mileuitana ſynodo interfuerunt dilectiſſimis fratribus in domino ſalutem. Inter cæteras eccleſiæ Romanæ curas & apoſtolicæ ſedis occupationes, quibus diuerſorum conſulta fideli ac modica diſceptatione tractamus, frater & coëpiſcopus noſter Iuliús dilectionis ueſtrę literas quas ex Mileuitano noſtra authoritate concilio cura fidei propenſiore miſiſtis, mihi inopinanter ingeſſit, Carthaginenſis etiam ſynodi querela parili ſcripta ſubiungens. Nimirum exultat eccleſia tantam ſolicitudinem commiſſis gregibus exhibere paſtores, ut non ſolum neminem ex his patiantur errare, ſed ſi quas magis ouium ſiue delectationis herba ſeduxit, ac ſi in errore permanſerint, aut ſegregari penitus uelint, aut illicitè petita uitantes dudum cuſtodiæ priſtinæ circumſpectione tutari, in utraque parte uidelicet conſulentes, ne uel ſuſcipiendo tales ſimili cęterę ducantur exemplo, uel ſpernendo redeuntes luporum morſibus uideantur ingeſtæ. Prudens admodum & catholicæ fidei plena conſultationis uoluntas. Quis enim aut tolerare poſſit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror conniuentiam præbere peccantibus, ita impium iudico manũ negare conuerſis. Diligenter ergo & congrue apoſtolicæ cõſulitis honoris arcana. Honoris in quam illius quem præter illa quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omniũ eccleſiarum ſuper anxijs rebus quæ ſit tenenda ſententia: antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam. Verum hęc miſſa facio. Neque enim hæc ueſtram credo latêre prudentiã, qui id etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes quod per omnes prouincias de apoſtolico fonte petẽtibus reſponſa ſemper emanẽt, præſertim quotiens fidei ratio mutilatur, arbitror omnes fratres & coëpiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris autorem referre debere, uelut nunc retulit ueſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit eccleſijs omnibus in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inuentores malorum ad duplicis relationem ſynodi ſententiæ noſtrę ſtatutis uiderint ab eccleſiaſtica communione ſeiunctos. Gemino igitur bono charitas ueſtra fungetur, nam & canonum potiemini gratia ſeruatorum, & beneficio ueſtro totus orbis tutabitur. Quis enim catholicorum cum aduerſarijs Chriſti uelit ulterius miſcere ſermonem? Quis ſaltem ipſam uitæ lucem communione partiri? nouæ hæreſeos nimirum fugiantur autores. Quid enim acerbius in dominum fingere potuerunt, quàm cum adiutoria diuina caſſarent, cauſámque quotidianæ precationis auferrent? Hoc eſt dicere, Cur mihi opus deo? Merito in hos Dauid hymnum dicit: Ecce homines qui non poſuerunt deum adiutorem ſibi. Negantes ergo auxilium dei, inquiunt hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratia hunc egere diuina, qua priuatus neceſſe eſt diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia uitę perficienda mandata ſola tantummodo libertate contendat. O prauiſſimarum mentium peruerſa doctrina: aduertat id tandem quod primum hominem ita libertas iſta decepit, ut dum indulgentius frenis utitur eius, in pręuaricationis præſumptione concideret: Neque ex hac pouit erui, niſi prouidentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti domini reformaſſet aduentus. Audiat Dauid dicentem: Adiutorium noſtrum in nomine domini. &, Adiutor meus es tu, ne derelinquas me, nec deſpicias me deus ſalutaris meus. Quę incaſſum dixerit, ſi tantũ in eius erat poſitũ uoluntate, quod à domino flebili ſermone poſcebat. Quę cum ita ſint, cumq; in omnibus diuinis paginis uoluntati liberæ non niſi adiutorium dei legamus eſſe nectendum, eámque nihil poſſe cœleſtibus præſidijs deſtitutam, quonam modo huic ſoli

ſoli poſſibilitatem hanc pertinaciter (ut aſſeritis) defendentes, ſibimet, imò quod eſt dignius dolori communi, plurimis Pelagius Cœleſtiusq; perſuadent? Multarijs equidem ad inſtruendum tale magiſterium uti poſſemus exemplis, niſi ſciremus & ſanctitatem ueſtram ad plenum ſcripturas omnes ſcire, intelligere, callere, diuinas præſertim, cum ueſtra relatio tantis ac talibus teſtimonijs ſit referta, ut his ſolis ualeat præſens dogma reſcindi, opusq; non eſſe recognitis, cum his quæ facile uobis occurrentia poſuiſtis, nec audeant obuiare, nec poſſint. Ergo dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt erga inſtitutam ſtatus priſtini libertatem quæramus, quippe nec aliàs diaboli machinas, niſi eadem poſſumus iuuante uitare. Illud uero quod eos ueſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ uitæ pręmijs abſq; baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuũ eſt. Niſi enim manducauerint carnem filij hominis & biberint ſanguinem eius, non habebunt uitam in ſemetipſis. Qui autẽ hanc in eis ſine regeneratione defendunt, uidentur mihi ipſum baptiſmum uelle caſſare, cum prædicant hos id gratiæ habere quod in eis credunt non niſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil uolunt officere, non renaſci, fateantur neceſſe eſt nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe. Verum ut ſuperfluorum hominum praua doctrina celeri ueritatis poſſit ratione diſtingui, proclamat dominus in Euangelio dicens: Sinite infantes, & nolite eos prohibere uenire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Quare Pelagium Cœleſtiumq;, id eſt, inuentores uocum nouarum, quæ (ſicut dixit Apoſtolus) ædificationis nihilum, ſed magis uaniſſimas conſuerunt parare quæſtiones, eccleſiaſtica cõmunione priuari apoſtolici uigoris autoritate cenſemus, donec reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundum ipſius uoluntatem, eosq; interim dominico ouili non recipi, quoad ipſi peruerſæ uię ſecuti tramitem deſerere uoluerint. Abſcindendi ſunt enim qui uos conturbant, & uolunt euangelium Chriſti perdere. Simul autẽ præcipimus, ut quicunq; ad id pertinentia ſimiliter defenſare nituntur, & par eos uindicta conſtringat. Non ſolum enim qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte: quia non multum intereſſe arbitror inter committentis animum & conſentientis fauorem. Addo & amplius, plerunq; dediſcit errare, cui nemo conſentit. Hęc igitur fratres chariſſimi in ſupradicta maneat fixa ſententia, abſint atrijs domini, careant duntaxat cuſtodia paſtorali, ne duarum ouium dira contagia ſerpant forſitan per uulgus incautum, rapaciq; lupus corde lætetur intra ouile domini, cum per tantas ouium fuſas cateruas, dum à cuſtodibus diſſimulatur, habetur uulnus duarum. Proſpiciendum eſt ergo ne permittendo lupum mercenarij magis quàm paſtores uideamur eſſe. Iubemus ſanè, quia Chriſtus dominus noſter propria uoce ſignauit, nolle ſe mortem morientis, ſed tantum reuertatur & uiuat, ut ſi unquam ad ſanum de propoſito prauí dogmatis errore reſipuerint, damnauerintq; ea quorum ſeipſos præuaricatione damnauerunt, eis medicinam ſolitam, id eſt, receptaculum ſuum ab eccleſia nõ negari, ne dum eos redeuntes forſitan prohibemus, uere extra ouile remanentes & expectantes, hoſtis rapidi faucibus glutiantur, quas in ſemetipſos ſpiculis malę diſputationis armarunt. Bene ualete fratres.

Data ſexto Calend. Febru. Honorio & Conſtantio conſulibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA FAMILIARIS QVIN QVE EPISCOPORVM AD INNOCENtium Papam de Pelagio hæretico, & suæ opinionis assertoribus.

DOMINO beatissimo meritoq; honoratissimo fratri Innocentio papæ Aurelius, Alipius, Augustinus, Euodius, & Possidius, in domino salutem. De concilijs duobus prouinciæ Carthaginensis atq; Numidiæ ad tuam sanctitatẽ à non paruo episcoporum numero subscriptas literas misimus, contra inimicos gratiæ Christi qui confidunt in uirtute sua, & creatori nostro quodammodo dicunt, tu nos creasti homines, iustos autẽ ipsi nos fecimus: qui naturam humanã ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem, ideo saluam, ut iudicent superfluũ saluatorem. Tantum enim dicunt ualentem ut suis uiribus semel in origine suę creationis acceptis possint per liberũ arbitrium, nihil ulterius adiuuante illius gratia qui creauit, domare & extinguere omnes cupiditates, tentationesq; superare. Multi eorum insurgunt aduersum nos & dicunt animæ nostræ, non est salus illi in deo eius. Familia Christi quæ dicit, Quando infirmor tunc fortis sum: & cui dicit dominus eius, Salus tua ego sum; suspenso corde cum timore & tremore adiutorium dei etiam per charitatem tuæ uenerationis expectat. Audiuimus enim esse in urbe Roma, ubi ille diu uixit, nonnullos qui diuersis causis ei faueant. Quidam scilicet qui nobis talia persuasisse perhibentur, plures uero qui eum talia sentire non credunt, præsertim quia in oriente ubi degit gesta ecclesiastica facta esse credendum est, nisi quibus putatur esse purgatus: ubi quidam si episcopi eum catholicũ pronunciarunt, non ob aliud factum esse credendũ est, nisi quia dixit se dei gratiam confiteri, & ait, posse hominem suo labore ac uoluntate iuste uiuere, ut ad hoc adiuuari dei gratia non negaret. His enim auditis uerbis catholici antistites nullam aliam dei gratiam intelligere potuerũt, nisi quam in libris dei legere & populis dei prædicare consuerunt: eam utique, de qua dicit Apostolus: Non irritam facio gratiam dei. Nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Sine dubio gratiam qua iustificamur ab iniquitate, & qua saluamur ab infirmitate, non qua creati sumus ea propria uoluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam quam etiam cum impijs habemus, cum quibus homines sumus, negari uero eam qua Christiani & filij dei sumus, quis eum patienter catholicorum sacerdotũ non dicimus audiret, sed ante oculos suos ferret? Quapropter non culpandi sunt iudices qui ecclesiastica consuetudine gratiæ nomen audierunt, nescientes quid huiusmodi homines uel suæ doctrinę libris, uel suorum solent auribus spargere. Non agitur de uno Pelagio, quia fortasse correctus est (quod utinam ita sit) sed de tam multis quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas uelut coniunctas trahentibus, firmas autem & in fide stabiles ipsa contentiore fatigantibus, usquequaq; iam plena sunt omnia. Aut ergo à tua ueneratione accersendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, quam fateatur, si tamen iam fatetur non ad peccandum, sed iuste uiuendum homines adiuuari, aut hoc ipsum cum eo per literas agendum. Et cum inuentus fuerit hanc dicere quam docet ecclesiastica & apostolica ueritas, tunc sine ullo scrupulo ecclesiæ, & sine latibulo ambiguitatis illius absoluendus est, tunc est reuera de eius purgatione gaudendum. Siue enim dixerit gratiam esse liberum arbitrium, siue gratiam esse remissionem peccatorum, siue gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit quod per ministrationem spiritus sancti pertinet ad concupiscentiam tentationésque uincendas, quem ditissime effu-

me effudit super nos, qui ascendit in cœlum, & captiuauit captiuitatem, deditque dona hominibus. Hinc enim oramus ut peccatorum tentationem superare possimus, ut spiritus dei (unde pignus accepimus) adiuuet infirmitatem nostram. Qui autem orat, & dicit, ne nos inferas in tentationem, non utiq; id orat ut homo sit quod est natus: neque orat id quod habeat liberum arbitrium, quia iam accepit cum crearetur ipsa natura: neq; orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur, dimitte nobis debita nostra: neque orat ut accipiat mandatum, sed planè orat ut faciat mandatum. Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tentatione defecerit, facit utiq; peccatũ quod est contra mandatum. Orat igitur ut non peccet, hoc est, ut ne quid faciat mali: quod pro Corinthijs orat Apostolus dicens: Oramus autem ad dominum, ne quid faciatis mali. Vnde satis apparet quod non ad peccandũ, id est, non ad malefaciendum: quamuis esse non dubitetur liberum arbitrium uoluntatis, tamen eius potestas non sufficiat, nisi adiuuetur infirmitas. Ipsa igitur oratio clarissima testificatio est, hanc ille cõfiteatur, & eum gaudebimus siue rectum siue correctum. Distinguenda est lex & gratia: lex iubere nouit, gratia iuuare. Nec lex iuberet, nisi esset uoluntas: nec gratia iuuaret, si satis esset uoluntas. Iubetur ut habeatur intellectus, ubi dicitur: Nolite esse sicut mulus & equus, quibus non est intellectus: & tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur: Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Iubetur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur: Stulti ali quando sapite: & tamen oratur ut sapientiam habeamus, ubi dicitur: Si quis autem uestrũm indiget sapientia postulet à deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Iubetur ut habeamus cõtinentiam, ubi dicitur: Cum scirem quia nemo potest esse cõtinens, nisi deus det, & hoc ipsum erat sapientę scire, cuius esset hoc donum, adij dominũ & deprecatus sum illum. Postremo ne nimiũ longum sit cuncta percurrere, iubẽ ut non faciamus malũ, ubi dicitur: Declina à malo: & tamen oratẽ ut non faciamus malũ, ubi dicitẽ: Oramus aũt ad dominũ ne quid faciatis mali. Iubemur ut faciamus bonũ, ubi dicitur: Declina à malo & fac bonũ: & tamen oratur, ut faciamus bonũ, ubi dicitẽ: Non cessamus pro uobis orantes & postulantes: atq; inter cętera quę illis orat dicit, ut ambuletis digne deo in omne beneplacitũ, in omni opere & sermone bono. Sicut ergo agnoscimus uoluntatẽ cum hęc præcipiuntẽ, sic & ipse agnoscat gratiã cum petuntẽ. Misimus reuerentię tuæ librũ quem dederũt religiosi & honesti adolescentes serui dei, quorũ etiam nomina nõ tacemus, nam Thimasius & Iacobus uocantẽ: qui, sicut audimus, & etiam nosse dignaris, ipsius Pelagij exhortatione spem quã habebant in seculo reliquerunt, & nunc continentes deo seruiunt. Qui cum errore eodem aliquando per qualemcunq; operã nostram domino inspirante caruissent, pertulerũt eundẽ librum, Pelagij esse dicentes, & ut ei responderẽt impendiò rogauerũt. Factũ est ad eosdẽ dum rescripta est ipsa responsio, agẽtes gratias rescripserũt: utrunq; misimus, et cui responsum, & quod responsum est. Et ne nimium essemus onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere nõ graueris, quẽadmodũ sibi obiecta quęstione quod gratiã dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret, nisi naturã in qua nos condidit deus. Si aũt hunc esse suũ librũ negat, aut eadem in libro loca, non contẽdimus, anathematizet illa, et eam cõfiteatur apertissime gratiã quã doctrina Christiana demonstrat, & prędicat esse propriam Christianorũ, quæ non est natura, sed qua saluatur. Quæ natura non auribus doctrina sonante uel aliquo adiumento uisibili foueẽ, sicut plantatur quodammodo & irrigatur extrinsecus, sed subministratione spiritus, & occulta misericordia, sicut ille facit qui dat incrementum deus. Si enim quadam nõ improbanda ratione dicitur gratia dei qua creati sumus, ut nonnihil essemus, nec ita essenus aliud, aut cadauer quod non uiuit, aut arbor quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed homines, qui ut essemus, & uiue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

remus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tantum beneficio creatori nostro gratias agere ualeamus: unde & meritò gratia ista dici potest, quia non præcedentium aliquorũ operum meritis, sed gratuita bonitate dei donata est: alia est tamen qua prædestinati uocamur, iustificamur, glorificamur, ut dicere possimus, si deus pro nobis, quis contra nos? qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De hac gratia quæstio uertebatur, quando ab his quos Pelagius grauiter offendebat atque turbabat, dicebatur ei quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret, non solum ad facienda, uerumetiam ad perficienda mandata diuina per liberum arbitrium sibi humanam sufficere naturam. Hanc Apostolica doctrina gratiam non immeritò isto nomine appellat, qua saluamur, & iustificamur ex fide Christi: de hac scriptum est, Non irritam facio gratiam dei, nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. De hac scriptũ est: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini à gratia excidistis. De hac scriptum est: Si aũt gratia iam nõ ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. De hac scriptum est: Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam: ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et multa alia quæ melius potes ipse meminisse & intelligere prudentius & illustrius prædicare. Illam uero gratiam qua creati sumus homines, etiam si illam appellandam non immeritò intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullius legitimis propheticis, euangelicis, apostolicisq; literis legimus. Cum itaq; de hac gratia à Christianis fidelibus catholicisq; nouissima illi obiceret quæstio, ut eam oppugnare desineret, quid est quod cũ hæc sibi in libro suo, uelut aduersante persona, idem ipse obiecisset, ut se respondendo purgaret, nihil aliud respondit, nisi naturam creati hominis referre gratiã creatoris, atq; se ita dicere sine peccato impleri posse iustitiam per lib. arb. cum adiutorio diuinæ gratiæ, quod deus hoc dederit homini ipsa possibilitate naturę. Cui meritò respondetur: Ergo euacuatum est scandalum crucis, ergo Christus gratis mortuus est. Non enim si non moreretur propter delicta nostra, & resurgeret propter iustificationẽ nostram, nec ascendisset in altum, & captiuans captiuitatẽ daret dona hominibus, ista naturę possibilitas quã defendit, non esset in hominibus. An fortè dei mandatũ deerat, & ideo Christus mortuus est? Imò etiã & hoc erat sanctũ & iustũ & bonum. Iam dictum fuerat, non concupisces: iam dictum fuerat, diliges proximum tuũ sicut teipsum. In quo sermone apostolus omnem legem dicit impleri. Et quoniã nisi diligat deum, nemo diligit seipsum, ideoq; dominus in his duobus præceptis totã legem dixit prophetasq; impleri. Quæ duo præcepta iam erant hominibus diuinitus data, at æternũ præmium iustitiæ promissum nondum erat. Hoc ipse non dicit, qui in suis literis posuit, etiã in ueteri testamento regnũ cœlorũ esse promissum. Si ergo ad faciendã perficiendamq; iustitiã iam erat naturę possibilitas per lib. arbit. iam erat legis dei sanctũ, iustum, benignumq; mandatũ, iam erat promissum præmium sempiternum. Ergo Christus gratis mortuus est. Ergo neq; per legem iustitia, neq; per naturæ possibilitatem, sed ex fide ac dono dei per Iesum Christum dominũ nostrum unum mediatorem dei & hominum. Ex quo enim per unũ hominẽ peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerũt, proculdubio à corpore mortis huius, ubi lex alia repugnat legi mẽtis, neminẽ liberauit aut liberat suę possibilitas naturę, quę perdita redẽptore indiget, sauciata saluatore, sed gratia dei per fidẽ unius hominis mediatoris dei & hominũ, hominis Iesu Christi, qui et deus cũ esset, hominẽ fecit, & manens deus, homo factus, refecit ipse quod fecit. Puto aũt quod nõ lateat fides Christi, quę postea in reuelationẽ uenit in occultis fuisse temporibus patrũ nostrorũ, per quã tamen etiã ipsa dei gratia liberati sunt, quicũq; omnibus generis humani

mani tẽporibus liberari potuerũt occulto dei iudicio, nõ tamen uituperabili. Vnde dicit apostolus: Habentes aũt eundem spiritũ fidei, utiq; eundẽ quẽ & illi secundũ quod scriptũ est, Credidi propter quod locutus sũ, & nos credimus, propter quod & loquimur. Inde est quod ait ipse mediator: Abraham cõcupiuit uidere diẽ meũ, uidit & gauisus est. Inde prolato sacramẽto Melchisedech mensæ dominicæ, nouit ęternũ eius sacerdotiũ figurare. Iam uero data in literis lege quam dicit apostolus subintrasse, ut abundaret delictum, & de qua dicit, si ex lege hæreditas, iam non ex promissione, Abrahæ antè per repromissionem donauit deus. Quid igitur lex? transgressionis gratia posita est, donec ueniret semen cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, deus autem unus est. Lex ergo aduersus promissa dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset iustificare, omnino ex lege esset iustitia: sed conclusit, scriptura dicente, omnia subpeccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Nónne satis ostenditur hoc actum esse per legem, ut peccatum cognosceretur & præuaricatione augeretur? Vbi enim lex non est, nec præuaricatio: & sic aduersus uictoriam peccati ad diuinam gratiam quæ in promissionibus est, cõfugeretur, atq; ita lex non esset aduersus promissa dei, quia ideo per illam fit cognitio peccati, & ex præuaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quęrantur promissiones dei, quod est gratia dei, & incipiat esse in homine iustitia, non sua, sed dei, hoc est, data dono dei. Quam etiam nunc quidam sicut & tunc de Iudæis dictum est, ignorantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitię dei non sunt subiecti: per legem quippe & illi iustificari se arbitrantur, sufficiente sibi ad eandem custodiendam libero arbitrio, hoc est, iustitia sua, prolata ex natura humana, non donata ex gratia diuina, propter quod iustitia dei dicitur. Vnde scriptum est: Per legem enim cognitio peccati. Nunc autẽ sine lege iustitia dei manifestata est, testificata per legem & prophetas. Cum dicit manifestata est, ostendit quia & tunc erat, sed tanquã illa pluuia quã Gedeon impetrauit, tunc uelut in uellere occulta, nunc aũt uelut in area manifesta. Cum ergo lex sine gratia, non mors peccati potuisset esse, sed uirtus: sic enim dictum est: Aculeus mortis peccatum, uirtus autem peccati lex: sicut confugiunt multi à facie repugnantis peccati ad gratiam uelut in aream nunc patentem, ita pauci ad eam confugiebant, uelut in uellere tunc latentem. Hæc uero temporum distributio refertur ad altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ dei, de qua dictũ est: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles uię eius. Quapropter si ante tempus legis, & tempore ipso legis iustos patres ex fide uiuẽtes, non possibilitas naturæ infirmę & indignæ ac uitiatæ, & sub peccato uenũdatæ, sed dei gratia per fidẽ iustificabat, & nunc eadẽ in apertũ iam ueniens reuelata iustificat. Anathematizet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturæ, ad uincenda peccata & implenda mandata: aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis, aut inimicis suis dicit immissa quæ sua esse negat, anathematizet ea & damnet paterna exhortatione & autoritate sanctimonię tuę. Si ergo uult, onerosum sibi & pernicioſum discat ecclesię scandalũ auferre, quod scandalũ auditores & in peruersum dilectores eius usq; quaq; spargere nõ quiescũt. Si enim cognouerint eundẽ librũ quem illius uel putant esse, uel norũt episcoporũ catholicorũ autoritate & maxime sanctitatis tuę quã apud eũ esse maioris põderis minime dubitamus, ab eodẽ esse ipso anathematizatũ atq; damnatũ, nõ eos ulterius ęstimamus ausuros loquẽdo contra gratiã dei quę reuelata est per passionẽ & resurrectionẽ Christi, nec pectora fidelia & simpliciter Christiana turbare, sed potius adiuuãte misericordia dei certãtibus nobiscũ pietate & charitate flagrantibus etiã orationibus tuis, non solũ ut in ęternũ beati, uerumetiam iusti & sancti sint, non in sua uirtute, sed in eadem gratia confisuros:

Universidad de Deusto
Biblioteca

unde & ad ipsum scriptam ab uno homine epistolam, ad quem per quendã orientalem diaconum, ciuem autem Hiponiensem, tanquã purgationis fieri quædã scripta transmisit, tuæ beatitudini potius credidimus dirigenda, melius iudicantes, & petentes ut eam ei mittere ipse digneris, sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quàm qui scripsit attendens. Illud uero quod dicũt posse hominem esse sine peccato, & mandata dei facile custodire si uelit, quamuis cum hoc per adiutorium dei gratiæ, quæ tamen per incarnationem unigeniti eius reuelata atq; donata est, dicitur, tolerabilius dici uideatur: tamen quoniã meritò quæri potest, ubi & quando per eandem gratiam id efficiatur in nobis, ut sine illo prorsus peccato simus, utrum in hac uita quando caro cõcupiscit aduersus spiritũ, an uero in illa, cũ fiet sermo qui scriptus est, ubi est mors uictoria tua? ubi est mors aculeus tuus? aculeus enim mortis peccatum est, diligentius pertractandum, propter alios quosdam qui inique senserunt, atq; in suis literis memoriæ mandauerũt, etiam in hac uita esse posse hominem sine peccato, non ab initio natiuitatis suæ, sed conuersione à peccatis ad iustitiam, & à uita reproba ad bonam uitam. Sic enim intellexerunt quod de Zacharia & Helisabeth scriptum est, ambulasse eos in omnibus iustificationibus dei sine querela. Hoc quod dictum est sine querela, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, imò etiam quod alijs locis in literis eorum inuenitur, pie cõfitentes adiutoriũ gratię domini nostri non per naturalem spiritum hominis, sed per principalẽ spiritum dei. Qui parum uidentur cõsiderasse ipsum Zachariam fuisse etiam sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes necesse habebant ex lege dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populo. Sicut ergo nunc per orationis sacrificium cõuincimur non esse sine peccato, quoniam iussi sumus dicere, Dimitte nobis debita nostra: ita & tunc per sacrificia uictimarum animalium conuincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis iubebantur offerre. Quod si res ita se habet, ut per gratiam saluatoris proficiamus quidem in hac uita deficiente cupiditate, charitate crescente, perficiamur autem in illa uita cupiditate extincta, charitate completa, profecto illud quod scriptum est, Qui natus est ex deo non peccat, secundum illam charitatem dictum est, quæ sola non peccat: ad natiuitatem quippe quæ ex deo est, augenda & perficienda charitas pertinet, non ea quæ minuenda est & consumenda cupiditas, quę tamen quandiu est in membris nostris, lege quadã sua repugnat legi mentis: sed natus ex deo, nec obediens desiderijs eius, nec exhibens membra sua arma iniquitatis, peccato potest dicere, Iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Sed quomodo se habeat ista quæstio, quia etsi non inuenitur homo in hac uita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adiutorium gratiæ & spiritus dei, quod ut fiat conandũ atq; poscendũ est. Tolerabiliter in hoc quisq; fallit̃, nec diabolica impietas, sed error humanus est elaboranda & optanda affirmare, etiã si quod affirmat, non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certe laudabile est uelle. Nobis autem sufficit quod nullus in ecclesia dei fidelium reperitur in quolibet profectu excellenti atq; iustitia, qui audeat dicere sibi non necessariam precationem orationis dominicæ, dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & in eo ueritas non sit, quamuis iam sine querela uiuat. Non enim qualescunq;, etiam tentationes humanæ, sed graue peccatum est quod in querelam uenit. Det ueniam tua sanctitas, si prolixiorem epistolam fortasis quàm uelles tuæ misimus sanctitati. Non enim riuulum nostrum tuo largo sonti augendo refundimus, uerumetiam noster, licet exiguus, ex eodem quo etiã tuus abundans emanat capite fluentorum: hoc aperte probare uoluimus tuis rescriptis de communi participatione unius gratię consolari.

Rescri-

RESCRIPTVM INNOCENTII PAPAE DE PELAGIO HAERETICO. 301



INNOCENTIVS Aurelio, Alipio, Augustino, Euodio, Passidio Episcopis salutem. Fraternitatis uestræ literas plenas fidei totoq; religionis catholicæ uigore firmatas, à uobis missas & cõcilijs uestris per fratrem & coëpiscopũ nostrũ Iulium, pergrato suscepimus animo, quod earum tenor omnisq; contexio in cõsideratione quotidianæ gratiæ dei, & in eorum correctione qui contrà sentiunt, integra ratione consistit, & ut illis omnem tollere possit errorẽ, & idoneo dato quouis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant dignum possit præbere doctorem. Sed de his ut arbitror iam satis suprà dixi mus. Sed subinde contra eos subuenit, & suppeditat quod dicatur, nec potest aliquando deesse quod uincat, cum tam miserũ impiumq; sit quod nostrę uirtute fidei & ipsa plenius ueritate uincatur. Qui enim omnem uitæ spem respuit atq; cõtempsit, inimica damnabiliq; cor suum disputatione confundens, cum credit nihil esse quod à deo accipiat, nec aliquid supereſſe quod petat ad sanandũ: sed qui sibi hoc abstulit, ulterius quid reliquit? Si ergo sunt aliqui, quos in sui defensionẽ peruersitas tanta defixit, qui huic se dogmati dedant atq; cõiungant, sperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius & penitus approbatur aduersum, infecti illorũ & monitis & uerbis ut haberentur inducti, quatenus ad rectum uitæ tramitem redeant, festinabunt, ne diutius mentem obsidens, uelut pestis eorum sensibus error inuadat. Nam si Pelagius quocunq; restitit loco, eorũ animos qui facile uel simpliciter crederẽt, disputandi hac affirmatione decepit, seu hic illi in urbe sunt, quod nescientes nec manifestare possumus, nec negare cum & si sunt lateant, nec aliquando audeant uel illum prædicantem ista defendere, uel talia aliquo nostrorũ præsente iactare, & in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facile nec alicubi possit agnosci, siue in quouis terrarum loco degant dei nostri misericordia gratiaq; credimus quod facile corrigantur, audita eius damnatione qui fuerit pertinax, & resistens huius dogmatis autor inuentus, non interest, ubi isti fuerint, dum ubicunq; inueniri potuerint, sunt sanandi: nobis tamen nec suaderi potest eum esse purgatum, quamuis ad nos à nescio quibus laicis sint gesta perlata, quibus ille & auditum se crederet, & absolutum. Quæ utrum uera sint dubitamus, quod sub nulla illius concilij executione uenerũt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas, apud quos istius rei prętitit causas. Quod si de sua ille potuisset purgatione cõfidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo uerius esse poterat, ut illos cogeret epistolis suis qui dijudicauerant iudicare: uerum cum sint aliqua in ipsis posita gestis quæ obiecta partim mussitando ille suppressit, partim multa in se uerba retorquendo tota obscuritate cõfudit, aliqua magis falsis argumentis, quàm uera ratione ut ad tempus uidere poterat, purgauit, alia negando, alia falsa interpretatione uertendo. Sed utinam, quod magis optandũ est, etiam ille se ad ueram catholicæ fidei uiam ab illo sui tramitis errore conuertat, ut cupiat uelitq; purgari, considerans quotidianam dei gratiam adiutoriumq; cognoscens, ut uideatur uerum, & approbetur ab omnibus manifesta ratione correctus, non gestorum iudicio, sed ad catholicam fidem corde conuerso. Vnde nõ possum illorum nec approbare nec culpare iudicium, cum nesciamus utrum uera sint gesta, aut si uera sunt, illum subterfugisse cõstet magis quàm se in tota uirtute purgasse. Qui si confidit, nouitq; non omni dignũ esse indignatione quod dicat, aut iam hoc totum se refutasse quod dixerat, non à nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolui. Nam si adhuc taliter sentit, quãdo se nostro iudicio quibusuis acceptis literis cum sciat damnandũ se esse cõmittet? Quod si accersendus esset ab

his melius fieret qui magis proximi & non longo terrarũ ſpatio uidentur eſſe diſiuncti. Sed non deerit cura ſi medicinę præbeat ille materiã. Poteſt enim damnare quę ſenſerat, ac datis literis erroris ſui, ut regreſſum ad nos decet ueniam poſtulare fratres chariſſimi. Librũ ſanè qui eius eſſe dicebatur, nobis à ueſtra charitate tranſmiſſum euoluimus, in quo multa blaſphema erãt, nihil quod placeret, nihil quod penitus non diſpliceret, à quouis damnandum atq; calcandum, cuius ſimilia niſi qui iſta ſcripſerat, nemo alter in mentem reciperet atq; ſentiret. Nam hoc loco de lege latius diſputare uelut coram poſito repugnantiq; Pelagio, neceſſariũ eſſe non duximus, cum uobiſcum totam rem ſcientibus, pariq; nobiſcum aſſenſione gaudentibus, colloquamur. Tunc enim melius hæc exempla ponuntur, quando cum his quos harum conſtat rerum prudentes eſſe tractamus. Nam de naturæ poſſibilitate, ac de libero arbitrio, & de omni dei gratia, & quotidiana gratia, cui non ſit recte ſentienti uberrimũ diſputare? Anathematizet ergo iſta quæ ſenſit, ut illi qui eius ſermonibus fuerant præceptiſq; collapſi, quid tandem habeat fides uera cognoſcant. Facilius enim reuocari poterunt, cum iſta à ſuo ſenſerint autore damnari. Quod ſi ille pertinaci in hac uoluerit impietate perſiſtere, eſt agendũ quatenus uel his poſſit ſubueniri, quos non ſuus ſed huius magis error induxit, ne & illis hæc medicina pereat, cuius iſte talem non admittit, nec poſtulat curam. Deus uos cuſtodiat incolumes fratres chariſſimi. Data VI. Calend. Februarij.

COELESTINI PAPAE DECRETA.

DILECTISSIMIS fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Archadio, Sillucio, & cæteris Galliarum epiſcopis Cœleſtinus. Apoſtolici uerba præcepti ſunt, apud Iudæos atque gentiles ſine offenſione nos eſſe debere: hoc quiſquis Chriſtianus eſt, tota'animi uirtute cuſtodit. Quod cum ita ſit, nõ parũ periculi illi manere poterit ante dominum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos qui neminem perire uolumus, iſta contriſtent quæ autoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos, dominicus in euangelio ſermo teſtatur: ait enim ipſe ſaluator, quod expediat ſcandalizanti unum de puſillis, in maris profundum demergi. Ideo quę ſit iam eius pœna quæramus, cui tale ſupplicium legimus expedire.

1 Filij noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa dominum noſtrum ſolicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus presbyteris, illic licere qui diſſenſioni eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quęſtiones uocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia ueritati. Sed ueſtræ dilectioni iuſtius imputamus, quando illi ſupra uos habent copiam diſputandi. Legimus ſuper magiſtrũ non eſſe diſcipulum, hoc eſt, non ſibi debere quemquam ad iniuriam doctorũ uendicare doctrinam. Nam & hos ipſos à deo noſtro poſitos nouimus ad docendum, cum ſit docente apoſtolo eis tertius locus intra eccleſiam deputandus. Quid illic ſpeciei eſt ubi magiſtris tacentibus hi loquuntur qui, ſi ita eſt, eorũ diſcipuli non fuerunt. Timeo ne conniuere ſit hoc tacere: timeo ne magis ipſi loquantur qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret ueritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò nãque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faueamus errori. Ergo corripiantur huiuſmodi, non ſit his liberum habere pro uoluntate ſermonem: deſinat ſi ita res ſunt inceſſere nouitas uetuſtatem, deſinat eccleſiarum quietem inquietudo turbare. Conantur ſæpe naufragio emergere, quos intra portum ſtantes ſtatio facit fida ſecuros. Fida quippe eſt omnium ſtatio, quorum perfectis greſſibus ueſtigia non mouentur.

tur. Recurrerunt ad apoſtolicã prædicti ſedem, hæc ipſa nobis quæ tentat perturbatio conquerentes. Habete fratres chariſſimi pro catholicę plebis pace tractatum. Sciant ſe, ſi tamẽ cenſeanẽ presbyterij dignitate, uobis eſſe ſubiectos. Sciant omnes qui male docent, quod ſibi diſcere magis ac magis cõpetat quàm docere. Nam quid in eccleſijs uos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi? Niſi forte illud obſiſtat quod non autoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui è fratrum numero nuper de laicorum conſortio in collegium noſtrum fortaſſis admiſſi, neſciant quid ſibi debeant uendicare. Super his multa iam dicta ſunt eo tempore quo ad fratris tuendi dedimus ſcripta reſponſum, nunc tamen repetentes ſæpius admonemus, uetentur huiuſmodi qui laborant per terras aliud quàm ille noſter iuſſit agricola ſeminare. Nec tamen mirari poſſumus, ſi hæc erga uiuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare.

2 Auguſtinum ſanctæ recordationis uirum, quem pro uita ſua atq; meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtrę ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam antè à meis ſemper prędeceſſoribus haberẽt. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubiq; cunctis & amori fuerit & honori: unde reſiſtatur talibus quos male creſcere uidemus: nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoq; conuenit macerari: quamuis maneat hos beatitudo promiſſa, quicunq; probanẽ perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere, quibus quid promittat dominus in futurum ſequens ſermo declarat. Non eſt agentium cauſa ſolarum, uniuerſalis eccleſia quacunque nouitate pulſatur. Intelligamus hæc ipſa uobis quæ nobis non placent diſplicere. Quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilẽtio de tali re impoſtorum querela ceſſabit. Dominus incolumes uos cuſtodiat fratres chariſſimi.

3 Quia nonnulli catholico nomine gloriantur, in damnatis hęreticorum ſenſibus ſeu prauitate ſiue imperitia demorantes, pijſſimis diſputationibus obuiare præſumunt. Et cum Pelagium atq; Cœleſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen ueſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur, eaq; tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli ſedes contra inimicos gratiæ dei per miniſteriũ præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Neceſſarium igitur fuerit diligenter inquirere quid rectores Romanæ eccleſiæ de hæreſi quæ eorum temporibus exorta fuerat iudicauerint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia dei ſentiendũ eſſe cenſuerint, ita ut etiam Aphricanorum conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas utiq; ſuas fecerunt apoſtolici antiſtites cum probarunt. Vt ergo plenius qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum patrum compendioſo manifeſtemus indiculo. Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatũ breuitate pendere, nullamq; ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum catholicis credat & dicat:

4 In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia dei miſerentis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ Innocentio, atq; dicente in epiſtola ad Carthaginenſe concilium. Liberum enim arbitrium ille perpeſſus dum ſuis inconſultius utitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demerſus eſt, & nihil quemadmodum exinde reſurgere poſſet inuenit, ſuaq; in æternum libertate deceptus huius ruina latuiſſet oppreſſis, niſi eum poſtea Chriſti per ſuam gratiam releuaſſet aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteriti peccati uitium ſui baptiſmatis lauacro purgauit.

5 Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus. Quod in eisdem scriptis eiusdem pontificis sententia protestatur, dicens: Nunquid nos de eorũ post hæc rectũ mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quod boni sunt, nec illum cõsiderant, cuius quotidie gratiã consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?

6 Neminem etiam baptismatis gratia renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit: quod eiusdem antistitis in eisdem paginis doctrina confirmat dicens: Nam quamuis hominem redimeret à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisiq; nitamur, nullatenus humanos uincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante uincimus, eo iterum non adiuuante uincamur.

7 Quod nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio. Idem magister in epistola ad Mileuitanum concilium data prædicat dicens: Aduerte tandem ô prauissimarum mentium peruersa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur, in præuaricationem præsumptionis incederet, nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi domini reformasset aduentus.

8 Quod omnia studia & omnia opera ac merita sanctorum ad dei gratiam laudemq; referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit. In quam nos sententiã dirigit beatæ recordationis papæ Zozimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait: Nos autem instinctu dei (omnia enim bona ad autorem suum referenda sunt unde nascuntur) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam uniuersa retulimus. Nunc autem sermonem synceriſsimæ ueritatis luce radiantem tanto Aphri episcopi honore uenerati sunt, ita ut ad eundem uirum rescriberent. Illud uero quod in literis quas ad uniuersas prouincias curasti esse mittẽdas posuisti dicens, Nos tamẽ instinctu dei, &c. sic accepimus dictum, ut illos qui contra dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio ueritatis uelut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecistis arbitrio, quàm quod uniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulistis? & tamẽ instinctu dei factum esse fideliter sapienterq; uidistis, ueraciter fideliterq; ut dixistis, ideo utiq; quia præparatur uoluntas à domino, & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusq; uoluntatis humanæ singulis moribus magis illius ualere non dubitemus auxilium.

9 Quod ita deus in cordibus hominum, atq; in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ uoluntatis ex deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cum ad totius orbis episcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loqueretẽ, Quod ergo tempus, ait, interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est: superbum est enim ut quicquã sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris huius, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et sicut ipse iterum dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Et iterum: Gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non fuit, sed plus illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia dei mecum.

10 Illud etiam quod in tra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitũ est, ut quicunq; dixerit gratiam dei qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum ualere quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium ut non committantur, anathema sit. Et iterum quarto capitulo ait, ut si quis dixerit gratiam dei per Iesum Christum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, & quid uitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quid faciendum cognouimus etiam facere diligamus atq; ualeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas uero ædificat, ualde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere, cum sit utrunq; donum dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de deo scriptum est, qui docet hominem scientiam: ita scriptum est etiam, charitas ex deo est. Item quinto capitulo, ut quisquis dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberũ arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamẽ possimus etiam sine illa diuina implere mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis facere, sed ait, sine me nihil potestis facere.

11 Præter eas autem beatissimæ & apostolicæ sedis inuiolabiles sanctiones, quibus nos pijssimi patres pestiferæ nouitatis elatione deiecta, & bonæ uoluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usq; in finem perseuerantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoq; sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atq; in communi ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi, lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente ecclesia postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatręq; ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato uelamine lux ueritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique cathecuminis ad regenerationis sacramenta productis, cœlestis aula misericordię reseretur. Hęc autem non perfunctorie, neq; inaniter à domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni eorum genere plurimos deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filij charitatis suæ, & ex uasis iræ faciat uasa misericordiæ: quod adeò totum diuini operis esse sentitur, ut hæc efficiente deo, gratiarum semper actio laudisq; confessio, pro illuminatione talium uel correctione referatur.

12 Illud etiam quod circa baptizandos in uniuerso mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non otioso cõtemplamur intuitu, cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis ueniunt sacramentum, non prius ad fontem uitæ adeunt quàm exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc uere appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps uasa eius diripiantur in possessionem translata uictoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus. His ergo ecclesiasticis ex diuina sumptis autoritate documentis, ita adiuuante domino confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atq; operum, & omnium studiorum omniumq; uirtutum, quibus ab initio fidei ad deum tenditur, deum fatea-

mur autorem, & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit ut aliquid boni & uelle incipiamus & facere. Quo utiq; auxilio & munere dei non auferetur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de impudente ſit prouidum. Tanta enim erga omnes homines eſt bonitas dei, ut noſtra uelit eſſe merita quę ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus: agit quippe in nobis ut quod uult & uelimus & agamus, nec otioſa in nobis eſſe patitur quæ exercenda non negligenda donauit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ dei: ac ſi quid in nobis ex noſtra uiderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicite recurramus qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu uitam noſtram, & cui quotidie dicimus, ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.

13 Profundiores uero difficiliores ę partes occurrentium quæſtionum quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere, quia ad confitendum gratiam dei, cuius operi ac dignationi penitus ſubtrahendum nō eſt, ſatis ſufficere credimus quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur catholicum quod apparuerit præfixis ſententijs eſſe contrarium.

LEONIS PAPAE EPISTOLA PRIMA AD EVTICETEM CONSTANTInopolitanum abbatem aduerſus Neſtorianam hæreſim.

Dilectiſſimo filio Euticeti presbytero Leo Epiſcopus.

AD NOTITIAM noſtram tuæ dilectionis Epiſtola retuliſti, quod Neſtoriana hæreſis quorundam rurſus ſtudijs pullularet. Solicitudinem tuam ex hac parte nobis placuiſſe reſcripſimus, quoniam index animi tui eſt ſermo quem ſumpſimus. Vnde non ambigimus autorem catholicæ fidei dominum tibi in omnibus affuturum. Nos autem cum plenius quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoſcere, neceſſe eſt auxiliante domino prouidere, quatenus nefandum uirus dudumq; damnatū, radicitus poſſit extingui. Deus te cuſtodiat incolumem dilectiſſime fili.

EPISTOLA SECVNDA LEONIS PAPAE AD THEODOSIVM AVGVSTVM, QVA EVticetem presbyterum immeritò ab Flauiano communione priuatum exiſtimat.

QVANTVM præſidij dominus Eccleſiæ ſuæ in fide ueſtræ clementiæ præpararit, his etiam literis quas ad me miſiſti oſtenditur, ut uobis non ſolum regium, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudeamus. Siquidem præter Imperiales & publicas curas, piiſſimam ſolicitudinem Chriſtianæ religionis habetis, ne ſcilicet in populo dei, aut ſchiſmata, aut hæreſes, aut ulla ſcandala conualeſcant: quia tunc eſt optimus regni ueſtri ſtatus, quando ſempiternæ & incommutabili trinitati unius deitatis confeſſione ſeruitur.

ſeruitur. Quid autē in Conſtantinopolitana Eccleſia perturbationis acciderit, quid ita fratrem & coēpiſcopum noſtrum Flauianum potuerit commouere, ut Euticen presbyterum communione priuaret, nondum potui euidenter cognoſcere. Quamuis enim prædictus presbyter ad ſedem apoſtolicam per libellum doloris ſui querimoniam miſerit, breuiter tamen aliqua prælibauit, aſſerens ſe Nicenæ ſynodi conſtituta ſeruantem, fruſtra in fidei diuerſitate culpatum. Euſebij autem Epiſcopi accuſatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus presbyter miſit, de obiectionis euidentia nihil habebat. Sed cum presbytero hæreſeos crimen intenderet, quem tamen noſtrum ſenſum arguerit, non euidenter expreſſit, quamuis & ipſe Epiſcopus Nicenæ ſynodi profiteatur in hac re ſe eſſe decretis: propter quod non habuimus, unde aliquid diceremus. Et quia cauſæ meritum fidei ratio & laudabilis ſolicitudo ueſtræ pietatis exegit, neceſſe eſt iam locum ſubreptionibus non patēre, ſed prius de quibus eum æſtimat arguendum inſtrui nos oportet, ut poſſit de bene cognitis congrue iudicari. Ad prædictum autem epiſcopum dedi literas, quibus mihi diſplicere cognoſceret, quod ea quæ in tanta cauſa geſta fuerant etiam nimio ſilentio reticeret, cum ſtudere debuerit primitus nobis cuncta referare. Quem credimus, uel poſt admonitionem omnia ad noſtram notitiam relaturū, ut in lucem ductis his quæ adhuc uidentur occulta, id quod Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ conuenit, iudicetur. Data ad Calendas Martias, Aſterio & Protogene conſulibus.

EPISTOLA TERTIA LEONIS PAPAE AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOlitanum Epiſcopum, ubi quærit, cur Eutices ab Eccleſia fuerit ſeparatus.

Dilectiſſimo fratri Flauiano, Leo Epiſcopus.

CVM Chriſtianiſſimus & clementiſſimus Imperator ſanctæ & laudabilis fidei pro Eccleſię catholicę pace ſolicitus ad nos ſcripta tranſmiſerit, de his qui apud uos perturbationis ſtrepitum mouerant, miramur fraternitatem tuam, quicquid illud ſcandali fuerit, nobis ſilere potuiſſe, & non potius procuraſſe, ut primitus nos inſinuatio tuæ relationis inſtrueret, ne de rerum geſtarum poſſemus fide ambigere. Accepimus enim libellum Euticetis presbyteri, qui ſe queritur accuſante Euſebio epiſcopo immeritò cōmunione priuatum, maxime cum euocatum ſe affuiſſe teſtetur, nec ſui præſentiā denegaſſe, adeò ut in ipſo iudicio libellum appellationis ſuæ aſſerat obtuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptum: qua ratione compulſus ſit, ut conteſtatorios libellos in Conſtantinopolitana urbe proponeret. Quibus rebus intercedētibus, necdum agnoſcimus qua iuſtitia à cōmunione Eccleſiæ fuerit ſeparatus: ſed reſpicientes ad cauſam facti tui noſſe uolumus rationem, & uſq; ad noſtram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos qui ſacerdotum domini matura uolumus eſſe iudicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cuiuſquam partis præiudicium definire, priuſquam uniuerſa quę geſta ſunt ueraciter audiamus. Sed ideo fraternitas tua per idoneam maxime aptamq; perſonam, pleniſſima nobis relatione ſignificet, quid contra antiquam fidem nouitatis emerſerit, quid ſeueriori ſententia dignum fuerit uindicari. Nam & Eccleſiæ moderatio & religioſiſſimi principis fides multam nobis ſolicitu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem Christianæ pacis indicunt, ut amputatis dissensionibus fides catholica inuiolata seruetur, & his qui praua defendunt ab errore reuocatis, nostra autoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas afferri, cum memoratus presbyter libello proprio sit professus, paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus causis hoc maxime prouideri, ut sine strepitu concertationum, & charitas custodiatur, & ueritas defendatur frater charissime. Et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos uidet necessariò esse solicitos, quamplenissime & lucide uniuersa nobis quod ante facere debuit, indicare festinet, ne inter assertiones partium aliqua ambiguitate fallamur, & dissensio quæ in suis initijs abolenda est, nutriatur, cum in corde nostro ea obseruantia deo inspirante permaneat, ne constitutiones uenerabilium patrum diuinitus roboratę, & ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiusquā interpretatione uiolentur. Deus te custodiat incolumem frater charissime.

FLAVIANI AD LEONEM PAPAM EPISTOLA, DE FRAVDVLENTA SVBTILItate hæreticorum, & de blasphemijs Euticetis.

DOMINO beatissimo & deo amabili Leoni Flauianus in domino æternam salutem. Nulla res diaboli uenena compescit, nec continet mortiferas eius sagittas. Sursum enim atque deorsum peruolans quærit quos possit occidere, quos possit superare, quos possit deuorare. Propter quam rem uigilandū est in orationibus, atq; id operandum est, ut fatuas inquisitiones euitare possimus. Decet autem sequi patres nostros, nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum secundum sacras scripturas didicimus regulam. Depositis ergo fletibus & lachrymis, quia summo clericus degens gradu inuasus est à fero dæmone, & non potui eum liberare, nec auferre de tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere. Quomodo raptus sit, quomodo resiliuit à proposito diuino, & ad illum cucurrit qui perdere consueuit, præcepta patrum declinans & constituta eorum despiciens, iam incipio enarrare. Sunt enim quidam uestę sua oues significantes interius lupi raptores, quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte uidentur esse de numero nostro, sed nō sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quantam autem cœperint assumere impietatem, illud quod occultabatur in illis aperit, & dolus omnis fit omnibus manifestus. Inueniuntur autem infirmæ fidei homines, & qui diuinas lectiones nesciant, & secum eos in perditionem præcipitant dissipantes, & uituperantes patrum disciplinas, & reliquas sanctas scripturas ad suam perditionē, quos debemus præuidere, & à quibus multū cauere, ne in malitia sua aliqui occupati concidant de sua firmitate. Exacuerunt enim linguā suam quasi serpentes, & uenenum in labijs habent quasi aspides. De his hæc Propheta clamauit. Talis nobis Eutices emersit quondam presbyter & archimandrites, qui quasi nostræ religionis sectam sapiebat, & hanc præferebat, Nestorij autem impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nestorio militare in pugna, quæ contra Nestorium parabatur. Trecentorum autem decem & octo sanctorum patrum de fide expositionem factam, & sanctæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium, uel ad similes eius quibus omnes assenserunt, tentauit euellere, antiquam impij Valentini & Apollinaris reparans sectam, & non timuit præceptum ueri dei dicentis: Quicunq; scandalizauerit unum de pusillis istis, expedit ei ut mola asinaria alligetur collo eius, & demergatur in profundum maris. Verecundiam autem omnem abiecit, & quam gerebat infidelitatis pellem excutiens, in sancta synodo asserebat instanter dicens: Dominum Iesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cum à nobis unius substantiæ, & unius personæ cognoscitur: neq; carnem domini coëssentialem nobis subsistere tanquam ex nobis susceptam, & coadunatam dei uerbo secundum substantiam: sed dicebat uirginem quidem quæ eum genuit secundum carnem consubstantialem nobis esse, ipsum autem dominum nō susceperisse ex ea carnem consubstantialem nobis, sed corpus domini non esse quidem corpus hominis, humanum uero corpus esse quod est ex uirgine. Sed ne multa dicens longam faciam epistolam, olim quicquid egerimus, misimus ad beatitudinē uestram: quibus literis docuimus, & presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est, & iussimus eum cum monasterijs nullam habere rationem, & exclusimus eum à cōmunione nostra, ut sanctitas uestra hoc cognoscens quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine uestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui quid ille sentiret, quasi ad orthodoxum uel per literas, uel per aliquam coniunctionem loquantur.

EPISTOLA QVARTA LEONIS PAPAE AD FLAVIANVM CONSTANTInopolitanum Episcopum contra Euticetis hæresim.

ECTIS dilectionis tuæ literis quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud uos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnouimus, & quæ prius uidebantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt: quibus Eutices qui presbyterij nomine honorabilis uidebatur, multum imprudens, & nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit à propheta: Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquius quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribusq; non credere? Sed in hac insipientia capiuntur, qui cum ad cognoscendam ueritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas uoces, nō ad apostolicas literas, nec ad euangelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia ueritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris noui & ueteris testamenti paginis acquisiuit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit? & quod per totum mundum omnium regenerandorum uoce depromitur, istius adhuc senis cor de non capitur. Nesciens igitur quid deberet de uerbi dei incarnatione sentire, nec uolens ad promerendum intelligentiæ lumen in sanctarum scripturarum latitudine laborare, illam saltem cōmunem & indiscretam confessionem solicito apprehendisset auditu, qua fideliū uniuersitas profitetur credere se in deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christū filium eius unicum dominū nostrū, qui natus est de spiritu sancto ex Maria uirgine. Quibus tribus sententijs omnium ferè hæreticorū machinæ destruuntur. Cum enim deus & omnipotens creditur, & pater sempiternus, eidē filius demonstratur in nullo à patre differēs, quia de deo deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus, non posterior tempore, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

inferior potestate, non dissimilis gloria, non diuisus essentia. Idem uero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus natus est de spiritu sancto & Maria uirgine. Quæ natiuitas temporalis illi natiuitati diuinæ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini qui erat deceptus, impendit, ut mortem uinceret, & diabolum qui mortis habebat imperium, sua uirtute destrueret. Non enim superare possemus peccati & mortis autorem, nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de spiritu sancto intra uterum matris uirginis, quæ ita illum salua uirginitate ædidit, quemadmodum salua uirginitate concepit. Sed si de hac Christianæ fidei fonte purissimo syncerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ ueritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat, doctrinæ se Euangelicæ subdidisset, & dicenti Matthæo: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: apostolicę quoq; prędicationis expetisset instructum, & legens in epistola ad Romanos: Paulus seruus Iesu Christi uocatus Apostolus, segregatus in Euangelium dei, quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem: ad propheticas paginas piam solicitudinem contulisset, & inuenisset promissionem dei ad Abraham, dicentis: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Sed ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem: Abrahæ dictę sunt promissiones, & semini eius. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: & semini tuo, quod est Christus. Esaiæ quoq; prædicationem interiore apprehendisset auditu, dicentis: Ecce uirgo in utero concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus. Eiusdemq; prophetæ fideliter uerba legisset: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius potestas super humerum eius, & uocabitur nomen eius magni consilij angelus, admirabilis, consiliarius, deus fortis, princeps pacis, pater futuri seculi. Nec frustratorie loquens, ita uerbum diceret carnem factum, ut ędítus utero uirginis Christus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis ueritatem. An fortè ideo putauit dominum nostrum Iesum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam angelus ait: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei: ut quia conceptus uirginis diuini fuit operis, nō de natura concipientis fieret caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per nouitatem creationis proprietas remota sit generis, fœcunditatem enim uirgini spiritus sanctus dedit, ueritas autem corporis sumpta de corpore est, & ædificante sibi sapientia domum uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, hoc est, in ea carne quam sumpsit ex homine, & quam spiritu uitæ rationalis animauit. Salua igitur proprietate utriusq; naturæ & in unam coëunte personam, susceptа est à maiestate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remedijs congruebat, unus atque idem mediator dei & hominū homo Christus Iesus & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero. In integra ergo ueri hominis perfectaq; natura uerus natus est deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuere in Saluatore uestigium. Nec quia communionem humanarum subijt infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati, humana augens, diuina non minuens. Quia exinanitio illa qua se inuisibilis uisibilem præbuit, & creator ac dominus omnium rerum unus uoluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma dei fecit & hominem, idem in forma serui factus est homo. Tenet ergo sine defectu proprietatē suam utraq; natura, & sicut formam serui dei forma non adimit, ita forma dei serui formam non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus hominē sua fraude deceptum diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subijsse sententiā, seq; in malis suis quoddā de præuaricatoris consortio inuenisse solatiū, deum quoq; iustitiæ exigente ratione erga hominē quem in tanto honore condiderat propriā mutasse sententiā, opus fuit secreti dispensatione cōsilij, ut incōmutabilis deus (cuius uoluntas non potest sua benignitate priuari) primā erga nos pietatis suæ dispensationē sacramento occultiore cōpleret, & homo diabolicæ iniquitatis uersutia actus, in culpa contra dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi infima filius dei de cœlesti sede descendēs, & à paterna gloria nō recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, uisibilis factus est in nostris. Incōprehensibilis uoluit cōprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis dominus seruilē formā obumbrata maiestatis suæ immensitate suscepit. Impassibilis deus nō dedignatus est esse homo passibilis, & immortalis mortis legibus subiacere. Noua autē natiuitate generatus, quia inuiolata uirginitas concupiscentiā nesciuit, carnis materiā ministrauit. Assumpta est igitē de matre domini natura nō culpa, nec in domino Iesu Christo ex utero uirginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo nostræ est naturę dissimilis: qui enim uerus est deus, idē uerus est homo, & nullū est in hac unitate mendaciū, dum inuicē sunt, & humilitas hominis, & altitudo deitatis. Sicut enim deus nō mutatur miseratione, ita homo nō consumitur dignitate. Egit enim utraq; forma cum alterius cōmunione quod propriū est, uerbo scilicet operante quod uerbi est, & quod carnis est carne exequente. Vnū horū choruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs: & sicut uerbū ab æqualitate paternæ gloriæ nō recessit, ita caro naturā nostri generis nō reliquit. Vnus enim idemq; est, quod sæpe dicendū est, uere dei filius, & uere hominis filius. Deus per id quod in principio erat uerbū, & uerbum erat apud deū, & deus erat uerbū: homo per id quod uerbū caro factum est, & habitauit in nobis. Deus per id quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: homo per id quod factus est ex muliere, factus est sub lege. Natiuitas carnis manifestatio est humanæ naturę. Partus uirginis diuinæ est uirtutis indicium. Infantia paruuli ostendit humilitate cunarū. Magnitudo altissimi declaratur uocibus angelorū. Similis est rudimentis hominū, quem Herodes impius molitur occidere: sed dominus est omniū, quē magi gaudent suppliciter adorare. Iam cum ad præcursoris sui Ioannis baptismū ueniret, nec latēret quod carnis uelamine tegeretur, uox patris de cœlo intonans, dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui. Quem itaq; sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atq; dormire euidēter humanū est. Sed & de quinq; panibus, quinq; millia hominū satiare, & largiri Samaritanæ aquam uiuam cuius haustus bibenti præstat ne ultra iam sitiat, & supra dorsum maris plantis nō subsidentibus ambulare, & elationes fluctuū increpata tempestate consternere, sine ambiguitate diuinum est. Sicut ergo (ut multa præteream) non eiusdem naturę est flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ ad uocis imperium excitare rediuiuum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conuersa omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire: ita nō eiusdem naturæ est dicere, Ego & pater unum sumus: & dicere, pater maior me est. Quamuis enim in domino Iesu Christo dei & hominis una persona sit, aliud tamē est unde contumelia, aliud unde cōmunis est gloria. De nostro enim illi est minor

Universidad de Deusto
Biblioteca

patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas. Propter hanc unitatem personæ in utraq; natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum filius dei carnem de ea uirgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus filius dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in diuinitate ipsa qua unigenitus consempiternus & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanę sit infirmitate perpessus. Vnde unigenitum filium dei crucifixum & sepultum omnes etiam in symbolo confitemur, secundũ illud Apostoli: Si enim cognouissent, nunquam dominũ maiestatis crucifixissent. Cum autem ipse dominus noster atq; saluator fidem discipulorũ suorum suis interrogationibus erudiret, Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Cumq; illi diuersas aliorum opiniones retexuissent, uos autem, ait, quem me esse dicitis? Vbi beatus Petrus diuinitus inspiratus, & confessione sua omnibus gentibus profuturus, Tu es, inquit, Christus filius dei uiui. Nec immeritò beatus est pronunciatus à domino, & à principali petra soliditatem & uirtutis traxit & nominis, qui per reuelationem patris, eundem & filium dei est confessus & Christũ, quia unum horum sine alio receptum nõ proderat ad salutem. Sed ęqualis erat periculi, dominũ Iesum Christũ aut deum tantummodo sine homine, aut sine deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem uero domini, quę utiq; ueri hominis fuit, quia alter non est resuscitatus, quàm qui fuerat crucifixus, & mortuus, quid aliud quadraginta dierũ mora gestũ est, quàm ut fidei nostræ integritas ab omni caligine mũdaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, & cohabitans atq; conuescens, & pertractari se diligenti curioso q; contactu ab eis quos dubietas perstringebat admittẽs, ideo clausis ad discipulos ianuis introibat, & flatu suo dabat spiritum sanctũ, & donato intelligentiæ lumine sanctarum scripturarũ occulta pandebat. Et rursus, idem uulnus lateris, fixuras clauorũ, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat, dicens: Videte manus meas & pedes, quia ego sum, palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me uidetis habere, ut cognosceretur in eo proprietas diuinæ humanę q; naturę in diuidua permanere, & ita sciremus uerbum non hoc esse quod carnem, ut unum dei filium & uerbũ confiteremur & carnem. Quo fidei sacramento Eutices iste nimium æstimandus est uacuus, qui naturam nostram in unigenito dei nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriã resurrectionis agnouit. Nec sententiã beati Pauli, & Euangelistę Ioannis expauit dicentis: Omnis spiritus qui cõfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est, & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo nõ est, & hic est Antichristus. Quid autem est soluere Iesum, nisi humanã ab eo separare naturam, & sacramentũ fidei per quod saluati sumus, imprudentissimis euacuare figmẽtis? Caligans uero circa naturam corporis Christi, necesse est ut etiam in passione eius eadem obcæcatione desipiat. Nam si crucem domini non putat falsam, & susceptum pro mundi salute supplicĩ uerum fuisse non dubitat, cuius credit, agnoscat & carnem. Nec diffiteatur nostri corporis hominẽ, quem cognoscit fuisse passibilem: quoniam negatio uerę carnis, negatio est etiam corporeæ passionis. Si enim Christianã susceptit fidem, & à prædicatione Euangelij suum nõ auertit auditum, uideat quę natura transfixa clauis pependerit in crucis ligno, & aperto per militis lanceã latere crucifixi, intelligat unde sanguis & aqua effluxerint, ut Ecclesia dei lauacro rigaretur & poculo. Audiat beatum Petrum apostolũ prædicantem, quod sanctificatio spiritus per aspersionẽ fiat sanguinis Christi. Nec transitorie legat eiusdem Apostoli uerba dicentis: Scientes quod non corruptibilibus argento & auro redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati Iesu Christi. Beati quoq; Ioannis Apostoli testimonio nõ resistat, dicentis: Sed sanguis Iesu filij dei emundat nos ab omni peccato. Et iterum: Hęc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Et,

Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quoniã Iesus est filius dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et, spiritus est qui testificatur, quoniã Christus est ueritas. Quia tres sunt qui testimoniũ dant, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Spiritus utiq; sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis, quæ tria unũ sunt, & indiuidua manent, nihilq; eorum à sui connexione seiungitur: quia catholica ecclesia hac fide uiuit ac proficit, ut in Christo Iesu nec sine uera diuinitate humanitas, nec sine uera credatur humanitate diuinitas. Cum autẽ ad interlocutionem examinis uestri Eutices responderit, dicens: Cõfiteor ex duabus naturis fuisse dominum nostrum ante adunationem, post adunationẽ uero unam naturam confiteor: miror tam absurdam tamq; peruersam eius professionẽ nulla iudicantiũ increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisq; blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum, cum tam impie duarũ naturarũ ante incarnationẽ unigenitus dei filius fuisse dicatur quàm nephariè: postquam uerbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutices ideo uel recte, uel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla nostra est sententia confutatus. Solicitudinis tuę diligentiam cõmonemus frater charissime, ut si per inspirationem misericordiæ dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui macula per te purgetur. Quia quidẽ, sicut gestorum ordo patefecit, bene cœperat à sua persuasione discedere, cũ ex uestra sententia coarctatus profiteretur se dicere quod ante non dixerat, & ei fidei acquiescere cuius prius fuisset alienus. Sed cũ anathematizando impio dogmati uoluisset præbere cõsensum, intellexisset eum fraternitas uestra in sua manere perfidia, dignũq; esse qui iudicium condemnationis exciperet: de quo si fideliter atq; utiliter dolet, & quàm recte mota sit episcopalis autoritas, uel se reum cognoscat, uel si ad satisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo male sunt sensa uiua uoce, & in præsenti subscriptione damnauerit, non erit reprehensibilis erga correptum quantacunq; miseratio. Dominus noster uerus & bonus pastor qui animã suam posuit pro ouibus suis, & qui uenit animas hominũ saluare, non perdere, imitatores nos uult esse suæ pietatis, ut peccantes quidem iustitia coërceat, conuersos autem misericordia nõ repellat. Tunc enim demũ fructuosissime fides uera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem uero causam pie ac fideliter exequendam fratres nostros Iulianum Episcopum & Renatum presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium diaconũ uice nostra direximus: quibus Dulcitium notarium nostrum, cuius fides nobis est sæpe probata, sociauimus, confidentes affuturum diuinitatis auxilium, ut is qui errauerat damnata sensus sui prauitate saluetur. Data Idus Iunij, Asterio & Protogene Consulibus, Era. CCCCLXXXVI.

EPISTOLA QVINTA LEONIS PAPAE AD IVLIANVM EPISCOPVM COENSEM.

Dilectissimo fratri Iuliano Episcopo, Leo &c.



ICET per nostros quos ab urbe pro fidei causa direximus, plenissimas ad fratrem Flauianum literas miserimus, contra nimiæ impietatis errorem, tamen quia per filium nostrum Basilium diaconem scripta tuę dilectionis accepimus, quę multum nobis catholici sensus feruore placuerũt, etiam hanc paginam quæ illis epistolis cõsonaret adiecimus, ut unanimiter atq; constanter his qui Euangeliũ Christi corrumpere cupiunt resistã-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis, quoniam ſancti ſpiritus in nobis atq; uobis una eſt eruditio eademq; doctrina, quam quicunq; non recipit, non eſt membrum corporis Chriſti, nec poteſt eo capite gloriari in quo naturã ſuam aſſerit non haberi. Quid autem prodeſt imprudentiſſimo ſeni Neſtorianę hæreſeos nomine eorum lacerare opinionẽ, quorũ piiſſimam cõuellere nõ poteſt fidem? cum quantum Neſtorius à ueritate diſceſſit, deitatẽ uerbi ab aſſumpti hominis ſubſtantia ſeparando, tantum à recto tramite etiã iſte deſciſcat qui unigenitum dei filium ſic de utero beatæ uirginis prędicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciẽ geſſerit, ſed humanæ carnis ueritas uerbo unita non fuerit. De quo prodigio falſitatis quis non uideat quæ opinionum monſtra naſcantur? Negator enim mediatoris dei & hominũ hominis Ieſu Chriſti, neceſſe eſt ut multis impietatibus impleatur, eumq; Apollinaris ſibi uendicet, aut Valentinianus uſurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Chriſto humanæ carnis credidit ueritatem. Qua utiq; non recepta, non ſolum quod ſecundum carnem atq; animã rationalem qui erat in forma dei manens, idem in forma ſerui homo natus denegatur, ſed etiam quod crucifixus eſt, & mortuus, ac ſepultus, quodq; die tertia ſurrexit, & quod ad dexterã patris ad iudicandos uiuos & mortuos in eo corpore ſit uenturus, in quo eſt iudicatus, abnuitur. Quia hæc redemptionis noſtræ ſacramenta uacuantur, ſi Chriſtus ueram uerihominis totamq; naturã ſuſcepiſſe non creditur. An quia manifeſta erant ſigna diuina, falſa dicentur documenta corporea, & teſtimonia utriuſq; naturæ ualebunt, ut creatura ſaluetur? Quod deitatis eſt, caro nõ minuit: quod carnis eſt, deitas non peremit. Idem enim & ſempiternus ex patre, & temporalis ex matre, in ſua uirtute inuiolabilis, in noſtra infirmitate paſſibilis. In deitate trinitatis cum patre & cum ſpiritu ſancto unius eiuſdemq; naturæ. In ſuſceptione autẽ hominis nõ unius ſubſtantiæ, ſed unius eiuſdemq; perſonæ, ut idem eſſet diues in paupertate, omnipotens in abiectione, impaſſibilis in ſupplicio, in morte immortalis. Nec enim uerbum aut in carnem, aut in animã aliqua ſui parte cõuerſum eſt, cum ſimplex & incõmutabilis natura deitatis tota ſit ſemper in ſua eſſentia, nec damnum ſui recipiens, nec augmentũ, & ſic aſſumptã naturam beatificans ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconueniens aut impoſſibile uideatur, ut uidelicet & caro & anima unus Ieſus Chriſtus, & unus dei hominiſq; ſit filius, ſi caro & anima quę diſſimilium naturarum ſunt, unam faciunt etiam ſine uerbi incarnatione perſonam? cum multo facilius ſit, ut hanc unitatẽ ſui atq; hominis deitatis pręſtet poteſtas, quàm ut eam in ſubſtantijs ſuis obtineat ſolius humanitatis infirmitas. Nec uerbum igitur in carnem, nec in uerbũ caro mutata eſt, ſed utraq; in uno manent, & unus in utroq; eſt, non diuerſitate diuiſus, nõ permixtione confuſus, nec alter ex patre, alter ex matre, ſed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre in fine ſeculorũ, ut eſſet mediator dei & hominũ, homo Ieſus Chriſtus, in quo habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter, quia aſſumpti nõ aſſumentis prouectio eſt, quod deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quoniã dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris. In eo quod Eutices in epiſcopali iudicio auſus eſt dicere, ante incarnationẽ duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt incarnationẽ autem unam, neceſſariũ fuerat ut ad reddendũ rationẽ profeſſionis ſuæ crebris atq; ſolicitis iudicum interrogationibus urgeretur, ne tanquã inane aliquid præterflueret, quod nõ niſi de hauſtu uenenatorũ dogmatum apparebat effuſum. Arbitror enim talia loquentem hoc habere perſuaſum, quod anima quam ſaluator aſſumpſit prius in cœlis ſit commorata quàm de uirgine naſceretur, eamq; ſibi uerbum in utero copularet. Sed hoc catholicæ mentes aureſq; non tolerant, quia nihil ſecum dominus de cœlo ueniens noſtræ conditionis exhibuit.

Nec animam enim quæ anterior extitiſſet, nec carnem quæ non materni corporis eſſet accepit. Natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata pòſt aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptione crearetur. Vnde quod in Origene meritò damnatum eſt, qui animarum antequam corporibus inſererentur, non ſolum uitas, ſed & diuerſas fuiſſe aſſerit actiones, neceſſe eſt ut etiam in iſto, niſi maluerit ſententiam abdicare, plectatur. Natiuitas enim domini ſecundum carnẽ, quamuis habeat quædam propria quibus humanæ conditionis initia tranſcendat, ſiue quod ſolus ex ſancto ſpiritu ab inuiolata uirgine ſine concupiſcentia eſt cõceptus & natus, ſiue quod ita uiſceribus matris eſt æditus, ut & fœcunditas pareret, & uirginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat eius quàm noſtra, nec alia illi quàm cæteris hominibus anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret non diuerſitate generis, ſed ſublimitate uirtutis. Nihil enim carnis ſuæ habebat aduerſum: nec diſcordia deſideriorum gignebat compugnantiam uoluntatum. Senſus corporei uigebant ſine lege peccati, & ueritas affectionum ſub moderamine deitatis & mentis. Nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs. Verus homo uero unitus eſt deo, nec ſecundum exiſtentem prius animam deductus è cœlo, nec ſecundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in deo uerbi dei perſonam, & tenens communem nobiſcum in corpore animaq; naturam. Non enim eſſet dei hominumq; mediator, niſi deus idemq; homo in utroq; unus eſſet & uerus. Incitat equidem nos ad latitudinẽ diſſerendi materiæ magnitudo. Sed apud eruditionem tuam non eſt copia laborandum, præſertim iam cum per noſtros ad fratrem Flauianum ſufficientes literas miſerimus ad confirmandos animos non ſolum ſacerdotum, ſed etiam laicorũ. Præſtabit ut credimus miſericordia dei, ut abſq; cuiuſq; animæ detrimento poſſint aduerſum diaboli dolos & ſana defendi, & uulnerata curari. Data Idus Iunij, Aſterio & Protogene conſulibus.

EPISTOLA SEXTA LEONIS PAPAE.

Cæſari Theodoſio religioſiſſimo & pijſſimo Auguſto, Leo Papa Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ.

QVANTVM rebus humanis cõſulere prouidentia diuina dignetur, ſolicitudo clementię ueſtrę ſpiritu dei incitata demonſtrat, quæ in catholica eccleſia nihil impacatum, nihil uult eſſe diuerſum, quoniam fides quæ non niſi una eſt, in nullo poteſt eſſe ſui diſſimilis. Vnde licet Eutices, quantum geſtorum epiſcopalium ordo patefecit, imperite atq; imprudẽter errare detectus ſit, debueritq; à ſua meritò reprobabili perſuaſione diſcedere, quoniã tamen pietas ueſtra quæ in honorem dei religioſiſſima catholicã diligit ueritatem, apud Epheſum conſtituit ſynodale concilium, ut imperitus in quo nimis caligat, incaleſcat, fratres meos Iulianum epiſcopum, & Renatum presbyterum, & filium meum Hilarium diaconum miſi, qui ad uicem præſentiæ meæ pro negotij qualitate ſufficerent, & qui eum ſecum deferrent iuſtitiæ & benignitatis affectum, ut quia dubitari nõ poteſt quæ ſit chriſtianæ confeſſionis integritas, & totius erroris prauitas damnaretur, & reſipiſcens qui deuiauerat, ſi pro uenia ſupplicaret, ſacerdotalis ei beneuolentia ſubueniret, cum in libello ſuo quem ad nos miſit, hoc ſaltem ſibi ad promerendam ueniam reſeruauit, ut correcturum ſe eſſe promitteret quicquid noſtra ſententia de his quæ male ſenſerat improbaſſet. Quid autem catholica eccleſia uniuerſaliter de ſacramento dominicę incarnationis credat & doceat, ad fratrem & coẽpiſcopũ noſtrum Flauianum plenius continent ſcripta quæ miſi. Data Idus Iunij, Aſterio & Protogene Conſ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA VII. LEONIS PAPAE AD PVLCHERRIMAM AVGVSTAM, IN QVA Nestorij uesana doctrina de Christo filio dei taxatur, & quare dominus permittat hæreses in ecclesia pullulare.

QVANTVM præsidij dominus ecclesiæ suæ in uestra clementia præpararit, multis sæpe probauimus documentis: & quicquid nostris tẽporibus contra impugnatores catholicæ ueritatis industria sacerdotalis obtinet, ad uestram maxime gloriã redundabit, dum sicut à spiritu sancto didicistis, illi per omnia potestatem uestram subijcitis, cuius munere & protectione regnatis. Vnde quia contra integritatem fidei christianæ dissensionem quandam in Constantinopolitana ecclesia Eutice autore generatam, fratris & coepiscopi nostri Flauiani relatione cognoui, ut totius causæ species synodaliũ gestorum textus ostenderit, dignum gloriæ uestræ est, ut error qui (ut arbitror) de imperitia magis quàm de uersutia natus est, auferatur priusquã ullas sibi uires de consensu imprudentium, & pertinacia prauitatis acquirat: quia etiam ignorantia graues nonnunquam incidit lapsus, & plerunq; in diaboli ruit foueas incauta simplicitas, per quam in supradicto subrepsisse intelligo spiritum falsitatis, ut dum æstimat se religiosius de filij dei maiestate sentire, si ei naturæ nostræ ueritatem inesse non dicat, totum illud quod uerbum caro factũ est, unius atq; eiusdem putet esse substantiæ. Sed quantum Nestorius à ueritate excidit, dum Christum qui de matre solum hominem asserit natum: tantum etiam hic à catholico tramite deuiat, qui de eadem uirgine non nostram credit æditam esse substantiam, nolens utiq; eam solius deitatis intelligi, ut quod in forma serui gessit, & quod nostri similis fuit atq; conformis, quædam nostrę naturæ fuerit imago, non ueritas. Nihil autem prodest dominum nostrum beatæ Mariæ uirginis filium uerum perfectumq; hominẽ dicere, si non illius generis homo creditur, cuius in Euangelio prędicatur. Dicit enim Matthæus: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Sed ita humanæ originis ordinem sequitur, ut generationum lineas usq; ad Ioseph, cui mater domini erat desponsata, deducat. Lucas uero retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem redijt, ut Adam primũ, & Adam nouissimum, eiusdem ostendat esse naturæ. Potuerat quippe omnipotentiæ filij dei sic ad docẽdos homines apparere, quomodo & patriarchis & prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cum uel officia hospitalitatis habuit, uel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines huius hominis erant indicia, cuius ueritatem ex præcedentium patrum stirpe sumendam significationes mysticę nunciabant. Sed ideo sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum mille implebant figuræ, quia nondum uenerat spiritus sanctus in uirginem, nec uirtus altissimi obumbrauerat ei, ut intra intemerata uiscera ædificante sibi sapientia domum, uerbum caro fieret, & forma dei, ac forma serui in unam conueniente personam creator temporum nasceretur in tempore, & per quam facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim nouus homo factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet uetustatem, & consubstantialis patri, consubstantialis esse dignaretur & matri, naturam sibi nostram solus à peccato liber uniret, sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas, nec aliter possideremus triumphantis uictoriã, si extra nostram esset confecta naturam. De hac autem participatione mirabile sacramentum nobis regenerationis indulsit, ut per ipsum spiritum per quem Christus cõceptus est & natus

& natus, etiã nos qui per concupiscentiã carnis sumus geniti, spirituali iterum origine nasceremur. Propter quod ab Euangelista de credentibus dicitur: Qui nõ ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Cuius ineffabilis gratiæ particeps non est, nec potest filiorum dei adoptionẽ consequi, quisquis à fide sua hoc quod nos principaliter saluat, excludit. Vnde multum doleo multumq; contristor, quod hic qui ante de humilitatis proposito laudabilis uidebatur, contra unicam spem nostram patrumq; nostrorum, uana nimis & stolida audet astruere: qui dum uiderit insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita ecclesiæ præsules commouere, ut damnationis sententiam mereretur accipere, quam utiq; si in sua sententia uoluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim apostolicæ moderatio hanc temperantiam obseruat, ut seuerius agat cum obduratis, & ueniam cupiat præstare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia est de pietatis tuæ synceritissima fide, obsecro gloriam clementiæ tuæ, ut sicut sancto studio tuo catholica prædicatio semper adiuta est, ita nunc quoq; eius faueat libertati, quam fortè ideo permisit dominus hac tentatione pulsari, ut quales intra ecclesiam lateant, possit agnosci: quorum plane non est negligenda curatio, ut nec episcoporum nos contristet amissio. Augustissimus uero & christianissimus Imperator cupiens quàm celerrime turbata componi, episcopali concilio quod Ephesi uult habere, nimium breue & angustum tempus indixit, diem Calendarum præstituendo conuentui, cum à tertio die Iduum Maiarum, quo serenitatis eius scripta suscepimus, maior pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio sacerdotũ qui negotio sufficiant, ualeat ordinari. Nam illud quod pietas eius etiam me credidit debere interesse concilio, etiam si secundũ aliquod præcedens exigitur exemplum, nunc tamẽ nequaquam possit impleri, quia rerum præsentium nimis incerta conditio tantæ urbis populis me abesse non sineret: & in desperationem quandam animi tumultuantiũ mitterentur, si per occasionem causæ ecclesiasticæ uiderer patriam, & apostolicã sedem uelle deserere. Quia igitur ad publicam hanc utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut salua clementiæ uestræ uenia, charitati meæ, & precibus ciuium non negarem, in his fratribus meis quos uice mea misi, me quoq; adesse cum cęteris æstimate, qui secundum causam, satis mihi ex gestorum serie, & ipsius de quo agitur professione patefactam, euidenter & plene quid seruandum esset, ostendi. Non enim de portiuncula fidei nostræ quæ nimis lucide claresçat quæritur, sed hoc stultissima resultatio audet incessere, quod dominus noster in ecclesia neminem sexus utriusq; uoluit ignorare. Siquidem ipsius catholici symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim apostolorum totidem est signata sententijs, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorũ opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cuius symboli plenitudinem, si Eutices puro & simplici uoluisset corde concipere, in nullo à decretis Niceni concilij deuiaret: & hoc à sanctis patribus intelligeret constitutum, ut contra apostolicam fidem quæ non nisi una est, nullum se ingenium, nullum eleuaret eloquium. Sed ideo pro uestræ pietatis consuetudine laborare dignemini, ut quod contra singulare sacramentum salutis humanæ blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur: ac si ipse qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita ut per liberalem satisfactionem proprium damnet errorem, cõmunio ei sui ordinis reformetur. Quod etiam sancto Flauiano episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat, ut charitas non negetur, si error aboletur.

Universidad de Deusto
S. C.
Biblioteca

EPISTOLA VIII▸ LEONIS PAPAE AD DIOSCVRVM ECCLESIAE ALEXANDRINAE Episcopum, inaugurationis modum ministrorum ecclesiæ præscribens, quæ fieri debet frequente populo. Inuenies etiam in ea Epistola unde tot Missæ priuatæ irrepserint.

QVANTVM dilectioni tuæ dominicæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionẽ deesse uideatur, cum tibi specialis gratiæ merita, ut probauimus, suffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligas proficisci. Vnum enim nos sentire oportet & agere, ut sicut legimus, in nobis quoq; unum esse cor, & anima comprobetur. Cum enim beatissimus Petrus apostolicum à domino acceperit principatum, & Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nephas est credere, quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta formauerit, cum de eodem fonte gratiæ unus spiritus fuerit, & discipuli, & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia doctoris, alia discipuli instituta uideantur. Quod ergo à patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à uobis uolumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis uel leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eius noctis in prima sabbati quæ lucescit exordia delegantur, in quibus his qui consecrandi sunt ieiunis, & à ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso dominico die continuato sabbati ieiunio celebretur. A quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in pascha domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter autoritatem consuetudinis quam ex apostolica nouimus uenire doctrina, etiam sacra scriptura manifestat, quod cum Apostolum Paulum & Barnabam ex præcepto spiritus sancti Euangelium mitterent ad prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter uideatur impletum. Et ideo pie & laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per ecclesias, quibus dominus præesse te uoluit, etiam ipse seruaueris, ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictiones, nisi in die resurrectionis dominicæ tribuantur, cui à uespera sabbati initium constat asscribi, & tantis diuinarum dispositionum mysterijs consecratum, ut quicquid est à domino insignius constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & uita accepit initium. In hac Apostoli à domino prædicandi in omnibus gentibus Euangelij tubam sumunt, & ferendum uniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, sicut beatus Iohannes Euangelista testatur, congregatis in unum discipulis ianuis clausis, cum ad eos dominus introisset, insufflauit & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta erunt. In hac denique promissus à domino Apostolis spiritus

spiritus sanctus aduenit, ut cœlesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum. Vt autem omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque uolumus custodiri, ut cum solennior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo cõuenit quam recipi basilica simul una non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc deuotionẽ qui primi aduenerint, uideantur hi qui postmodum confluxerint non recepti, cum plenum pietatis atq; rationis sit, ut quotiens basilicam in qua agitur præsentia nouæ plebis impleuerit, totiens sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi sua deuotione priuetur, si unius tantum missæ more seruato sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint. Studiose ergo dilectionem tuam & familiariter ammonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoq; cura nõ negligat, ut omnia nobis ex fide & actibus congruant. Propter quod remeanti filio nostro Possidonio presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus atq; ordinationibus frequenter interfuit, & totiens admissus quid in omnibus apostolicę autoritatis teneremus, agnouit.

Data Calendis Iulijs.

EPISTOLA IX▸ LEONIS PAPAE AD EPHESINAM SYNODVM SECVNDAM, IN qua prouocat episcopos, Euticetis blasphemias condemnare.

Leo Episcopus sanctæ synodo quæ apud Ephesum conuenit.

RELIGIOSA excellentissimi principis fides, sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum autoritatem apostolicæ sedis adhiberet, tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari quid in eius confessione laudatum sit, quando dicente domino, Quem me esse dicunt homines filium hominis? uarias quidem diuersorum opiniones discipuli memorarunt. Sed cum ab eis quid ipsi crederent quæreretur, princeps apostolorum plenitudinem fidei breui sermone complexus, Tu es, inquit, Christus filius dei uiui: hoc est, tu qui es uere filius hominis, idem uere es filius dei uiui. Tu, inquam, uerus in deitate, uerus in carne, & salua geminæ proprietate naturæ, utrunq; unus. Quod si Eutices intelligenter, ac uiuaciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deuiaret, propter quam ei respondetur à domino, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiã meam, & portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Nimis autem à compage huius ædificationis alienus est, qui beati Petri confessionẽ non capit, & Christi Euangelio contradicit, ostendens se nullum unquam studiũ cognoscendæ ueritatis habuisse, & superfluò honorabilem uisum qui nulla autoritate cordis ornauit caniciem senectutis. Verum quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam talium non est negligenda cura, pie ac religiose christianissimus Imperator habere uoluit episcopale concilium, ut pleniore iudicio omnis possit error aboleri, fratres nostros, Iulianum Episcopum, Renatum presbyterũ, & filium nostrum Hilarium diaconem, & cum his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei missi, qui uice mea sancto conuentui uestræ fraternitatis interssint, & communi uobiscum sententia, quæ domino sint placitura constituant: hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius qui imprudẽter errauit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam ueritatis amplectens sensus hæreticos quibus imperitia eius fuerat irretita, plene aperteq; propria uoce, & subscriptione damnauerit: quod etiam in libello quem ad nos miserat est professus, spondens per omnia nostram secuturum se esse sententiam. Acceptis autem fratris & coëpiscopi nostri Flauiani literis, plenius ad eum de his quæ ad nos uidetur retulisse rescripsimus, ut abolito hoc qui natus uidebatur errore, in laudem & gloriam dei per totum mundum una sit fides, & una eademq; confessio, & in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Data Idus Iunij, Asterio & Protogene uiris clarissimis consulibus, æra qua suprà.

EPISTOLA XV LEONIS PAPAE AD MONITORIA, MISSA EX ROMA, CLERO ET plebi Constantinopolitanę, quæ non solum constantiã ueræ fidei prædicat, sed etiam sacerdotalem inscitiã non immeritò taxat. Addit etiam mysticam distributionem corporis & sanguinis Christi. Similiter multa alia & utilia & necessaria scitu Euãgelij ministro, cum ratio fidei coram aduersarijs reddenda est, proponuntur.



ICET de his quæ in concilio sacerdotum apud Ephesum gesta memorantur, multus nos mœror afficiat, eo quod sicut consonans fama dispersit, & ipso rerum monstratur effectu, nec iustitiæ illic moderatio, nec fidei est seruata religio, uestræ tamen deuotionis pietate gaudemus, & in sanctæ plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium uestrorũ probamus affectum, quia & uiuit ac permanet apud bonos filios optimi patris iusta dilectio, & catholicæ doctrinæ eruditionem in nulla patimini parte corrumpi. Non dubie enim, sicut uobis spiritus sanctus reserauit, Manichæorum confœderantur errori, qui ab unigenito dei filio, uerum & nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnesq; eius corporeas actiones simulatorij uolunt fuisse phantasmatis. Cui impietati ne in aliquo pręberetis assensum, iam per filium meum Epiphanium, & Dionysium Romanæ ecclesiæ notarios, cohortatoria ad dilectionem uestram scripta direximus: quibus confirmationem quam expetistis ultro præbuimus, ut nos paternam uobis curam nõ dubitetis impendere, ac modis omnibus laborare, ut auxiliante misericordia dei, omnia quæ ab imperitis & ab insipientibus excitata sunt scandala destruantur, nec quisquam sibi audeat de sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi sensus impietate conuinci. Nam si uix in laicis tolerabilis uidetur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt, nec excusatione est digna, nec uenia? maxime cũ etiã defendere peruersa-

uersarum opinionum commenta præsumunt, & in consensum suum, aut errore, aut gratia insanabiles quosque traducunt? Separentur huiusmodi à sanctis membris corporis Christi, neq; sibi catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi. Extra enim donum diuinæ gratiæ, & extra sacramentum habendi sunt salutis humanæ, qui negantes naturam nostræ carnis in Christo, & Euangelio contradicunt, & symbolo reluctantur, nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcæcatione deduci, ut nec in passionis dominicæ, nec in resurrectionis ueritate consistant, quia utrunq; in saluatore uacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuere, ut nec audita discerent, uel lectione cognoscerent, quod in ecclesia dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis ueritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, ut accipientes uirtutẽ cœlestis cibi, in carnem ipsius qui caro nostra factus est, transeamus. Vnde & ad confirmationem charitatis uestræ quæ laudabili fide inimicis ueritatis obnititur, apte atq; opportune sermone affectuq; apostoli utar, & dicam, propterea & ego audiens fidem uestram quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro uobis, memoriam uestri faciens in orationibus meis, ut deus domini nostri pater gloriæ det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis uestri, ut sciatis quæ est spes uocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis eius, & quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nobis qui credidimus secundum operationem potentiæ uirtutis eius quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur, nõ solũ in hoc seculo, sed in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet. Dicant hi aduersarij ueritatis, quando omnipotens pater, uel secundũ quam naturam filium suum super uniuersa prouexerit? uel cui substantiæ cuncta subiecerit? deitas enim uerbi par in omnibus, & consubstantialis est patri, & sempiternæ atque intemporaliter una eademq; potentia est genitoris & geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, superest omnibus quæ creauit, nec unquam creatori suo non fuerunt subiecta quæ condidit. Cui proprium & sempiternum est, nec aliunde quàm de patre, nec aliud esse quàm pater est. Huic si addita est potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente qui creuit, nec habebat diuitias eius naturæ cuius indiguit largitate. Sed talia sentientem, in societatem suam Arrius rapit, cuius peruersitati multum hæc suffragatur impietas, negans uerbo dei humanam ineſſe naturam, ut dum humilitatem in dei maiestate fastidit, aut falsatam in Christo asserat imaginem corporis, aut omnes actiones eius passionesq; corporeas deitatis potius fuisse quàm carnis. Quodlibet autem defendere audeat, prorsus insanum est, quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, ut aliquid passa sit deitas, aut in ullo mentita sit ueritas. Impassibilis igitur dei filius deus, cui cum patre & spiritu sancto una incommutabilis trinitatis essentia, hoc quod est esse perpetuum est, in ea plenitudine temporis quæ sempiterno consilio fuerat prędestituta, & prophetica dictorũ atq; gestorũ significatione promissa, factus filius hominis, non suę conuersione substantię, sed nostrę assumptione naturę uenit quęrere & saluare quod perierat. Venit autem nõ locali accessu, nec monitione corporea tanq; prędens factus unde abfuisset, aut illinc recessurus unde ueniſſet, sed uenit per hoc quod erat uisibile & cõmune cernentibus declarãdus, humanã scilicet carnẽ atq; animã in uisce

Mystica distributio corporis & sanguinis Christi.

Universidad de Deusto
S.C.
Biblioteca

ribus uirginis matris accipiens, ut manens in forma dei, formam serui sibimet & similitudinẽ peccati carnis uniret, per quam nõ minueret diuina humanis, sed augeret humana diuinis. Talis enim erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortaliũ, ut originali peccato transeunte, per posteros nullus pœnam damnationis euaderet, nisi uerbum caro fieret, & habitaret in nobis, in ea scilicet natura quæ nostri & sanguinis esset & generis. Propter quod dicit Apostolus: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines ad iustificationem. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiam iusti cõstituentur multi. Et iterum: Quia enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Hi utiq; omnes qui licet in Adam sunt nati, in Christo tamen inueniuntur renati, habentes fidei testimonium, & de iustificatione gratiæ & de communione naturæ, quam qui susceptam ab unigenito dei filio in utero Dauidicæ uirginis diffitetur, ab omni sacramẽto christianæ religionis alienus est, & nec sponsum agnoscens, nec sponsam intelligens, nuptiali non potest interesse conuiuio. Caro enim Christi uelamen est uerbi, quo omnis qui Christum confitetur, integre induitur. Erubescens autem illud, & quasi indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatũ: ac licet se regio inserat festo, sacrisq; se epulis importunus immisceat, discretionem tamen regis fallere improbus conuiua nõ poterit, sed sicut ipse dominus protestatus est, tolletur ligatis manibus & pedibus, & mittetur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Vnde quicunq; in Christo non confitetur corpus humanum, nouerit se mysterio incarnationis indignũ, nec eius sacramenti habere consortium, quod Apostolus prędicat dicens: Quia membra sumus corporis de carne eius & ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suę, & erunt duo in carne una. Et exponens quid per hoc significetur, adiecit: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Ab ipso ergo principio generis humani, Christus est denunciatus in carne uenturus, in hoc (sicut dictum est) Et erunt duo in carne una. Vtiq; duo sunt deus & homo, Christus & ecclesia, quæ de sponsi carne prodijt, quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua, sacramentum redemptionis & regenerationis accepit. Ipsa est enim noua conditio creaturæ humanæ, quę in baptismate, non indumento ueræ carnis, sed contagio damnatæ uetustatis exuitur, ut efficiatur homo corpus Christi, quia & Christus corpus est hominis. Vnde non deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi: nec hominem tantum, sicut hæretici Fotiani: nec ita hominem, ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, siue animam, siue mentem rationabilem, siue carnem, quam nõ de fœmina sumpsit, sed factam de uerbo in carnem conuerso atq; mutato, quę tria falsa & uana Apollinaristarũ hæreticorũ tres partes uarie protulerunt. Nec dicimus quod beata uirgo Maria hominem sine deitate cõceperit, qui creatus à spiritu sancto, postea sit susceptus à uerbo, quod Nestorium prædicantẽ meritò iusteq; damnauimus. Sed dicimus Christũ dei filium deum uerum, natum de deo patre, sine ullo initio temporis, eundemq; hominem uerum, natum de matre homine certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem qua maior est pater, minuere aliquid eius naturæ à qua æqualis est patri. Hoc autem utrunq; unũ est Christus, qui uerissime dixit, & secundum deum, Ego & pater unum sumus: & secundum hominem, Pater maior me est. Hanc fidem dilectissimi ueram & indissolubilem, quæ sola ueros efficit Christianos, quamq; ut intelligimus & probamus pio studio, & laudabili amore defenditis, perseueranter tenere, & constanter asserite. Et quoniam oportet uos post diuinum auxilium etiam catholicorũ principum gratiam pro-

promereri, humiliter & sapienter exposcite, ut petitioni nostræ qua plenariam indici synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere, quo citius adiuuante misericordia dei, & sanis fortitudo augeatur, & morbidis si curari acquiescant, medicina præstetur.

EPISTOLA XI. LEONIS PAPAE AD THEODOSIVM AVGVSTVM PLENA QVERIMONIJS, in qua Hilarij fuga, ne subscriberet hæreticis, siniſtrum iudicium eorum qui infecti dogmatibus partis suæ erant, & alia nõnulla habentur: similiterq; Theodosius Imperator, quo fidem tueatur aduersus hæreticos scriptura diuina conuictos, admonetur.



ITERIS clementiæ uestræ quas dudum ad beati Petri apostoli sedem pro catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per uos ueritatis & pacis, ut in causa tam simplici, tamq; minuta, nihil putaremus posse existere q̃d noceret, præsertim cum ad episcopale concilium quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta quæ uel ad sanctam synodum, uel ad Flauianum episcopũ detulerũt, Episcoporũ publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei quam diuinitus inspiratam & accepimus & tenemus, omnium congressionum strepitus quieuisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum priuatæ causæ religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum quod uniuersam ecclesiam uulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum quæ gestæ sunt narratore Hilario diacono nostro, qui uix ne subscribere cogeretur effugit, conuenisse ad synodum plurimos sacerdotes, quorum utiq; frequentia collationi & iudicio profuisset, si is qui sibi locum principalem uendicabat, sacerdotalem moderationem custodire uoluisset, ut (sicut moris est) omnium sententijs ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine quod & fidei congrueret, & errantibus subueniret. In ipso autem iudicio non omnes qui conuenerant interfuisse cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impijs subscriptionibus captiuas manus dederant, & nociturum statui scirent, nisi imperata feciſſent. Talemq; ab ipso prolatam esse sententiã, ut dum homo unus impetitur, in omnem ecclesiã sæuiretur. Quod nostri ab apostolica sede directi adeò impium & catholicæ fidei contrarium esse uiderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli, constanterq; in eadem synodo (ut decuit) fuerunt protestati, nequaquã id quod cõstituebatur sedem apostolicam recepturam, quoniam reuera omne Christianæ fidei sacramentum (quod absit) à temporibus uestræ pietatis excinditur, nisi hoc scelestissimum facinus quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. Quia uero diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus persuadeat nocitura, remouete quæsumus aurem à uestræ pietatis conscientia in periculum religionis & fidei: quod secularibus negotijs legum uestrarum æquitate conceditur, in rerum diuinarum pertractione præstate, ut Christi Euangelio uim non inferat humana præsumptio. Ecce christianissime & uenerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis

Universidad de Deusto
Biblioteca

implens erga reuerentiam clementiæ uestræ synceri amoris officiũ, cupiensq; uos placere per omnia deo, cui pro uobis ab ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi domini rei de silentio iudicemur. Obsecramus coram unius deitatis inseparabili trinitate, quæ tali facto lædituꝛ, cum ipsa uestri sit custos & auctrix imperij, & coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotũ numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini uos grauari, quia quod necesse est nos dicere, uereꝛmur ne cuius religio diſſipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reuerenter accipite beati Petri gloriam, & cõmunes cum ipso omniũ apostolorũ coronas, cunctorumq; martyrũ palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi cõfessio ueræ diuinitatis & ueræ humanitatis in Christo. Cui sacramento quia impie nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium ecclesię nostrarum, omnes mansuetudini uestræ cũ gemitibus & lachrymis supplicant sacerdotes, ut quibus & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellũ appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit, uel in fide dubiũ, uel in charitate diuisum. Cõuenientibus utiq; orientalium prouinciarũ episcopis, quorum si qui superati minis atq; iniurijs à ueritatis tramite deuiarunt, salutaribus remedijs in integrum reuocentur, ipsiq; quorum est causa durior si consilijs melioribus acquiescant, ab ecclesiæ unitate non discedant. Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariè postuletur, canonũ Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt sacerdotibus cõstituta, quæq; subter adnexa sunt. Fauete catholicis uestro more, parentumq; uestrorum: date defendendæ fidei libertatem, quam salua clementiæ uestræ reuerentia, nulla uis, nullus poterit mundanus timor auferre. Cum enim ecclesiæ causa statum regni uestri agamus & salutis, ut prouinciarũ uestrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussum ecclesiæ statum, ut & uestrum Christi dextera defendatur imperium. Data tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene uiris clarissimis cõsulibus, Era qua supra.

EPISTOLA XII. LEONIS PAPAE AD PVLCHERRIMAM AVGVSTAM, MONENTIS, NE EPHESINÆ SYNODI FIDEM ADHIBEAT, IN QUA NON MODO NON EXTINCTA EST HÆRESIS EUTICETIS, SED ETIAM APPROBATA À QUIBUSDAM. CÕSTAT EX HIS, QUIBUS IN LOCIS, QUIBUS UE EPISCOPIS SYNODUS CHRISTIANA CELEBRANDA SIT, NE PLUS ORTHODOXÆ FIDEI DETRAHATUR QUÀM ACCEDAT.

SI EPISTOLAE quæ in fidei causa ad pietatem uestram directæ sunt, per nostros clericos peruenissent, certum est remedium uos his rebus quæ contra fidem factæ sunt, aspirante uobis domino, præstare potuisse. Quando sacerdotibus, quando Christianæ religioni aut fidei defuistis? Sed cum ad mansuetudinem uestram adeò nõ potuerint peruenire qui missi sunt, ut ad nos uix unus illorũ Hilarius diaconus noster fugiens sit reuersus, iteranda scripta credidimus. Vt ualidiores preces nostrę esse mereanꝰ, ipsorum quæ ad clementiã uestram non peruenerunt exempla subiecimus, ampliorib⁹ uos obtestationibus obsecrantes, ut quanto acerbiora facta sunt, quibus pro sede regia uos conuenit contrahere, tanto maiore gloria curam eius in qua excellitis

litis religionis habeatis, ne catholicæ fidei integritas ulla humanarum concertationum occasione uioletur. Quę enim congregata apud Ephesinam synodum sopienda & sananda pacis remedia credebantur, hæc non solum in maiora pacis dispendia, sed (quod nimis dolendum est) etiam in ipsius fidei qua christiani sumus, excidia processerunt. Et ij quidem qui missi sunt, quorũq; unus uim Alexandrini episcopi sibi omnia uendicãtis effugiens, rerum gestarũ nobis ordinem fideliter nunciauit, reclamauerũt in synodo sicut oportuit unius hominis nõ tam iudicio q̃ furori, protestãtes ea quę per uim metumq; gererentur, sacramẽtis ecclesię et ipli symbolo ab apostolis instituto præiudicare non posse, nec se ab ea fide ulla iniuria separandos, quam pleniſſime expositam atq; digestam à sede beati apostoli Petri ad sanctam synodum detulissent. Cuius recitatio poscentibus Episcopis non sit admissa, uti scilicet remota ea fide quæ patriarchas, prophetas, apostolos, & martyres coronauit, generatio Iesu Christi domini nostri secundum carnem, & uerę mortis ac resurrectionis eius confessio (quod horremus dicere) solueretur. Scripsimus de hac re ut potuimus ad glorioſissimũ principem, & quod est maximũ, christianũ, cuius epistolæ pariter exempla subiecimus, ut fidem qua renatus per dei gratiã regnat, nulla sineret nouitate corrumpi: quoniã Flauianus episcopus in nostra omnium communione perſistit, atq; hoc quod factum est, sine cõsideratione iustitię, & contra omnium canonum disciplinam ratum haberi ratio nulla permittit. Et quia dissensionis scandalum non abstuliſſet Ephesina synodus, sed auxisset, habendi intra Italiam concilium & locus constitueretur, & tempus, omnibus querelis & prę iudicijs partis utriusq; suspensis, quo diligentius uniuersa quæ offensionem generauerant, retractentur, & absq; uulnere fidei, absq; religionis iniuria, in pacem Christi redeant, sint sacerdotes, & soli auferantur errores. Quod ut obtinere mereamur, probatiſſimę nobis fidei pietas tua quæ labores ecclesiæ semper adiuuit, supplicationem nostrã apud clementiſſimũ principem, siue specialiter à beatiſſimo Petro apostolo legationem cõmiſſam dignetur asserere, ut priusquam ciuile hoc & exitiale bellum intra ecclesiam conualescat, redintegrandæ unitatis copiam deo auxiliante concedat, sciens imperij sui uiribus profuturum, quicquid catholicæ libertati benigna ipsius fuerit dispositione collatũ. Data pridie Idus Octobris, Asterio & Protogene uiris clariſſimis consulibus, era qua suprà.

EPISTOLA XIII. LEONIS PAPAE AD PVLCHERRIMAM AVGVSTAM, IN QVA NICENI CONUENTUS FIDEM SUMMO IN HONORE HABENDAM ESSE PRÆSCRIBIT.

GAVDERE me plurimum & exultare in domino pietatis tuæ scripta fecere, quibus euidenter ostenditur, quantũ catholicam diligas fidem, & quantum hęreticum detesteris errorem. Hęresis quippe est nimis impia, & euangelio ueritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa religionis christianæ conatur fundamenta conuellere, negans sempiterni patris filium sempiternum de utero beatæ uirginis matris ueram carnem nostræ sumpſisse naturæ, & eos damnatione percellens, qui ab euangelica & apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, illudq; frustra prætendens quod Niceną synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienũ glorioſissima Augusta. Vnde quia non deserit ecclesiam suam diuina protectio, dicente domino: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi: eodemq; opere & tempore spiritus dei & clementiæ uestræ solicitudinem & curam nostri cordis ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendit, ut de remedijs procurandis, eadem utricꝫ cuperemus, quæ prius poposci. Nunc quoque instantius peto, maiore utens fiducia deprecandi, postea quam præsidium uenerandæ exhortationis accepi, sperans affuturam misericordiam dei, ut cooperante uestra clemẽtia, pestiferi erroris possit morbus auferri, ut quicquid ipso inspirante atcꝫ auxiliãte potuerit salubriter fieri, cum uestræ fidei laude peragatur, quoniam res humanæ aliter tutę esse nõ possunt, nisi quæ ad diuinam confessionẽ pertinent, & regia & sacerdotalis defendat autoritas. Data decimosexto Calendas Aprilis, Valentiniano Augusto septimo, & Anieno uiris clarissimis consulibus. Eraccc lxxxviii.

EPSTOLA XII▸ LEONIS PAPAE AD MARTIANVM ET FAVSTVM PRESBYTEROS quibus persuadet, ut in hæresim Ephesi adiutã penitus se non patiantur inuolui, cui sanctorum patrum scripta repugnent.

BONORVM operum & spiritualium studiorum deum autorem esse non dubium est, qui quorum incitat mentes, adiuuat actiones. Quod nobis prẽsenti experimento euidenter apparuit, siquidem inter discretarum spatia longinqua regionum unum sumpserunt corda nostra consilium, ut quod à nobis desiderabatis, eo uobis tempore quo epistolæ uestræ mittebãtur, occurrerit. Si tamen dilectioni uestræ tradi scripta nostra potuere, quę non solum apostolicæ sedis autoritate, sed etiã sanctę synodi quę ad nos frequens conuenerat, unanimitate directa sunt, ut in his quantam curam totius ecclesiæ habeamus, appareat, hortando scilicet omnium fidelium mentes, & clementissimorum principum præsidia ad defensionem fidei postulando, quorum pios & catholicos animos non diffidimus opem atque autoritatem suam iustis petitionibus prẽstituros, quo citius auxiliante domino pernicioſa hæresis, & dudum sanctorum patrum autoritate damnata, quę nuper Ephesi male adiuta est, auferatur. Interim uero det operam quantum fieri potest uestra dilectio, ut omnibus ecclesiæ filijs innotescat, quod impium sensum secundum doctrinam euangelicam & apostolicam prędicamus. Quia licet plenè quę semper fuisset, atque esset catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmãdas omnium mentes, non parum exhortationis addidimus. Memor enim sum me sub illius nomine prẽsidere, cuius à domino Iesu Christo est glorificata cõfessio, et cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maxime impietatem præsentis erroris expugnat: & intelligo mihi aliud non licere, quàm ut omnes conatus meos ei causæ in qua uniuersalis ecclesiæ salus infestatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occasione scripta nostra ad uos non potuerint peruenire, exemplaria eorundem nunc mittenda credidimus, ut nullo modo fidei quam defendimus, prædicatio nostræ notitiæ subtrahatur.

Data decimosexto Calendas Aprilis, Valentiniano Augusto. VII. & Anieno V. Consulibus.

TIS DOCTA, ADMONENTIS THEODOSIVM Augustum, episcopũ Constantinopolitanũ, & alios coëpiscopos, ut sectam Nestorianã sæpius iam damnatam à sanctis patribus, fugiant. Insuper Theodosium Augustum, quò concilium in Italia concedat celebrari, orat, propter illos qui aut ignorantia, ut fit, scripturarum, aut timore proscriptionis lapsi, ut iterum reuocentur ad ecclesiæ unitatem.

OMNIBVS quidem uestræ pietatis epistolis inter eas solicitudines quas pro fide patimur, spem nobis securitatis maximam præstitistis, Nicenum commendando conciliũ, adeò ut ab illo (sicut sæpe iam scribitis) nõ patiamini sacerdotes domini deuiare. Sed ne aliquid in præiudicium catholicæ defensionis uiderer egisse, de ordinatione eius qui Constantinopolitanæ cœperit ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram partem temere rescribendum putaui, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ ueritatis expectans. Quod æquanimiter ferat obsecro uestra clementia, ut cum talem se erga fidem catholicam qualem cupimus approbarit, de synceritate ipsius copiosius & securius gaudeamus. Ne uero aliqua illum de nostro animo mordeat sinistra suspicio, occasionem totius difficultatis amoueo, nec aliquid exigo quod aut arduum uideatur, aut dubium, sed ad id quod nullus catholicorum refutet inuito. Noti enim sunt per uniuersum mundũ atcꝫ manifesti qui ante nos, siue græca, siue latina lingua in catholicæ ueritatis prædicatione fulserũt, ad quorum scientiam atque doctrinam quidam etiam nostræ ætatis cedunt, de quorum scriptis par & multiplex profertur instructio: quę sicut Nestorianã hęresim destruxit, ita etiam hunc qui nunc repullulat, abscidit errorem. Relegat itacꝫ solicite quæ à sanctis patribus incarnationis dominicæ fides fuerit custodita, semperćꝫ similiter prædicata: & sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini episcopi epistolam qua Nestorium corrigere & sanare uoluit, prauas prædicationes ipsius arguẽs, & euidentius fidem Nicenæ diffinitionis exponens, quanquam ab eo missam apostolicæ sedis scrinia susceperant, prẽcedentiũ sensui perspexerit consonantem. Ephesinæ etiam synodi gesta recensent, quæ contra Nestorij impietatem & à sanctæ memoriæ Cyrillo inserta, & allegata sunt de incarnatione domini catholicorũ testimonia sacerdotum. Non aspernetur etiam meam epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet. Cumćꝫ à se hoc quod eidem profuturum sit expeti, desiderarićꝫ cognouerit, catholicorum sententijs toto corde consentiat, ita ut synceram communionis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni clero, & uniuersa plebe declaret, apostolicæ sedi & uniuersis domini sacerdotibus atque ecclesijs publicandam, ut pacificato per unam fidem mundo, possimus omnes dicere quod angeli nato de Maria uirgine saluatore cecinerũt, gloria in excelsis deo, et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Quia uero & nos & beati patres nostri, quorum doctrinam & ueneramur & sequimur, in unius fidei concordia sumus, sicut prouinciarum omnium protestantur antistites, agat clementiæ uestræ deuotissima fides, ut quamprimum ad nos Constantinopolitani episcopi, qualia debent probati & catholici sacerdotis scripta perueniant, aperte scilicet atcꝫ dilucide protestantia, quod si quis de incarnatione uerbi dei aliud aliquid credat aut asserat, quàm catholicorum omnium & mea professio protestatur, hunc a sua cõmunione secernat, ut ei fraternam in Christo charitatem meritò possimus impendere. Vt autem salubri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus curis uelocior pleniorq; auxiliante domino per uestrę clementiæ fidem præste tur affectus, ad pietatē uestram fratres & coëpiscopos nostros Abundium & Aste rium, sed & Basilium & Senatorem presbyteros, quorum mihi deuotio est proba ta, direxi, per quos quæ nostræ forma sit fidei manifestatis instructionibus quas mi simus, possitis dignāter agnoscere, ut si Constantinopolitanus antistes in eandem confessionem toto corde consentit, securi (ut dignum est) de ecclesiastica pace læte mur, neq; aliud residere uideatur ambiguum, ut de superfluis forsitan suspitioni bus laboremus. Sin uero aliqui à puritate nostræ fidei atq; patrū autoritate dissen tiunt, conciliū uniuersale intra Italiam, sicut synodus quæ ob hanc causam Romæ cōuenerat mecū petit, uestra clementia concedat, ut in unum cōuenientibus omni bus his qui aut ignorantia, aut timore prolapsi sunt, correctionis remedijs consula tur, nec cuiquā ultra sit liberum ita Nicenæ synodi facere mentionem, ut eius fidei inueniatur esse contrarius: quoniam uniuersæ & ecclesiæ, & uestro hoc impe rio profuturum est, si unus deus, & una fides, unum sacramentū salutis humanę, unius totius mundi cōfessione teneatur. Data decimoseptimo Calend. Augusti.

EPISTOLA XVI. LEONIS EPISCOPI ADHORTATORIA IN QVA PVLCHERRIMAE Augustæ in fide constantia, & Concilij Niceni autoritas contra insanam Nestorij hæresim prædicatur.

GAVDEO fidei clementiæ uestræ, quod religiosum studium dignanter impenditis, ut pax ecclesiastica renouetur, quę eo rundem dissentionib. uidet esse turbata. Debetur enim hoc ue strę specialiter glorię, ut ablatis omnibus scandalis quę contra catholicam fidem inimicus excitauerat, una eademq; sit per to tum mundum confessio ueritatis, quæ facilius certiusq; repara bitur, si prauorum sensuum nulla semina, nulla uestigia relin quantur. Quod tamen mearum partium est, pręterire non debeo, ut scilicet quid de incarnatione filij dei à Constantinopolitano episcopo teneatur, agnoscam, prę sertim cum in ordinatione ipsius dura præcesserint, taliaq; ad nos debuerit scripta dirigere, quæ illum à contagione huius qui nuper emersit erroris alienum euiden ter ostenderent. Optans itaq; securā cum eo habere concordiam, gratiamq; illi fra ternæ charitatis impendere, scribere ei interim distuli, non dilectionē negans, sed manifestationem catholicæ ueritatis expectans. Simplex enim est atq; absolutum, quod posco, ut remoto longarum disputationū labore, sanctę memorię Cyrilli A lexandrini episcopi epistolę quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat, in qua & errorem Nestorij arguit, & fidem Nicenæ definitionis exposuit, & epistolę meę quę ad sanctæ recordationis Flauianū episcopū est directa, consentiat. Quibus uigi lanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi quod ausus est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter a gnoscat, quia & mea, & sanctorum patrum de incarnatione domini consors, per omnia & una confessio est: quam si quis æstimauerit non sequendā, ipse se à com page catholicæ ueritatis abscindet, cum tamen nos ut in integrum omnia reuocen tur optemus. Ad effectum uero salubrium dispositionū uelocius obtinendum, fra tres & coëpiscopos meos Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatorem presbyteros probatissimos uiros misi, qui clementiæ uestrę formā fidei secundum doctrinam uenerabilium patrum prędicatam offerrent, & remotis circumlocutio nibus quibus obscurari ueritas solet, quid de incarnatione filij dei à totius orbis pro batis sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post diuinam gratiam san cto

cto uestræ pietatis auxilio dignum est adiuuari, ne in totius ecclesiæ perturbatio nem imprudens procedat contentio, quū correctione adhibita omnes oporteat in unius confessionis redire cōcordiam, à qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, uni uersale concilium sacerdotū haberi intra Italiam clementia uestra annuente iubea tur, quò remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coërceri de beat, aut sanari. Data tertiodecimo Calendas Augusti, Valentiniano Augusto VII. & Anieno uiris clarissimis consulibus, era qua suprà.

EPISTOLA XVII. LEONIS EPISCOPI RESPONSORIA AD AVGVSTAE PVLCHER rimæ epistolam de loco synodi celebrandæ, in qua tum hæreticorum mores, tum insidię exponuntur: & quid de ijs agendum, qui cum uicti sunt, nihilominus in errore semel concepto perstant.

RELIGIOSAM clementiæ uestræ solicitudinem, quam ca tholicæ fidei indesinenter impenditis, per omnia recognosco, & deo gratias ago, quod tantam uniuersalis ecclesiæ curam ha bere uos uideo, ut quod iustitiæ & beneuolentiæ congruere ar bitror confidenter insinuem, quò celerius quæ propitio Chri sto pietatis uestrę studio irreprehēsibiliter hactenus gesta sunt, ad gratulandum producātur effectum. Quod ergo synodum Chalcedonēsem haberi clementia uestra præcepit, cum à me ut in Italia haberetur mansuetudo uestra retineat postulatum, ut omnes nostrarum partium conuocati antistites, si securitas temporis suppeteret conuenirent: adeò tamen non aspernan ter accepi, ut binos de coëpiscopis meis & cōpresbyteris ordinarē, qui uicem meā implere sufficerent, datis ad uenerabilem synodum congruētibus scriptis, quibus fraternitas aduocata cognosceret, quam formam seruare in hac dijudicatione debe ret, ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut canonum statutis, aut benignitatis reme dijs obuiaret. Sicut enim à principio huius causæ frequentissime scripsi, hanc inter discordes sensus & carnales æmulationes moderationē uolui custodiri, ut integrita ti quidem fidei nihil euelli, nihil liceret apponi, ad unitatem uero pacemq; redeun tibus, remedium ueniæ præstaretur: quia tunc operum diaboli potentiæ destruun tur, cum ad dei & proximi dilectionē hominum corda reuocantur. Sed quàm con traria tunc his monitis atq; obseruationibus meis acta sint, multum est explicare, nec opus est epistolari pagina cōprehendi, quid in illo Ephesino non iudicio, sed latrocinio potuit perpetrari. Ibi primates synodi nec resistentibus sibi fratribus nec consentientibus perceperunt, cum ad infringendam catholicam fidem, & ad exe crabilem hæresim roborandā alios priuilegio honoris exuerint, alios consortio im pietatis infecerint, sæuiores profectò in eos quos persuadendo ab innocentia sepa rabant, quàm in illos quos beatos confessores persequendo faciebant. Veruntamen quia tales sibi maxime sua iniquitate nocuerunt, & maioribus uulneribus di mensi quia tales sibi maxime sua iniquitate nocuerunt, & maioribus uulneribus di ligentior est adhibenda medicina, nullis unquam epistolis definiui etiam talibus si resipiscerent ueniam denegandam. Et quamuis incommutabiliter inimicissimam Christianę religionis hæresim detestemur, ipsos tamen si corrigantur, & digna se sa tisfactione purificent, ab ineffabili misericordia dei non iudicamus alienos, sed po tius cum gemētibus gemimus, cum flentibus flemus, & sic utimur iustitia commo tionis, ut nō amittamus remedia charitatis. Quod sicut pietas uestra cognoscit non uerbis solis promittitur, sed etiam factis docetur: siquidem penè omnes qui in con

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensum præsidentium aut traducti fuerant, aut coacti, resistendo ei quod statutum fuerat a b illis, & cõdemnando quod scripserant, perpetuam culpę abolitionem & apostolicę pacis gratiam sunt adepti. Si ergo clementia uestra propositum nostrum cõsiderare dignetur, probabit in eo concilio cuncta gessisse, ut sine cuiusquam animæ detrimento hæreseos tantum obtineretur extinctio, & ob hoc circa autores sæuissimorũ turbinum quiddam cõsuetudinis minuisse, ut ad indulgentiã postulandam compunctione aliqua possit eorum tarditas excitari. Qui etsi post illud iudiciũ suum tam impium quàm iniustum, non sunt catholicæ fraternitati ita honorabiles ut fuerunt, suas tamen adhuc obtinent sedes, & episcopatus sui honore potiuntur, aut per ueram & necessariam satisfactionem pacem ecclesiæ recepturi, aut si hæresim (quod absit) tuebuntur, professionis suę merito iudicandi. Data decimotertio Calendarum Augusti, Helpidio v.c. consule.

EPISTOLA XVIII▸ LEONIS EPISCOPI ADHORTATORIA, QVAM SCRIpsit quò commodius ac benignius, lapsos per imperitiam si pœnituerint, in ecclesię unionem suscipere possint.

CAVSA fidei in qua salus christiana consistit, multa me solicitudine laborare compellit, metuentẽ ne prauitas quæ in suis fuerat amputãda principijs, processu temporis & pertinacior fiat & latior. Nam cum clementissimus imperator talia ad nos scripta direxit, quibus solicitudinem suam pro pace uniuersalis ecclesiæ demonstraret, & ipse Constantinopolitanus episcopus, & ij qui eundem consecrarant, præter id quod ad ordinem noui antistitis pertinebat, nihil nobis de cõpressis uel abdicatis erroribus indicarunt, quasi in illa ecclesia nullum scandalũ, nulla extitisset offensio, aut non pręcipue fuerint ordinati ad meritum demonstrandum, si aliena à se quę catholicorum sensibus sunt aduersa, docuisset. Ne ergo quod inter longinquas regiones accidere solet, ut nimias dilationes tenderent ueritatis examina, fratres & coëpiscopos nostros Habundium & Asterium, sed & Basilium senatorem, presbyteros probatissimos uiros & probatissimum principem cum sufficienti paternarũ autoritatum instructione direximus: quos in omnibus, fratres charissimi, diligentia ac solicitudine uestra cupimus adiuuari, ut impietas quæ cæcis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quosq; decipiendi ulterius nõ habeat potestatem, cum aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subueniri, qui aut imperitia sunt lapsi aut errore traducti. Et ideo uos qui iustificamini per fidem, qui catholicam diligitis ueritatem, & de singulari sacramento salutis humanæ per spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum, & quãta potestis deuotione id agite, ut falsitate destructa, & fidei soliditate defensa, secura per totum mundum dei pace potiamur. Data XVI. Calendas Augusti, Valentiniano, & Augusto VI. & Anieno uiris clarissimis consulib. era qua suprà.

QVA MARTIANI AVGVSTI PIVM ANIMVM & pacis studiosum in congregando concilio laudat.

SANCTVM clementiæ uestrę studium quo ad reparationem pacis ecclesiasticæ synodum habere uoluistis, adeò libenter accepi, ut quamuis eam fieri intra Italiam popposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quo scilicet plurimi possent episcopi etiam de longinquis prouincijs euocari, mox tamen ut mihi pietatis uestrę scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de episcopis fratrem meum Paschasium de Sicilia fecerim nauigare, qui uicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem epistolis ad eos qui legationem ante susceperant, ut ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ præsentiæ iungerentur. Vnde quamuis nimis arctus dies synodo fuerit constitutus, spero tamen affuturum omnipotentis auxilium, quo omnes ualeant ad prefinitum tempus occurrere, et unanimiter cum sanctę fraternitatis assensu quę uniuersali ecclesiæ congruant definire. Compressa enim uel remota inquietudine ac prauitate paucorum, facile firmabitur probanda concordia, si in eam fidem quam euangelicis & apostolicis prædicationibus declaratam per antiquos patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa, ne per uanam fallacemq; uersutiam aut infirma uideantur aut dubia, quæ in ipso lapide angulari Christo fundata sunt, & sine fine mansura. Hoc nobis indesinenter orantibus, ut à sacramẽto singularis fidei nemo inueniatur alienus, sed damnata impietate hæreseos nullum de perditione cuiusq; catholica ecclesia sentiat detrimentũ. Quod autem pietatẽ uestram de his per quos meas misi epistolas obsecraui, nunc quoq; simili fiducia precor, ut uice mea acturos commendatos per omnia habere dignemini, quò facilius & diligentius quæ optimo fidei uestræ ordinata sunt studio, salubri impleantur affectu. Data quartodecimo Calendas Augusti, Adelphio uiro clarissimo consule.

EPIST▸ XX▸ LEONIS EPISCOPI AD MARTIANVM AVGVSTVM, QVA CONCORdia episcoporum & principum quid ualeat ad ædificandam dei ecclesiam, insinuatur: necnõ quid uariæ quęstiones de fide orthodoxa, damni adferant, & quomodo illæ sint fugiendæ.

ITSI PER Constantinopolitanos clericos ad pietatem uestram antè rescripserim, sumptis tamen clementiæ uestrę literis per uirum illustrem præfectũ urbis filium meum Tatianum, magnam materiam gratulationis accepi, quia studiosissimos uos ecclesiasticæ pacis agnoui. Cui sancto desiderio digna equitate confertur, ut quem statum esse cupitis religionis, eundem habeatis & regni. Nam inter principes christianos spiritu dei confirmante cõcordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur, quia profectus charitatis & fidei utrorunq; armorum potentiam insuperabilẽ facit, ut propitiato per unam confessionem deo, simul & hęretica falsitas & barbara destruatur hostilitas glorioſissime imperator. Aucta igitur per imperialẽ amicitiã spe cœlestis auxilij, confidẽtius pietatẽ uestrã pro sacramẽto salutis humanæ incitare pręsumo, ne cuiusquam procaci impudentiq; uersutia, quasi de incerto quid sequendũ sit sia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

natis inquiri. Et cum ab euangelica apostolicaq; doctrina, nec uno quidem uerbo liceat dissidere, aut aliter de scripturis diuinis sapere, quàm beati apostoli & patres nostri didicere atque docuerunt, nunc demum indisciplinatæ moueãtur & impiæ quæstiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitauit, per discipulos ueritatis spiritus sanctus extinxit. Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum & bella reuocemur, tanquam reparata disceptatione tractandũ sit, utrum Eutices impie senserit, & utrum impie Dioscurus iudicarit, qui in sanctæ memorię Flauiani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque ut in eandem ruinam prouoluerentur impegit: quorũ multis iam (ut cognouimus) ad satisfactionis remedia conuersis, & ueniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Vnde pijssimæ solicitudini uestræ quam de indicenda synodo habere dignamini, per legationem quæ confestim ad clementiã uestram deo annuente perueniet, quicquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atq; opportunius suggeretur. Data nono Calendas Maij, Adheleſio uiro clarissimo consule, era qua suprà.

EPISTOLA XXI. LEONIS EPISCOPI AD MARTIANVM AVGVSTVM, QVA Ephesinæ synodi decretũ probat, quod Euticis et Nestorij doctrinam condemnat, tanquam hæreticam, & scripturis diuinis contrariam.

POSCERAM quidem à gloriosa clementia uestra, ut synodum quam ad reparandam orientalis ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam, necessariã iudicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, ij quoque episcopi quos hostilitatis metus detinet, cõuenirent. Sed quia pio studio humanis negotijs diuina præponitis, & rationabiliter ac religiose regni uestri uiribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotũ sensibus dissonantia, nulla sit in euangelij prædicatione discordia, ego etiam uestris dispositionibus non renitor, optans ut omniũ cordibus catholica fides quæ non potest nisi una esse, firmetur. A cuius integritate & Nestorius antea, & nunc Eutices, diuersis quidẽ callibus, sed impietate nõ impari deuiarũt, abominãdi prorsus persuasionibus suis, quas contra synceri & ueri luminis fontẽ, de cœnosis lacubus diabolicę falsitatis hauserũt. Prior itaq; synodus Ephesina Nestoriũ cum dogmate suo meritò iusteq; damnauit, & quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem remedij peruenire. Sequẽs uero in prędicta ciuitate nõ possum uocare concilium, quod in euersionem fidei fuisse constat agitatũ, quodq; uestra clementia amore ueritatis catholicis affutura aliud statuendo quassauit, gloriosissime imperator. Vnde per ipsum dominũ nostrũ Iesum Christum qui regni uestri est autor & rector, obtestor & obsecro clementiam uestram, ut in præsenti synodo fidem quã beati patres nostri ab apostolis sibi traditã prædicarunt. nõ patiamini quasi dubiã retractari, & quę olim maiorũ sunt autoritate dãnata, rediuiuis nõ permittatis conatibus excitari: illudq; potius iubeatis ut antiquę Nicenę synodi cõstituta remota hæreticorũ interpretatione permaneãt. Nec me quoque, ut uoluit uestra clemẽtia, ab illo credatis abesse cõcilio, cum in fratrib. quos direxi, id est Paschasiano & Lucẽtio episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, sed & fratre meo Iuliano, quem eorũ uolui esse participẽ, etiã mea sit æstimãda præsentia: quos

quos auxiliante Christo ita facturos esse confido, ut ea quæ domino nostro placeant, decernantur, accedente pietatis uestræ studio, quod & paci prosit, & religioni sit custodia ueritatis. Data VI. Calendas Iunij, Adelphio uiro clarissimo consule, Era qua suprà.

EPISTOLA XXII. LEONIS PAPAE AD EVNDEM MARTIANVM AVGVSTVM de eadem re, qua suprà, quò constans sit in fide defendenda contra hæreticos.

VLTAM mihi fiduciam scribendi ad clementiam uestram & literæ uestræ, quas ueneranter accepi, & coëpiscopi mei reuertentes Cõstantinopoli præbuerũt, nõ sola assertione uerborũ, sed ipsis operum effectibus demonstrantes, ad defensionem catholicæ fidei diuinum in uobis uigere præsidiũ: quo utiq; non solum ecclesiæ status, sed etiam uestri robur munitur imperij, ut meritò eius expectetis protectionẽ, cuius colitis ueritatem glorioſissime imperator. Nam ut fratris mei Anatholij citius manifestaretur integritas, & olim damnati erroris rediuiuus assertor locum in Christi ecclesia non haberet, ut catholici episcopi, quos nuper hæreticorũ persecutio degrauare non potuit, ab iniustis reuocarentur exilijs, atque reliquijs beatæ memorię Flauiani digno honore susceptis, impietatem suam condemnator eius agnosceret, uestræ uirtutis titulus, uestrę pietatis est fructus, cui confido etiam aliarum insignia accumulanda palmarum, ut sicut Constantinopolitana ecclesia recepta apostolicæ fidei libertate lætatur, ita omnes regni uestri prouinciæ emundatas se à diabolici dogmatis contagione glorientur. Vt ergo pręcedentibus literis indicaui, fratres meos Lucensem episcopum & Basilium presbyterum qui solicitudinis meę partes possint implere direxi, fauori eos pietatis uestræ in omnibus quę sunt agenda commendans. Nam cum & fratris mei Anatholij scriptis & nostrorum sermone cognouerim, multos de his qui apud Ephesum Dioscuri factione compulsi, de stabilibus statutis pœnitendum prebuere consensum, inconstantię suæ ueniam postulare, & communionem catholicam per satisfactionem correctionis expetere, nõ fuit talium negligenda conuersio, qui non proprio sensu, sed impij præsumptoris impulsu in hæc incidisse noscuntur, in quibus liberum nõ habuere iudiciũ. Ne itaque resipiscentium desideria mora longior fatigaret, uel incuriosa facilitas temere aliquos & sine discretione suscíperet, iniunctum est ab apostolica sede directis ut in consortium suæ deliberationis accito Constantinopolitanę urbis antistite, & pestilentię contagia non admittãtur, & sanitatis remedia nõ negentur. Quæ industria in omnibus quę nequiter gesta sunt emendandis celerem iuuante domino consequetur effectum, si reparationi pacis ecclesiasticæ opem suam uestra pietas dignetur adiungere, ut uobis in terra regnantibus & dei regnum intra uos habere mereamini, & catholicam fidem nulla falsitas uiolet, nulla hęresis inquietet, nec cuiquã liceat doctrinam euangelicam deserere, & sacerdotali honore gaudere. Synodum uero fieri ut meminit uestra clementia etiam ipsi popoſcimus. Sacerdotes prouinciarum omnium congregari, pręsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illę prouincię de quibus maxime sunt euocandi, inquietãte bello ab ecclesijs suis eos non patiuntur abscedere: unde opportuniori tempori propitiato domino cum firmior fuerit restituta securitas, iubeat uestra clementia reseruari. De qua re plenius inter cętera apud pietatem uestram poterunt allegare quos misi. Data V. Idus Iunij, Adelphio uiro clarissimo consule, Era qua suprà.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA XXIII▸ LEONIS PAPAE AD ANATHOLIVM EPISCOPVM DE HIS QVI metu in hæresim lapsi sunt, ut si conuersi fuerint recipiantur: deq; nominibus hæreticorum ad altare non recitandis.

GAVDEMVS in domino & in dono gratię ipsius gloriamur, qui sicut dilectionis tuæ literis & fratrũ nostrorum, quos Constantinopolim miseramus relatione cognouimus, sequacem euangelicæ eruditionis ostendit, ut per sacerdotis probabilẽ fidem meritò præsumamus, quod tota ecclesia eidẽ credita est ne rugam cuiusquã sit erroris habitura uel maculã, dicente Apostolo: Despondi eñ uos uni uiro uirginẽ castã exhibere Christo: illa enim uirgo ecclesia, sponsa unius uiri Christi, quę nullo se patit errore uitiari, in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur, & gestorũ quę sumpsimus seriẽ necessarijs (sicut oportuit) munitam subscriptionibus approbauimus. Vt ergo inuicẽ dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur alloquijs, filios nostros Casterium presbyterum, Patricium & Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta detulere, cũ epistolis nostris post uenerabilẽ diem festi paschalis emisimus, indicantes nos (ut suprà diximus) de Constantinopolitanę ecclesię pace gaudere, cui hanc curã semper impendimus, ut eam nulla uelimus hæreticorũ fraude uiolari. De fratribus uero quos in epistolis tuis & legatorum nostrorũ relatione cõmunionis nostræ cupidos esse cognouimus, eo quod doleant se contra potentiam, contraq; terrores non tenuisse constantiã, in alieno scelere præbuisse consensum, cum ita eos formido turbasset, ut in damnationẽ catholici atq; innocentis antistitis, & in receptionẽ detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem quod præsentibus & agentibus nostris constitutũ est approbamus, ut suarum interim ecclesiarũ essent communione contenti, sed cum legatis nostris, quos misimus, participata tecum solicitudine uoluimus disponatur, quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quàm tueri, pacis & cõmunionis nostræ unitatẽ lętantur, ita ut digno prius anathemate quæ contra fidem catholicam sunt recepta damnentur, aliter enim in ecclesia dei quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec uera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ uerus nos pontifex recõciliat, uerus immaculati agni sanguis emundat, licet in patris sit dextera cõstitutus, in eadẽ tamẽ carne quã sumpsit ex uirgine, sacramentũ propitiationis exequit, dicente apostolo: Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est in dextra dei, qui etiã interpellat pro nobis. Necq; eñ potest in aliquo benignitas nostra reprehendi cũ satisfacientes recepimus, quos doluimus esse deceptos. Nec aspere igit cõmunionis nostrę gratia denegãda est, nec temere largiẽda, quia sicut plenũ pietatis est oppressis charitatem dominicã redhiberi, ita iustum est omnia perturbationis autorib. imputari. De nominibus aũt Dioscuri, Iuuenalis & Eustathij ad sacrum altare recitandis, dilectionẽ tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidẽ constituti faciendũ esse dixerunt, quodq; honorandæ sancto Flauiano memoriæ non repugnet, & à gratia tua christianę plebis animos nõ auertat. Nam iniquũ nimis est atq; incongruũ eos qui innocẽtes & catholicos sua persecutiõe uexarũt, sanctorũ nominibus sine discretione misceri, cõdemnatã impietatẽ non deserentes ipsi se sua prauitate cõdemnãt, quos cõuenit aut percelli pro p̃fidia, aut laborare pro uenia. Fratrẽ uero et coëpiscopũ nostrũ Iulianũ, uel clericos qui sanctę memorię Flauiano fidelibus officijs adhæserunt, dilectioni quoq; tuæ uolumus adhęrere, ut quẽ fidei suę meritis uiuere apud dominũ nostrũ nouimus, in te sibi eum præsentẽ agnoscãt, illudq;

illudq; dilectionem tuam nosse uolumus, fratrem & coëpiscopum nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina laboresq; tolerauit, nobiscũ interim demorari & in nostra nunc cõmunione persistere, cuius ecclesiam tua solicitudine uolumus esse defensam, ut nihil eodem absente depereat, & nullus ei in aliquo præiudicare præsumat, donec cum literarũ nostrarum ad uos prosecutione perueniat. Et ut maior circa te, uel nostra uel totius Christianæ plebis affectio prouocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omniũ uolumus notitiam peruenire, ut qui deo non deseruiunt, de confirmata apud te pace sedis Apostolicę gratulentur. De cæteris uero causis atq; personis dilectio tua literis quas per nostras accipiet, plenius instruetur. Data Idus Aprilis, era qua suprà.

EPISTOLA XXIIII▸ LEONIS PAPAE QVA ANATHOLIO EPISCOPO DEPINGIT HAERETIcorũ apud Cõstantinopolim aduersus Martianũ Augustum insanias & furores: & quomodo exules ob uerę fidei cõfessionẽ suscipiendi & fouendi: quidq; de ijs sentiendum, qui hæreticorũ erroribus cõniuent: & alia lectu digna occurrent.

DILIGENTIAM necessarię solicitudinis quã fraternitas tua in dirigẽdis ad nos literis exequit, approbamus: & acceptis per filium nostrũ Olimpiũ paginis tuis, sacerdotalẽ in te curam uigere sentimus: cui nos quoq; quantũ dominus dat posse nõ desumus, exorantes dilectionẽ tuam, ut quia tempus laboris indicimus, in sancta uigilãtia perseueres, donec dextra domini faciat uirtutẽ, & sub pedibus ecclesię suæ cõterat tentatorẽ. Consolatur etenim nos per omnia præparata diuinitus clementissimi principis fides, quẽ in eo rursus sicut oportuit sum cohortatus alloquio, ut impijssimorum latronũ ausibus districtiore constantia faciat obuiari, quos nephas est tantũ de suo fauore prę sumere, ut etiam apud Cõstantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideo diuinæ prouidentiæ ratione permittitur, ut magis ac magis quo spiritu agitenr appareat, ne dubitari possit in quantam essent audaciam prorupturi, si post damnationẽ impijssimæ hęresis disceptandi contra fidem acciperent potestatẽ, ut quantũ in ipsis est latius hoc furore sęuirent, quem fratres & coëpiscopi nostri, qui ad nos nuper ex Aegypti partibus cõfugere, se pertulisse deplorant: quibus & à christianissimo principe & à tua fraternitate deo placita charitate solatia pietatis impendi non ambigerẽ, etiam si ipse non scriberes. Opportunũ aũt credidi ut ad ipsos quoq; scripta dirigerẽ, quę illos possint in cõmunis fidei proposito roborare, ut quid pro patientia sua superna remuneratione mereantur, agnoscerent, sicut beatus apostolus docet, dicens: Excipite itaq; illos cum gaudio in domino, & huiusmodi cũ honore habete, quoniã propter fidem Christi usq; ad mortẽ accesserunt. Illud sanè plurimũ mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuę clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniueãt prauitati, & uasa irę uasis misericordiæ misceantur: quibus inuestigandis & seueritate congrua coërcendis, debet diligentia tua uigilanter insistere, ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportuit etenim nos Euangelici meminisse mandati, quod ipsa ueritate pręcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextra scandalizauerit, manus à compage corporis auferatur, quia melius sit his in ecclesia carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superflue extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in eis quos decipiunt uulneramur. Abijcienda prorsus pestifera

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc ſacerdotali uigore patientia eſt, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Hely quondam ſacerdos filiorũ ſuorum delicta tolerando, cum ipſis diuinę iuſtitiæ ſententiam meruit experiri, quia ſegni indulgentia diſſimulauit plectere peccatores. Quantũ itaq; opportunitas inuitat officij religioſiſſimum principem dilectio tua ſtudeat frequentare, & non ſolum regiam, ſed & ſacerdotalem ipſius mentem prębibus meis obſecrare perſiſte, ut memor communis fidei, quam ſpiritu ſancto docente ſuſcepimus, omnium hęreticorũ machinamenta cõfringat, neq; quicquam illis in eccleſijs Chriſti licere patiatur, ne in eorum poteſtate ſint diuina myſteria, quibus in domo dei pro ſcelerum ſuorũ magnitudine nec habitandi ius reſidet nec orandi. Data pridie Idus Octobris, Conſtantino & Ruffo uiris clariſſimis conſulibus.

EPIST▸ XXV▸ LEONIS PAPAE AD ANATHOLIVM EPISCOPVM, ADMONENTIS NE CREDAT habitę ſynodo, in qua Dioſcuri & Iuuenalis malitia uictoriam obtinuit. Additur etiam exhortatio, ut ſumma fide, ſyncera doctrina & diligentia ſuis præſit.



ICET ſperem dilectionem tuam ad omne opus bonũ eſſe deuotam, ut tamen efficacior tua fieri poſſit induſtria, & hoc congruum fuit fratres meos Lucentium epiſcopũ et Baſilium presbyterum (ut promiſimus) deſtinare, quibus tua dilectio ſocieť, ut nihil in his quæ ad uniuerſalis eccleſiæ ſtatum pertinent, aut dubie aut ſegniter cum reſidentibus uobis quibus executionẽ noſtræ diſpoſitionis iniunximus, peragatur, ſed ea cuncta moderatione, ut nec beneuolentię partes nec iuſtitię negligant, & abſq; perſonarum acceptione diuinũ in omnibus iudiciũ cogitetur. Quod ut recta obſeruãtia ualeat cuſtodiri, catholicę primitus fidei ſeruetur integritas, ut quia per omnia anguſta & ardua uia eſt quæ ducit ad uitam, neq; in ſiniſtram, neq; ad dextrã ab eius tramite deuieť. Et quia euangelica & apoſtolica fides omnes expugnat errores, & ab uno latere Neſtorium deijcit, ab alio Euticem & participes eius elidit, hanc regulam mentetote ſeruandam, ut quicunq; in illa ſynodo, quæ nomen ſynodi nec habere potuit nec meretur, & in qua maleuolentiam ſuam Dioſcurus, imperitiam autem Iuuenalis oſtendit, dolent, ut dilectionis tuæ relatione cõperimus, ſe metu uictos & terrore ſuperatos ad cõſenſum ſceleſtiſſimi iudicij potuiſſe cõpelli, & cõmunionem catholicã obtinere deſiderant, ſatisfactioni eorum pax fraterna præſteť, ita ut non dubijs profeſſionibus Euticem cum ſuo dogmate cumq; cõſortibus ſuis anathematis execratione cõdemnent. De his aũt qui in hac cauſa grauius peccauere, & ob hoc ſuperiorẽ ſibi locum in eadẽ infelici ſynodo uindicarũt, ut humiliorum fratrum ſimplicitatem arrogantiæ ſuę prędiudicijs aggrauarent, ſi forte reſipiſcunt & à facti ſui defenſione ceſſantes in cõdemnationẽ proprij conuertunť erroris, horum ſi ſatisfactio talis accedit, quę non refutanda uideaťur, maturioribus apoſtolicæ ſedis conſilijs reſeruetur, ut examinatis omnibus atq; perpenſis, de ipſis eorum agnitionibus quid cõſtitui debeat ędimeť. Neq; prius in eccleſia, cui te dominus uoluit prę ſidere, cuiuſquã talium (ut antè iam ſcripſimus) nomẽ ad altare reciteť, quàm quid de eis cõſtitui debeat, rerum proceſſus oſtendat. De cõmonitorio uero à clericis dilectionis tuæ nobis oblato, neceſſariũ non fuit epiſtolis quid uideręť inſerere, cum ſufficeret legatis cuncta committi, quorũ ſermone ex omnibus diligentius inſtruereris. Annitere igitur frater chariſſime, ut quæ eccleſię dei congruunt, fideliter & efficaciter

& efficaciter cum his fratribus, quos tantæ rei idoneos autores elegimus, exequaris, præſertim cum ipſa uos cauſę ratio, ſpesq; diuini auxilij cohortentur, & clementiſſimorum principum tam ſancta ſit fides, tam religioſa deuotio, ut in eis non ſolum Chriſtianum, ſed etiam ſacerdotalem experiamur affectum. Qui utiq; pro pietate qua ſe dei famulos eſſe gloriantur, omnes ſuggeſtiones ueſtras fidei catholicæ profuturas dignanter accipiant, ut ipſorum quoq; ope & pax chriſtiana reparari, & error impius poſſit aboleri. Ac ſi de aliquibus amplius fuerit deliberandũ, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate cauſarum, noſtra quid obſeruari debeat ſolicitudo conſtituat. Data quinto Idus Iunij, Adelphio uiro clariſſimo conſule, era qua ſuprà.

EPISTOLA XXVI▸ LEONIS PAPAE ADMONITORIA AD SYNODVM CHALCEDONæ congregatum, ne formidine poteſtatum à uia ueritatis deflectant: & diſputandi cum hæreticis modus, etiam nõ multum exercitato in ſcripturis diuinis, præſcribitur.



OPTAVERAM quidem dilectiſſimi pro noſtri charitate collegij, omnes domini ſacerdotes in una catholicę fidei deuotione perſiſtere, nec quenquã gratia aut formidine poteſtatum ſeculariũ deprauari, ut à uia ueritatis abſcederet. Sed quia multa ſæpe quæ pœnitudinem poſſint generare proueniunt, & ſuperat culpas delinquentiũ miſericordia dei, atq; ideo ſuſpenditur ultio, ut poſſit locum habere correctio, amplectendum eſt clementiſſimi principis plenum religione conſilium, quo ſanctã fraternitatem ueſtram ad deſtruendas inſidias diaboli, & ad reformandam eccleſiaſticam pacem uoluit conuenire, beatiſſimi Petri iure atq; honore ſeruato, adeò ut nos quoq; ſuis ad hoc literis inuitaret, ut uenerabili ſynodo noſtrã præſentiã præberemus: quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paſchaſiano & Lucentio epiſcopis, Bonifacio & Baſilio presbyteris, qui ab apoſtolica ſede directi ſunt, me ſynodo ueſtra fraternitas æſtimet præſidere, non ab iniuncta à uobis præſentia mea, qui nunc in uicarijs meis aſſum, & iamdudum fidei catholicæ prædicatione non deſum, ut qui non poteſtis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare quid cupiam. Vnde fratres chariſſimi reiecta penitus audacia diſputandi contra fidem diuinitus inſpiratam, uana errantium infidelitas conquieſcat, nec liceat defendi, quod non liceat credi, cum ſecundum euangelicas autoritates, ſecũdum prophęticas uoces, apoſtolicamq; doctrinam pleniſſime & lucidiſſime per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti pia & ſyncera confeſſio. Quia uero nõ ignoramus per prauas æmulationes multarum eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſq; epiſcopos qui hæreſim non reciperent ſedibus ſuis pulſos & in exilia deportatos, atq; in locum ſuperſtitum alios ſubſtitutos, uulneribus his primitus adhibeatur medicina iuſtitiæ, nec quiſquam ita careat proprijs, ut alter utatur alienis, cum ſi, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, ſed illis qui pro fide laborauerunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari. Prioris autem Epheſinæ ſynodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus epiſcopus tunc præſedit, in Neſtoriũ ſpecialiter ſtatuta permaneant, ne tunc dam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nata impietas ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutices iusta execratione percellitur. Puritas enim fidei atq; doctrinę, quam eodem quo sancti patres nostri spiritu prædicamus, & Nestorianam & Euticianam cum suis autoribus condemnat pariter & persequitur prauitatem. Data quinto Calendas Iulij, Adelphio uiro clarissimo consule.

EPISTOLA XXVII. LEONIS PAPAE AD ANATHOLIVM EPISCOPVM, QVA PARTIM suæ inaugurationis, quam dolo assecutus erat, admonetur, partim quod Nicenæ synodi constitutiones reiiciat culpatur. Similiter ne altum sapiat, sed timeat, ne aures principum improbis petitionibus oppleat, admonet.

MANIFESTATO sicut optauimus per gratiam dei lumine euangelicę ueritatis, & ab uniuersali ecclesia pernicioſissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in domino quod creditę nobis dispensationis labor ad desideratum peruenit effectum, sicut etiam epistolę tuę textus eloquitur, ut secundum apostolicam doctrinam idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. In cuius operis deuotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem, ut & corrigendis tua prodesset industria, & ab omnite deuiantiũ participatione & factione purgares: prædecessore enim tuo beatæ memoriæ Flauiano propter defensionem catholicę ueritatis eiecto, nõ immeritò credebatur, quod ordinatores tui contra sanctorũ canonum constituta uiderentur sui similem consecrasse. Sed affuit misericordia dei, in hoc te redigens atq; cõfirmans, ut malis principijs bene utereris, & non te iudicio hominum, sed dei prouectum benignitate monstrares. Quod ita accipiendum est, si hanc diuini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum etiam catholicum & præcipue domini sacerdotem sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate uiolari, dicente quippe scriptura sancta, Post concupiscentias tuas non eas, & à uoluntate tua uetare. Multis mundi huius illecebris, multis uanitatibus resistendum est, ut ueræ cõtinentię obtineatur integritas, cuius prima est labes superbia, initium transgressionis, & origo peccati. Quoniam mens potentiæ auida, nec abstinere nouit à uetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato prauoq; processu impunitarum transgressionum augentur excessus, & crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ & amore concordiæ. Post illa itaq; ordinationis tuæ non culpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi quam tibimet contra canonicam regulam uendicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicenorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquã opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis iuri tuo subditis omnes metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis & nunquam antè tentatis ita priueris excessibus, ut sanctam synodum ad extinguendam solum hæresim & confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniuentiam suam tibi det impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicite uoluerit multitudo, & illa Nicenorum canonum per sanctum uere spiritum ordinata conditio

ditio aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neq; trecentis illis decem atq; octo copiosior numerus sacerdotum, comparare se audeat & præferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicena sit synodus consecrata, ut siue per pauciores, siue per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus autoritate sit uacuum quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua quæ sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria: in totius ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti uoluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotium conuocatos, ad consentiendum sibi deprauando compelleret. Inde enim fratres nostri ab apostolica sede directi, qui uice mea synodo præsidebant, probabiliter atq; constanter illicitis ausibus obstiterunt, aperte clamantes, ne contra instituta Nicena præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret: nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis uoluerint obuiare. In quo eos quidem multum mihi hæc scribendo commendas, sed temetipsum, quod eis parêre nolueris, dum illicita moliris accusas, superflue nõ concedenda appetens, & salubriter contraria concupiscens, quæ nullum unquam potuerunt nostrum obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea ut tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur, ac nõ potius & meo & omnium qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt opere subruatur. Sancti illi & uenerabiles patres qui in urbe Nicena sacrilego Arrio cum sua impietate damnato mansuras usq; in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus munierũt, et si quid usquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla cõmutatione uarientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonũ sunt commune præfixa: & manentibus terminis quos constituerunt patres, non inuadat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos prout quis ualuerit in latitudine se charitatis exerceat, cuius satis uberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis uirtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis infletur. Noli frater altum sapere, sed time, & Christianissimorum principum pijssimas aures improbis petitionibus inquietare desiste, quibus certum habeo modestia te magis quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam episcoporum ante sexaginta (ut iactas) annos facta subscriptio, nunquam à prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ dudumq; collapsæ, sera nunc & inutilia subijcere fomenta uoluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis quam tibi in suam iniuriam uerecundia fatigata præberet. Memento quid dominus ei qui unum de pusillis scandalizauerit comminatur, & sapienter intellige quale sit iudicium dei subiturus, qui tot ecclesijs, tot sacerdotibus scandalum inferre non metuit: fateor enim ita me dilectione uniuersæ fraternitatis obstringi, ut nemini prorsus in his quæ contra se poscit assentiat, possisq; euidenter agnoscere me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, ut saniore consilio ab uniuersalis te ecclesiæ perturbatione contineas. Non conuellantur prouincialium iura primatum, nec priuilegijs antiquitus institutis metropolitani antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ sedi eius quam per sanctum Marcum euangelistam beati Petri discipulum meruit pereat dignitatis. Nec Dioscuro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochæna quoq; ecclesia, in qua primum prædicante apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes, & magnus unicuiq; honor est integri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas ſua, quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in Conſtantinopolitanæ urbis magnificentia poteſt eſſe glorioſa, ſi per obſeruantiam tuam & defenſionem paternos canones & exemplũ probitatis multi habeant ſacerdotes? Hæc tibi ſcribens frater in domino hortor ac moneo, ut depoſito ambitionis deſiderio, ſpiritu potius ferueas charitatis, eius quoq; uirtutibus ſecũdum doctrinam apoſtolicam proficienter orneris: eſt enim patiens, & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. Vnde ſi charitas non quærit propria, quantum peccat qui concupiſcit aliena? A quibus uolo ut te prorſus abſtineas, memor ſis ſententiæ quæ dicit: Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam ſi inconceſſa quæſieris, ipſe tuo opere atq; iudicio uniuerſalis eccleſiæ pace priuaberis. Frater autem & coepiſcopus noſter Lucianus & filius noſter Baſilius diaconus, quantum in ipſis fuit ſtudioſe his quæ eis iniunxeras affuere, ſed actioni eorũ iuſtitia negauit effectum. Data XI. Calend. Iulij, Herculiano uiro clariſſimo conſule, æra qua ſuprà.

EPISTOLA XXVIII. LEONIS PAPAE MARTIANO AVGVSTO PER LVCIANVM Epiſcopum & Baſilium diaconum tranſmiſſa, de ambitu Anatholij.

MAGNO munere miſericordiæ dei totius eccleſiæ catholicæ multiplicata ſunt gaudia, cum ſancto & glorioſo clementiæ ueſtræ ſtudio pernicioſiſſimus error extinctus eſt, ut labor noſter citius ad deſideratum peruenire effectum, quàm deo ſeruiens principatum & fidem & poteſtatem iuuiſſet. Quia etſi in uirtute ſpiritus ſancti inter quaslibet diſſenſiones per ſedis apoſtolicæ famulatum euangelij erat defendenda libertas, manifeſtior tamen apparuit gratia dei quæ præſtitit mundo, ut in uictoria ueritatis autores tantum uiolatæ fidei deperirent, & ſua integritas eccleſiæ redderetur. Bellum igit̃ quod noſter inimicus excitauerat, à deo feliciter dextera domini pugnante confectum eſt, ut triumphante Chriſto omnium ſacerdotũ eſſet una uictoria, & coruſcante lumine ueritatis, erroris tenebræ cum ſuis aſſertoribus pellerentur. Nã ſicut in ipſa domini reſurrectione credenda ad corroboranda initia fidei multum ſecuritatis acceſſit, quod quidã Apoſtoli de corporea domini noſtri Ieſu Chriſti ueritate dubitauere, & uiſu atq; contactu fixuras clauorum, & uulnus lanceæ perſcrutando, ambiguitatem cunctis dum ambigunt abſtulerunt: ita nunc quoq; cum aliquorum infidelitas confutatur, omnium hæſitantium corda firmata ſunt, & profecit uniuerſis ad illuminationẽ, quod quibuſdam intulit cæcitatem. In quo opere digne & iuſte exultat ueſtra clementia, quæ fideliter proprieq; proſpexit, ut orientalibus eccleſijs diabolicæ inſidiæ non nocerent, ſed ad propitiandum deum efficaciora ubiq; offerrentur holocauſta, quando per mediatorẽ dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum eadem confeſſio plebium, eadem ſacerdotum, eadem eſſet & regum. His autem propter quæ tanta facta eſt congregatio ſacerdotum, bene & optabili ſine compoſitis, miror & doleo quod pacem uniuerſalis eccleſiæ diuinitus reformatam, ambitionis rurſus ſpiritus inquietat. Quamuis enim neceſſarie ſibi frater meus Anatholius conſuluiſſe uideatur, ut ordinatorũ ſuorum errorem deſerens in aſſenſum catholicæ fidei ſalubri correctione tranſiret, cuſtodire tamen debuit, ut quod ueſtro beneficio noſcitur conſequutus, nullius prauitatis

tatis cupiditate turbaret. Nos enim ueſtræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cum ſecundum ſuę conſectationis autores eius initia turbarent, benigniores circa ipſum quàm iuſtiores eſſe uoluimus, quo perturbationes omnes quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus, quæ illum modeſtũ magis quàm immoderatum facere debuere. Qui etiam ſi præcipuis meritis, optimoq; iudicio legitime fuiſſet ac ſolenniter ordinatus, contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra ſancti ſpiritus inſtituta, contra antiquitatis exempla, nullis poſſet ſuffragijs adiuuari. Apud Chriſtianum & uere religioſum, uereq; orthodoxum principem loquor. Multum Anatholius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere optat augmento. Habeat ſicut optamus Conſtantinopolitana cunctam gloriam ſuam, ac protegente dextera dei, diuturno clementiæ ueſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſecularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit ulla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit quod prædicto ueſtræ pietas auxilio, & mei fauoris aſſenſu, epiſcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam apoſtolicam non poteſt facere ſedem: nec ullo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſiones augeri. Priuilegia enim eccleſiarum ſanctorum patrum canonibus inſtituta, & uenerabilis Nicenæ ſynodi fixa decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere auxiliante Chriſto fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeueranter exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt: & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum quę in ſynodo Nicena ad totius eccleſiæ regimen ſpiritu dei inſtruente ſunt conditæ, me (quod abſit) conniuente uiolentur, & maior ſit apud me unius fratris uoluntas, quàm uniuerſæ domus domini communis utilitas. Et ideo ſciens glorioſam clementiam ueſtram eccleſiaſticæ ſtudere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt unitati, pijſſimum præſtare conſenſum, precor & ſedula ſuggeſtione uos obſecro, ut auſus improbos unitati Chriſtianæ pacíq; contrarios, ab omni pietatis ueſtræ abdicetis aſſenſu: & fratris mei Anatholij nocituram ipſi, ſi perſtiterit, cupiditatem ſalubriter comprimatis, ne ea quæ ueſtræ gloriæ atq; temporibus inimica ſunt cupiens, maior ſuis uelit eſſe prioribus: liberumq; illi ſit quantis potuerit ſplendere uirtutibus, quarum non aliter particeps erit, niſi charitate magis uoluerit ornari, quàm ambitione diſtendi. Hanc autem improbi deſiderij conceptionem, nunquam debuit intra cordis ſui recipere ſecretum, ſed cum illi fratres & coëpiſcopi mei, qui uice mea aderant, obuiarent, ab illicito appetitu eorum ſaltem ſalubri contradictione ceſſaſſe. Nam & ueſtræ pietatis apices, & ipſius ſcripta declarant, legatos ſedis apoſtolicæ (ſicut oportuit) contradictione iuſtiſſima reſtitiſſe, ut inexcuſabilior eſſet præſumptio, quæ ſe nec increpata cohiberet. Vnde quia conuenit fidei ueſtræ uel gloriæ, ut ſicut hæreſis deo per uos agente deſtructa eſt, ita etiam omnis ambitus retundatur. Agite quod & Chriſtianæ eſt probitatis & regiæ, ut prædictus Epiſcopus pareat patribus, conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quod Antiochenum ſine ullo exemplo contra ſtatuta canonum Epiſcopum ordinare præſumpſit, quod amore reparandæ fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſauimus. Abſtineat ergo ab eccleſiaſticarum iniuria regularum, & illicitos declinet exceſſus, ne ſe ab uniuerſali eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat. Quem opto magis irreprehenſibiliter agentem diligere, quàm in hac præſumptione quæ illum ab omnibus poterit ſeparare, perdurare. Frater autem & coëpiſcopus meus Lucianus, qui cum filio meo Baſilio diacono clementiæ ueſtræ ad me ſcripta portauit, omni deuotione partem ſuſceptæ legationis impleuit, quia non eſt æſtimandus

Universidad de Deusto
Biblioteca

negotio defuisse, quem potius causa deseruit. Data XI. Calendas Iunij, Herculano uiro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXIX. LEONIS PAPAE AD MONITORIA AD PVLCHERRIMAM AVgustam, de ambitu Anatholij, & de autoritate Concilij Niceni.

SANCTIS & deo placitis clementiæ uestræ studijs defensam contra hæreticos catholicam fidem, & uniuersæ ecclesiæ redditam pacem ineffabiliter cum uestra pietate gaudemus, gratias agentes misericordię omnipotentis dei, quod exceptis his, qui magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, neminem passus est euangelica ueritate fraudari, ut absterſa erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, nec de infirmis quorundam animis tenebrosus ille exultaret inimicus, quem non solum hi qui illęsi steterant, sed etiam quos fecerat nutare, superauerunt, ut errore abolito, per totum mundum fides uera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Confirmato autem in unitate euangelij uniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omniũ sacerdotum, optimum fuerat supra illa propter quæ sancta est synodus congregata, & quæ secundum pietatis uestræ studium probabili sunt fine concluſa, nihil quod tanto bono contrarium esset inferri, nec per occasionem episcopalis concilij id in commune appeti, quod non licuit concupiſci: frater enim & coëpiscopus meus meus Anatholius parum considerauit quanto pietatis uestræ beneficio, & mei fauoris assensu, Constantinopolitanæ ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gauisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris abscessus est, credens huic tam imperanti cupiditati posse prodesse quorundam consensum, quem ei præbuisse dicitur extorta subscriptio, cum tam destruendis mox conatibus contradictio fratrum, & coëpiscoporum meorum uicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum canonum quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicena spiritualibus sunt fraudata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita ut si quis diuersum aliquid decernere uelit, se potius minuat quàm illa corrumpat: quæ si (ut oportet) à cunctis pontificibus intemerata seruentur, per uniuersas ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina, sed ea quæ iure charitatis rationabilis est, & morum, & officiorum seruabitur unanimitas. Et ille uere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente domino: Quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister. Et quicunque uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo uolebant crescere, & de infimis ad summa transire. Cõstantinopolitanæ uero præsul ecclesiæ, quoniam amplius quàm assecutus est concupiscit, quidnam illi satisfaciet cui tantæ urbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum ultra fines proprios tendere, & antiquitate cal cata alienum ius uelle præripere, atq; ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisq; prouincijs, & olim sanctæ synodi Nicenę moderatio-

deratione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque ut uenerabilium patrum decreta soluantur, quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est uelle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoscat cui successit uiro, & repulso omni spiritu elationis, Flauiani modestiam, Flauiani humilitatem, quæ illum usque ad confessoris gloriam prouexit, imitetur. Cuius si uelit splendere uirtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, sed promerendo diuina. Hæc autem obseruantia eum quoque illi animum spondet copulandum, & apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate uiolandam. Quia si interdum immoderati præsules aliquas incidunt culpas, ecclesiarum tamen Christi integra gratia perseuerat. Consensiones uero episcoporum sanctorum canonum apud Nicenam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum uestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per autoritatem beati Petri apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum, per trecentos decem & octo antistites spiritus sanctus instituit, ita ut etiam si multo plures alij quàm illi statuêre decernere, in nulla reuerentia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorum constitutione diuersum. Prolixitatem itaq; epistolæ meæ qua necesse habui explicare quid sentiam, rogo ut per fratrem & coëpiscopum meum Lucianum, qui (quantum in ipso est) solicitudinem susceptæ legationis est fideliter executus, & per filium meum Basilium diaconem pietas uestra dignanter accipiat. Et quia moris uestri est pro pace & unitate ecclesiæ laborare, fratrem meum Anatholium Episcopum ex uestra insinuatione dilectum, salubriter in his quæ ipsi profutura sint continete, ut gloria clementiæ uestræ, sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa. Data XI. Calendas Iunij, Herculano uiro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXX. LEONIS PAPAE QVA MARTIANVM AVGVSTVM ADHORTATVR, quo sua autoritate interposita, synodi Chalcedonensis constitutiones per uniuersas Christiani orbis ecclesias confirmet: hoc enim gaudium pijs, tristitiam autem impijs & timorem inferre, ut deinceps nihil contradicant his constitutionibus.

MVLTA mihi in omnibus clemẽtię uestrę literis causa gaudij est, dum ex magna prouidentiæ diuinæ misericordia præstitum humanis rebus experior, quod ecclesiasticã pacem, (quę non nisi unitate prædicationis euangelicæ custoditur) pijssimo studio iuuare dignamini, ut fidei uestrę gloria non solum utilitate reipublicæ, sed etiam religionis profectibus augeatur glorioſissime Imperator. Vnde ineffabiliter deo gratias ago, qui temporibus quibus obortura hæreticorum scandala præsciebat, uos imperij fasti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gio collocauit, in quibus ad totius mundi salutem, & regia potentia, & sacerdotalis uigeret industria. Nam uestro præcipue opere est effectum, ut per synodale concilium damnatis impij dogmatis defensoribus, omnes uires sacrilegus error amitteret: ad eiusdem deuotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunq; reliquijs deleatur. Quod facilius clementia uestra arbitretur implendum, si per uniuersas ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis apostolicæ sedi placuisse doceantur: de quo quidem ratio nō fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendi consensus accesserit, quæ ad me secundum Apostolicam doctrinā, ac paternas traditionis emissa est, & per fratrem meum Lucianum Episcopum talia ad gloriam uestram, & ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim, quæ euidenter ostenderent me ea quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem literis ea quæ per occasionem synodi male sunt attentata reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ deo per uos operante collatum est, quod probasse uos obseruantiam de custodia canonum paternorum pietatis uestræ affatibus indicastis: & meritò geminatur gaudium meum, cum uobis religiosissime placere cognosco, ut fides Nicena suam teneat firmitatem, & priuilegia ecclesiarum illibata permaneant. Quamuis autem de præclaro fidei uestræ opere, nihil uestra pietas indicarit mihi, tamen per ueneratorem unà mecum spiritualiter uestram pietatem per fratrem meum Iulianum Episcopum innotuisse significo, quam pio dignati fueritis responso imperitorum monachorum animos cohibere pariter & docere, ut si illos non penitus deseruerit diuina miseratio, sentiant se & didicisse quod credant, & agnouisse quod timeant. Quia uero omnibus modis obediendum est pietati uestræ, religiosissimæq; uoluntati, constitutionibus synodalibus quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & hęreticorum damnatione placuerunt, libens adieci sententiam meam. Quæ si ut in notitiam omnium sacerdotum Ecclesiarumq; perueniat, uestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, affuturam credo, & spero gratiam dei, quæ tam sanctam tanti principis curam plenissimi desiderij sui fructum faciat obtinere, ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, Apostolicæ ubiq; doctrinæ & pax regnet, & ueritas. Fratri autem meo Iuliano Episcopo nouerit uestra clementia hoc me proprie delegasse, ut quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine uestræ fidu-
cialiter suggerat pietati, quoniam certus sum uos ad hęc omnia emendanda uel defendenda (Deo auxiliante) sufficere. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione uiro clarissimo consule, Era, CCCCXVI.

MARTIANVM AVGVSTVM, COMMENDATITIA, in qua etiã hæreses fugere, pacem seruare, & à patrum constitutionibus temere non debere discedere, docet.

DVRITATEM fidei Christianæ, qua clemẽtia uestra pręfulget, etiam his literis, quas frater & coëpiscopus meus Nestorianus detulit demõstratis, iustissimũ fratri meo Proterio Alexandrinæ urbis antistiti impendentes fauorem, quo mihi per omnia esset acceptior, est uidere. Nam cui uestra pietas testimoniũ perhibere dignaẽ, indubitanter esset probandus etiã si taceret. Sed accedit ad gratiã, quod proprio quoque sermone cognoscit, & quàm syncerus sit catholici dogmatis prędicator, ipsius professione clarescit. Vnde plenissimo affectu dilectionẽ orthodoxi fratris amplector, & deo gratias ago, quod amoto eo qui Euangelio Christi uoluit contraire, & à sanctorũ patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & uita. Nam cum amplecti se epistolam meam quam ad beatę memoriæ Flauianũ contra Euticem impium misi toto corde profitetur, quid aliud quàm Apostolorũ se discipulum ostendit: quoniã doctrina ueritatis in lumine suo permanet, & non potest esse diuersum quod unum est atq; diuinũ. Rescripsi itaq; prędicto fratri quod debui, atq; in sancto studio ut perseueraret, admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ uestræ cohortationibus adiuueẽ. Nec in aliquo eũ terreat quorundã imperita dissensio, quos paucorum hæreticorũ instigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod sua ergo diligentia assequi nequeunt, opportune eorũ insinuetur auditui. Et ne memoratus noua inferre, & propria uideatur astruere, uenerabilium patrum qui eidem Ecclesiæ præfuerũt, scripta relegantur, & quid beatus Athanasius, quid Theophylus, quid Cyrillus, quid etiã Orientales magistri de incarnatione domini sentiant, recognoscant. Nec repullulantibus decipiatur erroribus, qui olim Euangelici sermonis sunt uirtute prostrati. Quoniam omnes ferè hæreses quæ diuersis temporibus extiterunt, dum sacramentũ corporeæ natiuitatis & passionis ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab Euangelio deuiarũt. Et possumus minus laborare in hæreticis repellendis, si rudes animos ipsa non turbarent mendacia, quæ peremit antiquitas. Sed nunc (ut dixi) hic docendi optimus modus est, ut paternorũ sensuum linea Alexandrinæ plebis & cleri auribus innotescat, ac si qui sunt qui nostra scripta despiciant, illis saltem qui nobiscum Apostolicis sensibus congruunt, acquiescant. In quo opere multum consacerdotis mei deuotione gaudebo, & semper ipsius unanimitate lætabor, quia fraterna pax non nisi una fidei confessione seruatur. Quia uero quorundã hæreticorũ uersuta nequitia ad conturbandam aliorũ simplicitatem, epistolã meam quam ad beatæ memorię Flauianũ dedi falsasse perhibetur, ut cõmutatis quibusdam uerbis uel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris asserem, obsecro uenerabilẽ clementiã uestrã, ut eandẽ epistolã per fratrem meum Iulianũ Episcopũ, uel eos quos idoneos ad opus pietas uestra delegerit, in græcum sermonem iubeatis integre diligenterq; translatam per idoneum latorẽ sub uestri signaculi impressione deferri, tradendã iudicibus Alexandrinis, qui eam clero & plebi ipsius ciuitatis cum prædictorũ episcoporũ prædicationibus, qui & meo scripto consentiunt, faciant recitari, ut agnoscant se fallacium hominum fraudi ulterius non deberi, & probentur Apostolicæ sedis synceri esse discipuli, apud quam nec Eutices nec Nestorius ullũ obtinent locũ: quia sicut alios hæreticos ita, & istos Ecclesia uniuersalis damnauit. Data VI. Idus Martij, Etio & Studio uiris clarissimis consul, Era, CCCCXCII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA XXXII. LEONIS PAPAE

QVA LAVDAT MARTIANVM AVGVSTVM, OB diligentem curam, quò pax ecclesiæ constet, & admonet Euticem in secretiorem locum detrudi debere, ne alios suo errore inficiat, adhibitis doctis in diuinis scripturis qui eum instruere possint.

QVOD sæpissime per multa iam experimenta sanctum pietatis uestræ studium circa religionem Christianam glorioſis perseuerat & crescit augmentis, & hæc fides uestræ clementiæ non solum me, sed & omnes domini sacerdotes consolatur & robo rat, dum in Christianissimo principe sacerdotalem experimur affectum, quem si Orientalium partium sacerdotes studeant imitari, nihil scandalorum, neq; pax, neq; fides Christiana patietur. Vnde cum Cõstantinopolitanus Episcopus ad omnem pietatis profectum præsenti clementię uestrę doceatur exemplo, si fideliter uestris acquiescat hortatibus, habet in me syncerę gratiæ animum, tantum ut quod uerbis spondet corde perficiat. Si uero quæ deo & pietati uestræ displicent pertinaci intentione delegerit, salua mansuetudinis uestræ reuerentia, utar cum omnibus & pro omnibus uobis quoq; annitentibus aduersum superbientem liberiore constantia, quem (quod sæpe dicendum est) mallem pro sanctis actibus fraterna charitate complecti glorioſissime Imperator. Quia uero suggestiones meas pro tranquillitate catholicæ fidei libenter accepistis, significatũ mihi fratris & coëpiscopi mei Iuliani sermonem cognoscite, Euticem impium pro suis quidem meritis exulare, sed in ipso suę damnationis loco multa aduersus integritatẽ catholicam blaspheniarum desperatius uenena profundere, & quod in illo totus mundus horruit atq; damnauit, impudentia maiore, ut innocentes decipere possit, euomere. Plenum itaq; rationis æstimo, ut uestra clementia ad longinquiora eum iubeat & secretiora transferri. Monasterio uero eius Constantinopoli constituto, in quo habitatores ipsius monachi euangelica apostolicaq; doctrina crebrius sunt & plenius roborandi, salubriter (ut arbitror) fiet, si is qui ipsi monasterio præpositus esse dicitur, à societate uenerato ris uestri Iuliani Episcopi quem in speculis propter fidem illic esse constitui, non recedat, cuius assidua uisitatione profectus seruorum dei illic habitantium possit augeri. Petitionem autem de festiuitate paschali gaudeo ita à uestra pietate susceptã, ut confestim agentem in rebus Alexandriam mitteretis de errore remouendo, quem sanctæ memoriæ Theophyli constitutio uidetur inferre: de qua re, sicut scribere dignamini, quicquid ad pietatis uestræ notitiam perlatum fuerit, iubete me nosse, ut de obseruantia quam non licet esse diuersam, quid potissimum sit tenendum ecclesia uniuersalis agnoscat. Precor autẽ, quod uestræ noui clementiæ conuenire, ut eos maxime tueamini contra omnes insidias, quos mihi & uestræ mansuetudini propter amorẽ dei placere cognoscitis, ut eos Constantinopolitanus Episcopus lędendi non habeat facultatem. Data XVII. Calend. Maij. Etio & Studio uiris clarissimis consulibus. Era qua suprà.

EPISTOLA XXXIII. LEONIS PAPAE

CONSOLATORIA AD IVLIANVM EPISCOpum Choënsem de Etio & Andrea, de hæresi Nestoriana & Euticiana repullulante, & de alijs nonnullis rebus, quæ Euangelij ministrum, qui assiduo uigilare debet, instructiorem reddunt ad omnes satanæ insultus.

AGNOVI in dilectionis tuæ literis fraternę charitatis affectum, quod de multis malis quæ multa & sæua pertulimus, pio nobiscum dolore compateris. Sed hæc quæ perpeti nos dominus aut permisit, aut uoluit, ad correctionem proficiant multorum, & ut desinant aduersitates, finiantur offensæ. Quod utrunq; de magna erit misericordia dei, si & flagella remoueat, & ad se suorum corda conuertat. Sicut autem fraternitatem ea quæ apud nos fuit contristauit hostilitas, ita me anxium facit quod in Constantinopolitana Ecclesia (quantum tuæ indicant literæ) hæreticorum insidiæ nõ quiescunt, & quæsitis occasionibus hi qui catholicæ fidei defensores fuere uexantur. Nam dum Etius ab officio archidiaconatus per speciem prouectionis amouetur, & in locum eius Andreas qui ob hæreticorum societatem fuerat abiectus, assumitur, dum beatæ memoriæ Flauiani accusatoribus honor redditur, & pijssimi confessoris participes, aut discipuli conteruntur, nimis aperte qui Christo & Ecclesiæ ipsius placeat, demonstratur. In quem pro causæ merito differo commoueri, & quid ipse mecum suis epistolis agat, quas missurum eum filius noster Etius indicauit, expecto, dans locum uoluntariæ emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementissimo tamen principi & pijssimæ Augustæ de his quæ ad custodiam pacis Ecclesiasticæ pertinent, scripsi, quos deuotione suę fidei prouisuros esse non dubito, ne contra gloriam operis ipsorum damnata hæresis queat pullulare. Studeat ergo dilectio tua frater chariſſime, piam & necessariam curam solicitudini Apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos & Euticianos hæreticos actionem materno iure commendat, ut diuino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas, & prædictorum dogmatum impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est glorioſorum principum clementia, ut confidenter eis possis quæ sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesię uniuersalis utaris. Consulente autem dilectione tua de his in quibus putaueris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio, ut sequestrata earum actione, causæ quæ in quibuscunq; Ecclesijs præsulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura uice mea functus utaris, ne hęresis Nestoriana uel Euticiana in aliqua parte reuiresçat, quia in Episcopo Constantinopolitano catholicus uigor non est, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua est æstimatione solicitus. Cum si quid illi inesset spiritualis industriæ, ita & à quibus ordinatus sit, & cui uiro succesſerit, cogitare deberet, ut magis beatum Flauianum, quàm sui honoris sequeretur autores. Et ideo cum pijssimi principes secundum obsecrationes meas dignati fuerunt fratrem Anatholium de his quæ meritò in querelam ueniunt increpare, uigeat charitas tua diligentia sua, ut uniuersa scandala adhibita pleniſſima correctione resecentur, & ab filij nostri ac tua cesset iniuria. Nam apud catholicum Episcopum, etiam si erat utcunque decus sacerdotale, sacerdoti archidiaconus propter fidei reuerentiam debuit præmitti potius, quàm locum

catholici nequissimus hæreticus obtineret. Cum itaq; quæ sequantur agnouero, tunc manifestius quid agi oporteat æstimabo. Nam interim dolore cohibito, malim indulgere patiẽtię, ut locus esset ueniæ. De Palęstinis uero monachis qui iampridẽ in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moueantur ignoro: neque cuiusquã sermone mihi patefactum est, quas causas uideantur antefactæ præferre discordiæ, utrum scilicet Euticianæ peruersitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant ipsum in hanc suã impietatẽ nõ posse traduci, quæ contra ipsorum locorum sanctorũ testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis dominicæ ueritate desciuerit, & quod in alijs per indulgentiam curare placuit, in illo putent non esse ueniale. Vnde cupio me super his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur, quia aliud est contra fidem impie armari, aliud in errore quempiam detineri. Chartas etiam quas Actius presbyter ante indicauit esse directas, & breuiariũ fidei quod te misisse significas, necdum ad me noueris peruenisse: unde si expeditior occasio se præbuerit per latores, libenter habeo, ut si qua est quæ utilis uideatur, quamprimũ ad me mittatur instructio. De Aegyptijs monachis quàm quieti, aut cuius sint fidei scire desidero: & de Alexandrinæ Ecclesiæ pace quid ad uos ueris nuncijs perferatur, ad cuius Episcopum uel ordinatores ipsius, seu clericos, quod alia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te uolui. Ad clementissimum quoq; principem, & religiosissimã Augustam quis nunc meus sermo sit, missa exemplaria docebunt. Vtrum autẽ epistola mea de incarnationis dominicæ fide, quã incolumi adhuc sanctæ memoriæ Flauiano ad dilectionẽ tuam per Basilium diaconum miseram, fraternitati tuæ tradita sit, scire desidero: quoniam suspectum habeo, quod de eius textu nullum unquam iudicium reddidisti. Gestorum synodalium quæ omnibus diebus concilij in Chalcedonensi ciuitate confecta sunt, parum clara ob linguæ diuersitatẽ apud nos habẽ instructio, & ideo fraternitati tuæ specialiter iniungo, ut in unum codicem uniuersa facias congregari, in latinum sermonem absolutissima interpretatione translata, ut in nulla parte actionum dubitare possimus, necq; ullo modo esse possit ambiguum quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum. Data v. Idus Martij, Opilione uiro clarissimo consule.

EPISTOLA XXXIIII. EIVSDEM LEONIS PAPAE, MARTIANVM AVGVSTVM ADmonentis de Andrea Eutichianista, ne tam subitò in Episcopi munus assumatur, ne quando ædificare debeat, destruat: & alia quædam utilia.

QVÀM excellenti pietate & quàm glorioso clementiæ uestræ studio in integrum nuper fides Christiana reuocata sit, totus mundus agnoscit, & saluti suæ singulare præsidium per uos à domino esse reparatum: ac si quid aduersum tanti operis consummationem de cõtrario spiritu sentitur oboriri, necesse est ut ad uestræ reuocetur pietatis auxilium, quod ad custodiam catholicæ ueritatis diuina prouidentia præparauit, ut cum potestatis uestræ sit, scandala etiam in longinquũ nata resecare, multo magis ea quæ sub uestris audent oculis surgere, non sinatis accrescere. Anatholij Episcopi ordinationem (sicut scientia dei testis est) suspectam, quod fatendum est, mihi fecerant consecrationis eius autores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum, secutumq; est, ut dum cõmunione Apostolicæ sedis existeret alienus, diu dandis ad eum

eum epistolis pacis me abstinerem. Sed cum illi pietatis uestræ testimoniũ suffragaretur, cum de fide atq; unanimitate eius optanda quæq; & placitura promitteret, professionem eius ita credidi esse synceram, ut tandem qua obseruantia se agere deberet, non desinerem cõmonere, sedulò ipsi ac diligenter inculcans, ut de persecutoribus beatæ memoriæ Flauiani neminem auderet in suo habere consortio, & Euticianæ hæreseos defensorem à se indicaret esse deiectum. Secutumq; est ut de his quæ pro catholica fide in synodali Cõcilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia catholicũ sacerdotem scribere congruebat. Cum ergo ad cõmendanda ipsius primordia ista præcesserint, quid causę aut occasionis emerserit, ut uirum catholicæ fidei, & Nestorianis atq; Euticianis hæreticis cõstanter etiam aduersum, archidiaconũ sub honoris specie degradaret, & dispensationem totius causę & curæ ecclesiasticæ in Andream Euticianistam repente transferret, adeò nimia cõmotione turbatus ut consecrationẽ quam pro iniuria dabat, sexta sabbati traditionis Apostolicæ ut nescius aut oblitus inferret, quasi nõ ad Episcopum magis quàm ad presbyterum ordinationis illius uitium pertineret, qui non inueniens quid argueret in fide, quod improbaret in moribus deiectionẽ innocentis per speciem prouectionis impleuit, addens sententiæ illud iniuriæ, ut eum cœmiterio deputando condemnaret exilio. Quem tamen pietati uestræ cõmendare præsumo, ne ullis ulterius noxijs ingrauari possit aut insidijs, quem dominus (ut comperi) sub uestra defensione constituit. Adijcio autem etiam hanc obsecrationem, ut prędictũ Episcopum à professione sua dissonum, & nimiũ testimonij uestri ac fauoris oblitum, necessariè increpare dignemini. Cesset catholicos infestare, cesset eos qui sanctæ memoriæ Flauiano placuere conterere, & eorum societatem quos improbauit eligere: fraternam enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quàm ut se ab inimicis catholicæ fidei approbet execrari, eorumq; à se consortium atq; commerciũ abscindat: qui etiam si magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reuersus errorem, catholicis diaconibus postponi debet, non præponi. Illud quoq; clementiæ uestræ beneuolentiã peto, ut ueneratorem nostrum fratrem meum Iulianum Episcopũ in uestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu, cuius obsequijs præsentiæ meæ uobis imago reddatur. Nam & de fidei eius synceritate confidens, uicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegaui, atque propter Ecclesiarum pacisq; custodiam, ut à comitatu uestro nõ abesset exegi, cuius suggestiones pro concordia catholicæ unitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes deo, qui uobis præter regiam coronã etiam sacerdotalem conferat palmam. Data VI. Martij, Opilione uiro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXV. LEONIS PAPAE AD PVLCHERRIMAM AVGVSTAM, IN QVA inconstantiam Episcopi Etij deplorat, admonens diligenti examinatione opus esse, antequam quis in Episcopum eligatur.

VLTIS extantibus documentis quibus in dilectionem Ecclesiæ dei pietatis uestræ manifestatur affectio, meritò quotiens aliquid nascitur scandalorũ, uestrum desideratur auxilium, ut fides quæ annitentibus uobis contra hæreticorũ cõmenta defensa est, securæ pacis perpetem obtineat firmitatẽ. Nam quid prodest foris aduersarios ueritatis oppressos, si eosdem habeamus intra dominica septa rediuiuos? Quod itaq; circa personã filij

Universidad de Deusto
Biblioteca

mei Etij gestum esse cognoui, nimium me anxium facit, & metuere certa ratione compellit, ne pœnitendum mihi sit, quod de Episcopo Constantinopolitano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, uobis adhortantibus acquieui meliora sentire, cum tanto pietatis uestrę testimonio iuuaretur, ne illum grauaret suæ ordinationis infirmitas, ubi uestra interuentio præstaretur. Vnde gratulari cœperam, quod beati Flauiani honoraret memoriã, & hæreticorũ conatibus obsistere dicere tur. Sed doleo illum, sicut prædicti lachrymabilis querela demonstrat, in deteriora mutatum, & eum nunc cõstituisse archidiaconem, quem ipse professus est à se esse reiectum, qui Euticianæ hæresis se apud nos prodiderat defensorem: quem quia nunc ecclesiasticis negotijs præposuit, propter hæreticam peruersitatẽ eidem fauorem suum præstare conuincitur. Qui etiam si magna satisfactione potuisset indulgentiã promereri, nequaquam debuit his qui in fide permanserant, anteferri. Vnde quia non latet clementiã uestram, quantum periculi, aut per pudendam socordiam, aut per dolosam nequitiã nutriatur, dignamini Episcopũ ad professionẽ suæ fidei autoritate uestræ clementiæ reuocare, ne sibi has maculas superducat, ne æstimationẽ suam quam uestro acquisiuit fauore, contemnat, societatem hæretici quem dudũ à se remouit, abscindat. Cuius innocentiæ ita affuisse uos gaudeo, ut mœrori eius digna cõsolatione uestra pietas subueniret. Circa fratrem meum ueneratorem uestrum Iulianum Episcopũ, quantum debeat crescere uestra dignatio apostolicæ sedis existimate iudicio, cum in causa fidei, cui gloria uestra famulatur, uicem ipsi meam eatenus delegaram, ut ab ea quæ uobis debetur obseruantia non recedens, pietati me uestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei & in ecclesiasticis disciplinis per omnia solicitudinem, & opportunis suggestionibus quod uniuersali ecclesiæ prosit insinuans, ut in ipso nec catholicis uestrum præsidium quibus uolumus subuenire, nec uobis meum desit obsequiũ. Data VI. Idus Martij, Opilione uiro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXVI. LEONIS PAPAE IN QVA PVLCHERRIMAM AVGVSTAM MIRIS laudibus celebrat, non solum quod non infecta sit Nestoriano errore, sed etiã perpetuò restiterit, & innocẽtes Episcopos fouerit.

QVOD semper de pietatis uestræ mente præsumpsimus, id plenissime experiendo cognouimus, Christianã fidem quamuis diuersis prauorũ appeteretur insidijs, uobis tamẽ præsentibus, & in defensionem eius à domino præparatis, non posse turbari. Non enim deus aut suæ misericordiæ sacramentum, aut uestri laboris deserit meritum, quo dudum subdolum sanctę religionis hostem ab ipsis uisceribus ecclesiæ depulistis, cum hæresim suam tueri impietas Nestoriana nõ potuit, quia non fefellit famulã & discipulã ueritatis, quantũ simplicibus infunderet ueneni per illa loquacis hominis colorata mendacia, de quo uirtutum agone processit, ut per solicitudinem uestram, ea quæ per Euticem diabolus molitus est non laterent, ut qui sibi singulas partes geminæ impietatis elegerant, una catholicæ fidei uirtute procumberent. Secunda ergo hęc uobis de perempto Euticetis errore uictoria est, quem si quid sani cordis habuisset, dudum in autoribus suis perculsum, olimq; prostratum facile potuerat declinare, ne de sepultis cineribus rediuiua tentaret incendia cõmouere, ut in eorũ transisset consortiũ, quorũ secutus esset exemplũ gloriosissima Augusta. Libet igitur exultare cũ gaudio, & pro uestræ clemẽtiæ prosperitate digna deo uota persoluere, qui tibi

tibi per omnes mundi partes, in quibus domini Euangelium prædicatur, duplicẽ iam & palmã contulit & coronã. Clementia igitur uestra agnoscat omnem Romanam ecclesiã uniuersis fidei uestræ opibus plurimũ gratulari, siue quod legationẽ nostram pio per omnia adiuuistis affectu, & quod sacerdotes catholicos qui de ecclesijs suis iniusta fuerunt eiecti sententia, reduxistis, siue quod reliquias sanctę memoriæ Flauiani innocentis & catholici sacerdotis, ad ecclesiã (cui bene præfuit) fecistis cum honore debito reuocari. In quibus utiq; omnibus gloriæ uestræ multiplicatur augmentum, dum & sanctos pro suis meritis ueneramini, & ab agro domini spinas & tribulos uultis auferri. Quosdam sanè Episcopos de his qui rebus impijs uidentur præbuisse consensum, reconciliationẽ reposcere, & catholicorũ communionem desiderare, tam nostrorũ quàm fratris & coëpiscopi mei Anatholij, cui testimoniũ ferre dignamini, relatione cognouimus, quorũ desiderijs sic prębemus effectum, ut correctis & quæ male sunt facta propria subscriptione damnantibus, participata nostrorũ quos misimus cura cum supradicto Episcopo, pacis gratia tribuatur, quia deuotionis utrunq; est Christianæ, ut & pertinaces ueritas iusta coërceat, & conuersos charitas non repellat. Quia uero nouimus quantũ piæ solicitudinis catholicis sacerdotibus mansuetudo uestra dignetur impendere, indicandũ esse curauimus fratrem & coëpiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostrę cõmunionis esse cõsortem, cuius cõmendamus ecclesiã, quam dicit uastare qui illi iniuste asseritur subrogatus. Illud etiam à tua pietate poscẽtes, quod uos spontaneo facere non dubitamus arbitrio, ut tam fratrem & coëpiscopum meum Iulianum, quàm Constantinopolitanos clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officijs adhæsere, ea qua debetis gratia faueatis. De omnibus uero pietatẽ uestram per nostros, quid fieri aut declinari deberet, instruximus. Data Idus Aprilis, Adelphio uiro clarissimo consule, Era CCCCLXXXVIII.

EPISTOLA XXXVII. LEONIS PAPAE AD IVLIANVM EPISCOPVM CHOENSEM, QVA ne patiatur se ab ulla hæresi à simplicitate fidei abducere: & Imperatoris esse hæreticos, qui pacem ecclesiæ perturbant, comprimere, docet.

ITERAS dilectionis tuæ quas per filium meum uirũ illustrem Isicium direxisti, eo tẽpore accepi, quo recentioribus epistolis tuis iterata iam occasione responderam. Vnde quia etiam in his alloquijs tuis eadem de impijssimis hæreticis iusto dolore conquestus es, congruum fuit, quoad scribendi opportunitas extitit, non tacere. In causa itaq; fidei quicquid pro nostro officio oportuit, ac possumus, iuuante domino, & solicite & libenter exequimur, ut Euangelio & irreprehẽsibiliter seruiamus, ne per desidiã nostrã ulla pars ecclesiæ catholicę neglecta uideatur. Propter quod, sicut omnibus notum est, non destiti laborare, ut manifestata atq; defensa incarnationis dominicæ ueritate, omnis fraternitas, quid ubiq; secundũ doctrinam Apostolicam & tenendũ & docendũ esset, agnosceret, accedente gloriosissimorũ principum studio diuinitus inspirato, ut in ciuitate Chalcedonensi synodo congregata, hæretica damnaretur impietas, ne uel quisquã sectator Nestorij, uel ullus discipulus Eutícis liberũ possit cum catholicis habere consortiũ, cum (quod ad sancti Concilij autoritatem pertinet) nulla usquã remanserit discordia. Si qui autem sua obduratione cæcati, ita in reprobi sensus amentiã transierunt, ut mallent furere, quàm sanari, ad imperialem

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertinet poteſtatẽ, ut perturbatores eccleſiæ, pacis, & reipublicæ, quæ Chriſtianis principibus meritò gloriatur, inimici ſolicitius cõprimantur. Vt autem imperialis eſt (ut diximus) poteſtatis, tumultus publicos ac ſeditiones ſacrilegas ſeuerius coercere: ita autoritatis eſt ſacerdotalis, monachis prędicandi aliquam cõtra fidem licentiam non præbere, & omni uirtute reſiſtere, ne ea quę ad ſacerdotes pertinent, ſibi audeant uendicare. Vnde miramur fratrem Thalaſium Epiſcopũ, quod Georgio (neſcio cui) qui præſumendo illicita, & propoſitũ monachi, & nomen amiſit, ſcribendi uel prædicandi aliquã permiſerit facultatem. Ad quem Epiſcopũ, ſi dilectioni tuæ uiſum fuerit, ex hac parte competentia ſcripta mittamus. Agat itaq; fraternitas tua opportunis ſuggeſtionibus, ut clementiſſimus princeps quæ domino ſint placitura præcipiat, & incentores cruentarum ſeditionũ iubeat competentius coërceri, ut nec illi impuniti ſint quorũ manus ſcelera perpetrarunt, nec illi qui talium utuntur inſania. Si autem inquiſitio iudiciaria, & confeſſio reorum ad eas perſonas peruenit, quarum uel cõſilio uel impulſu mala tantum cõmiſſa ſunt, nullius fauoris eis præſtanda ſunt ſolatia. Quantũ enim meliora de ipſis ſunt credita, tantum ſunt amplius deteſtandi, quorũ nunc impietas quę per hypocriſim fuerat uelata detegitur. Et ideo agat Chriſtianiſſimus & pijſſimus Imperator, quod paci eccleſiaſticæ intelligit profuturum: quem ſuperna inſpiratione ita inſtruendum eſſe confide, ut & diſciplina inquietos reuocare, & à ſanguine eorum iubeat abſtineri: quamuis nil ultionum non mereantur ſubire, qui auſi ſunt & diuinis & humanis conſtitutionibus repugnare.

EPISTOLA XXXVIII▸ LEONIS PAPAE AD EVDOCHIAM AVGVSTAM, DE ERRORE MONACHORUM PALESTINORUM, QUI EUTICIANAM IMBIBERANT HÆRESIM SCRIBENS, & CONUERSIONEM EORUM EX CORDE PETENS.

QVANTA mihi catholicæ cura ſit fidei, & qua ſolicitudine (inquantũ dominus adiuuat) debeat præcaueri, ne unquã ab imperitis & inimicis ueritatis Euangelio reſiſtat, pietatẽ ueſtram ſcire non dubito. Et ideo cum ſalutationis officio, quo ſemper mihi eſt oranda clementia, obſecro dominũ, ut me tuam incolumitatem in cauſa fidei, in qua quorundã intra paleſtinã prouinciam monachorũ fuerant corda turbata, magis magisq; faciat adiuuare, ut tantum quod pietatis tuæ ſtudio fieri poteſt, hæreticæ peruerſitati omnis fiducia ſubtrahatur. Quos enim nec ratio ſacramentorũ, nec autoritas ſcriptorum, nec ipſa ſacratorũ locorum teſtimonia cõmouebant, quid eis niſi abruptũ periculum timeretur? Proſit ergo eccleſijs, ſicut fauẽte deo & prodeſt, & proſit generi humano, in uerbis dei ueſtram ibi eſſe uoluntatẽ, ubi dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ uobis ſicut deum uerum, & uerum quoq; hominẽ in unitate perſonæ, & mirabiliũ iudicia, & paſſionũ documenta loquuntur. Si ergo prædicti nomen catholicum ueneranẽ & diligunt, & inter domini corpus ſe uolunt membra nominari, prauos errores quos temere admiſerant, deteſtentur, & agant pœnitentiã impiarum blaſphemiarũ, cruentorumq; factorũ: ſuccumbant pro ſalute animarum ſuarũ ſynodalibus quæ in ciuitate Chalcedonenſi ſunt cõfirmata decretis. Et quia ad intelligendũ ſacramentũ ſalutis humanæ, niſi fides uera, & humilitas quieta nõ peruenit, credant in Euangelio, quod confitenẽ in ſymbolo, nec impijs dogmatibus miſceantur. Fides enim catholica ſicut damnat Neſtorium qui in uno domino noſtro Ieſu Chriſto duas auſus eſt prædicare perſonas, ita damnat etiã Euticẽ cum Dioſcuro, quod ab unigenito dei uerbo negant in utero uirginis matris ueritatem carnis humanæ ſuſceptam. Si quid autem erga prædictorũ conuerſionẽ exhortatio ueſtra profecerit, quod gloriã uobis præſtabit æternã, peto hoc mihi clementiæ ueſtræ literis indicetis, ut & in uobis boni operis fructũ, & illis gaudeã miſericordiã domini non perijſſe. Data ſeptimo Calend. Iulij, Opilione uiro clariſſimo conſule.

EPISTOLA XXXIX▸ LEONIS PAPAE ADMONITORIA AD QVENDAM FIDVM FRATREM, UT DILIGENTER UIGILET, NE QUID ERRORIS SUBNASCATUR, & SUBNATUM IN TEMPORE INDICET, QUÒ POSSIT EXTIRPARI.

FREQVENTISSIME dilectionem tuam ad hanc curam & diligentiã meis ſum literis cohortatus, ut de his quæ circa fidem aguntur, ſolicitudinem meam indeſinenter inſtrueres. Et cum omnibus occaſionibus ſcribere non quieſcam, quibuſdam tamen ſcriptis meis per filium noſtrum Rodanum domeſticum ſilij noſtri uiri illuſtriſſimi Aſpiratij datis, nullũ reſponſum tuæ fraternitatis accepi, tanq; ratio temporis non habuerit, ut quid poſt mea ſcripta ſit geſtum potueris indicare, & ideo per filium meum Rodanum his literis ſaluto, & ut opportunitatẽ ſcribendi non negligas, in quo queſtus ſolicitudinis meæ reuelatur admoneo. Cum enim in te quandã mei Conſtantinopolitani habeant portionẽ, dignũ pro cõmuni amicitia eſt, & pro totius eccleſiæ dilectione, inceſſabili te uigore proſpicere, ne quid poſſit de ſtatu fidei me latere. Quæ ergo per prædictos uel ad glorioſiſſimũ principẽ, uel ad tuam dilectionẽ ſcripſi, ut celerrime tradantur effectui opportunis ſuggeſtionibus elabora. Et quicquid fuerit (deo auxiliante) diſpoſitũ ſcire me facito, ut perductis in effectum his quæ rationabiliter ordinata ſunt, pax fidei, canonumq; cuſtodia, & ſecurior ubiq; habeatur & fortior. Data VII. Calend. Iulij, Opilione uiro clariſſimo conſule.

EPISTOLA XL▸ LEONIS PAPAE AD PALAESTINOS, QVA DE INCARNATIONE VERBI DEI CONTRA NESTORIANAM HÆRESIM MULTA AGIT EX SCRIPTURIS, EPISTOLA SANÈ DIGNA LECTU OB UARIAS DOCTRINAS QUIBUS SCATET.

SOLICITVDINI meæ quã uniuerſali eccleſiæ omnibusq; eius filijs debeo, multorũ relatione patefactũ eſt, dilectionis ueſtræ animis quiddã offenſionis illatũ, dum aut imperiti (ut apparet) interpretes, aut maligni, quædã uos aliter intelligere, quàm à me ſunt prædicta fecerunt, non ualentes in græcũ eloquium apte & propriè latina transferre, cum in rebus ſubtilibus & difficilibus explicandis, uix ſibi etiã in ſua lingua diſputator quiſque ſufficiat. Quod tamen apud me eò profecit, ut dum ea quæ catholica fides reſpuit improbatis, intelligamus uos ueris amiciores eſſe quàm falſis, & id meritò refutare, quod ex antiquæ inſtitutione doctrinæ etiã ipſe Eutices deteſtat. Quamuis enim epiſtola mea ad ſanctæ memoriæ Flauianũ Epiſcopũ data, ſatis ſibi ad manifeſtationem ſui ipſa ſufficiat, neq; in aliquo aut purgationis aut expoſitionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea ſcripta cõcordant, in quibus ſimiliter prædicationis meæ ſenſus in aperto eſt. Neceſſitatẽ enim habens contra hæreticos, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

multos Christi populos conturbauerant, differendi, & clementissimis principibus, & sancto Cõcilio synodali, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quid de incarnatione uerbi secundum Euangelicã Apostolicamq; doctrinã deberemus sapere ac sentire, patefeci, & in nullo à sanctorũ patrũ confessione discessi, quia una est uera singularis perfecta inuiolabilis catholica fides, cui nihil addi, nec minui potest, quam Nestorius prius, & nunc Eutices diuersa quidem assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt, & Ecclesiæ dei duas hæreses sibimet contrarias inferre tentarunt, ut uterq; à discipulis ueritatis meritò damnarẽt, quia insanũ nimis & sacrilegum fuit quod uaria falsitate ambo sensere. Anathematizẽt ergo Nestorius qui beatam uirginem Mariam hominis tantũmodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in uerbo dei & carne sentiret, sed seperatim ac seiunctim alium filium dei, aliũ hominis prædicaret, cum manente illa incommutabilis uerbi essentia, quę ei cum patre & spiritu sancto intemporalis atq; coæterna est, ita intra uirginea uiscera uerbum caro sit factum, uti uno conceptu, unoq; partu eadem uirgo secundum unionem utriusq; substantiæ, & ancilla domini esset, & mater. Quod etiam Elizabet (sicut Euangelista declarat) intellexit, & dixit: Vnde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? Eutices quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios ueterum hæreticorum uolutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, ut negata humanæ carnis atq; animæ ueritate, totum dominum nostrum Iesum Christum unius asserat esse naturæ, tanquam uerbi deitas ipsa se in carnem animamq; conuerterit, & concipi ac nasci, nutriri ac crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascendere in cœlum, & in patris dextera, unde ad iudicandos uiuos & mortuos ueniet, considere, eius tantum essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis ueritate recepit: quoniam natura unigeniti, natura est patris, natura est spiritus sancti, simulq; impassibilis, simul est incõmutabilis, sempiternæ trinitatis indiuisa unitas, & consubstantialis æqualitas. Vnde se ab Apollinaris peruersitate hæreticus iste desciscit, ne conuincatur deitatem passibilem sentire atq; mortalem, & tamen uerbi incarnati, id est, uerbi & carnis unam audens pronunciare naturam, non dubie in Manichæi & Marchionis transit insaniam, & mediatorem dei & hominum hominẽ Iesum Christũ simulatorie credit egisse, nec humanũ in ipso corpus, sed phantasticã corporis speciẽ oculis apparuisse cernentiũ. Quæ impietatis mendacia, quoniam olim fides catholica detestabat, & taliũ sacrilegia concordibus per totũ mundum beatorũ patrum sunt damnata sententijs, quicunq; illi sunt ita obcæcati, & à lumine ueritatis alieni, ut uerbo dei à tempore incarnationis humanã, id est nostrã negent inesse naturam, ostendant in quo sibi Christianũ nomen usurpent, & cum Euãgelio ueritatis, qua ratione deitatis, aut deitas est orta sine carne. Si enim negari non potest, quod uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, ita negari nõ potest, quod deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quæ autem reconciliatio esse potest qua humano generi propitiaretur deus, nisi omnium causam mediator dei hominumq; susciperet? Qua uero ratione ueritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma serui particeps esset & nostri: ut per unum nouum hominem fieret renouatio uetustatis, & mortis uinculum unius præuaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit solueretur. Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, ut si uniuersitas captiuorũ in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica uincula retinerent: quoniam sicut Apostolus ait, ubi abundauit peccatum, superabundauit & gratia: & cum sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, ualidius factum est donum libertatis quàm debitum seruitutis. Quam itaq; sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquũt, qui in saluatoris nostri corpore negant humanę

humanæ substantiæ ueritatem? Dicant in quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti. Quis est qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod uerus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim multorum sanctorũ in conspectu domini preciosa mors fuerit, illius tamẽ insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Accepere iusti, nõ dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, nõ dona iustitię. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquã debitum suo fine perſoluit, cum inter filios hominum unus solus dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati, de quibus ipse dicebat: Cum exaltatus fuero, omnia trahã ad me. Fides etenim uera iustificãs impios, & creans iustos, ad humanitatis suę tracta participem, in illo exquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem: liberum habens per gratiam dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostrę humilitate congressus, his uictoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Quãuis ergo in uno domino nostro Iesu Christo uero dei atq; hominis filio, uerbi & carnis una persona sit, & utraq; essentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & syncerę fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quę inclinetur altitudo uirtutis: quid sit quod caro sine uerbo nõ agit, & quid sit quod uerbum sine carne non efficit. Sine uerbi enim potentia nec conciperet uirgo, nec pareret, & sine ueritate carnis obuoluta pannis infantia nõ iaceret. Sine uerbi potentia nõ adorarent magi puerũ nouo sydere declaratum, & sine ueritate carnis nõ iuberetur transferri in Aegyptũ puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine uerbi potentia nõ diceret uox patris missa de cœlo, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: & sine ueritate carnis non protestaretur Ioannes: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine uerbi potentia redintegratio debilium, & uiuificatio mortuorum, & sine ueritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo sine uerbi potentia non se dominus patri profitereẽ æqualem: sine ueritate carnis non idem diceret patrem esse maiorem, cum catholica fides utrunq; suscipiat, utrunq; defendat, quæ secundũ proprietatem diuinæ humanæq; substantiæ, unum dei filium & hominem credit & uerbum. Quamuis ergo ab illo initio, quo in utero uirginis uerbum caro factum est, nihil unquam inter diuinã humanamq; substantiã diuisionis extiterit, ut per omnia incrementa corporea unius personæ, fuerint totius temporis actiones, & ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt nulla permixtione confundamus, sed quid cuius formæ sit ex operum qualitate sentimus, nec diuina enim humanis præiudicant, nec humana diuinis, cum ita in idipsum utraq; concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona gemineturꝰ. Dicant igitur isti phantastici Christiani, quæ substantia saluatoris affixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro, & reuoluto monumenti lapide, quę tertia die caro surrexerit, uel quale corpus Iesus discipulorum uisui clausis ad eos ostijs ingressus intulerit, cum ad abigendã cernentiũ diffidentiã inspici oculis, digitisq; tractari, patentes adhuc fixuras clauorum, & recens compuncti lateris uulnus exigeret. Ac si in tanta luce ueritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant unde sibi spem uitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem dei & hominum, hominem Iesum Christum non potest peruenirí. Non est enim aliud nomen datum hominibus sub cœlo in quo oporteat saluos fieri, nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in sanguine eius qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, qui (sicut prædicat beatus Paulus Apostolus) cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortē autem crucis. Propter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriū, & infernorū, & omnis lingua confiteat, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris. Quamuis ergo unus ſit dominus Ieſus Chriſtus, & ueræ deitatis ueręq; humanitatis in ipſo una prorſus eademq; perſona ſit, neq; huius unitionis ſoliditas ulla poſſit diuiſione ſeiungi, exaltationē tamen qua illum exaltauit deus, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quę ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe dei æqualis erat filius patri, & inter genitorem atq; unigenitū nulla erat in eſſentia diſcretio, nulla in maieſtate diuerſitas, nec per incarnationis myſteriū aliquid deceſſerat uerbo, quod ei patris munere redderet. Forma autē ſerui per quā impaſſibilis deitas ſacramentū magnæ pietatis impleuit, humana humilitas eſt, & in gloria diuinæ poteſtatis euecta eſt in tantam unitatem, ab ipſo cōceptu ūirginis deitate & humanitate cōnexa, ut nec ſine homine diuina, nec ſine deo agerentur humana: propter quod ſicut dominus maieſtatis dicit crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt deo, dicitur exaltatus. Nec intereſt ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, cum inſeparabiliter manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis filius propter carnē, & totus dei filius propter unam cum patre deitatē. Quicquid ergo in tempore accepit Chriſtus, ſecundū hominē accepit, cuiq; quod nō habuit cōfertur. Nam ſecundū potentiā uerbi indifferenter omnia quæ habet pater, etiā filius habet: & quæ in forma ſerui à patre accepit, eadem in forma patris etiam ipſe donauit: & idem ipſe & diues & pauper: diues, quia in principio erat uerbum & uerbū erat apud deum, & deus erat uerbū, hoc erat in principio apud deū. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Pauper uero, quia uerbum caro factū eſt, & habitauit in nobis. Quæ autē eſt eius exinanitio, quæ ue paupertas, niſi formæ ſeruilis acceptio, per quam uerbi maieſtate uelata, diſpenſatio humanę redemptionis impleta eſt? Nam quia captiuata noſtrę naturę reſolui originalia uincula non poterant, & ab hoſtis imperio relaxari, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræq; naturę, quem ueteris debiti præiudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo chirographum letale dilueret, ſicut ab initio erat diuinitus præordinatum, & prophetarū oraculis prænunciatum, ita eſt in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis ſignificata promiſſio in diu expectatum ueniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis ſignificationibus ſemper fuerat nunciatum. Deſtructis itaq; tot hæreſibus, quæ per ſanctam deuotionem præſidentium patrum à corpore ſunt catholicæ unitatis abſciſſæ, quæq; ideo extorres à Chriſto eſſe meruere, quia uerbi incarnationem, quæ ſingularis eſt recte credentium ſalus, fecerunt ſibi lapidem offenſionis, & petram ſcandali, miror dilectionem ueſtram in diſcernendo ueritatis lumine laborare: & cum multis manifeſtationibus declaratum ſit, quàm recte & Neſtorium & Euticem cum Dioſcuro fides chriſtiana damnauerit, nec chriſtianus poſſit uocari, qui uel illius, uel horum impietati præbet aſſenſum, doleo uos Euangelicæ & Apoſtolicę doctrinę (ut audio) reſultare, exagitando ſeditionibus ciuitates, conturbando eccleſias, nec ſolum iniurias, ſed etiā cædes presbyteris atq; Epiſcopis inferēdo, ut præ furore & ſęuitia propoſiti ueſtri & profeſſionis ſitis immemores. Vbi eſt regula manſuetudinis & quietis, ubi longanimitas patientiæ, ubi trāquillitas pacis, ubi firmamentū dilectionis & tolerātiæ fortitudo? Quæ uos ab Euāgelio Chriſti aut perſuaſio abduxit? aut perſecutio ſeparauit? uel quæ tanta extitit decipientis aſtutia, ut obliti prophetarū & apoſtolorū, obliti ſymboli ſalutaris, & cōfeſſionis qua pronūciantes corā multis teſtibus

teſtibus ſacramentum baptiſmi ſuſcepiſtis, diabolicis uos illuſionibus ſubderetis? Quid apud uos acturæ fuerant ungulæ, quid ſæua tormenta, ſi ad expugnandā fidei ueſtræ integritatem tantum uana hæreticorum cōmenta ualuere? Pro fide uos agere creditis, & fidei contraitis: eccleſiæ nomine armamini, & contra eccleſiā dimicatis. Hoc à prophetis, hoc ab Euangeliſtis, hoc ab Apoſtolis didiciſtis, ut negantes Chriſti carnem, & ipſam uerbi eſſentiam paſſioni mortiq; ſubdentes, alienam faciatis noſtram à ſuo reparatore naturam, totumq; quod crux intulit, quod lancea uulnerauit, quod ſepulchri lapis ſuſcepit & reddidit, ſolum fuiſſe opus diuinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quam Apoſtolus dicit: Non enim erubeſco Euangeliū: quoniam nouerat quale chriſtianis obiiceretur opprobriū ab inimicis. Et ideo dominus proteſtabatur dicens: Qui me confeſſus fuerit corā hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo. Hi enim non erunt digni confeſſione filij & patris, quibus nūc caro Chriſti uerecundiam facit: probabuntq; ſe nullam de ligno crucis ſumpſiſſe uirtutem, qui quod præferendum frontibus acceperūt, promere labijs erubeſcunt. Declinate filij ab his diabolicis perſuaſionibus, declinate. Veritatem dei nulla res uiolat, ſed ueritas nos niſi in noſtra carne nō ſaluat. Veritas quippe (ſicut propheta ait) de terra orta eſt, & ſic uerbum Maria concepit, ut uniendam ſibi carnem de ſua ſubſtantia miniſtraret, nec cum adiectione perſonæ, nec cum euacuatione naturæ, quoniam qui erat in forma dei, ita accepit formam ſerui, ut unus atq; idem in forma utraq; ſit Chriſtus, inclinante ſe deo uſq; ad infima hominis, & proficiente homine uſq; ad ſumma deitatis, dicente Apoſtolo: Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Amen.

EPISTOLA XLI. LEONIS PAPAE AD MONITORIA AD THEODERICVM EPISCOPUM, de perſeuerantia in uera fide, tam cōtra Neſtorianam impietatem, quàm Euticianam perfidiam.

REMEANTIBVS ad nos fratribus & conſacerdotibus noſtris quos ad ſanctū concilium ſedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam ſuperno adiutorio nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis, quàm Euticianæ ueſaniæ extitiſſe uictricem. Vnde gloriamur in domino cum propheta cantantes: Adiutoriū noſtrū in nomine domini, qui fecit cœlum & terram: qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentū ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, uniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu, ut uere à ſe prodijſſe oſtenderit, quod prius à prima omniū ſede formatū totius chriſtiani orbis iudicium recepiſſet, ut in hoc quoq; capite membra concordent. In quo amplior nobis in hac re fit gaudendi materia, dum & tanto magis perculit inimicus, quanto cōtra Chriſti miniſtros ſeruus inſurrexit. Nam ne aliarū ſedium ab ea quam cæteris omniū dominus ſtatuit præſidere conſenſus abſentatio uideretur, aut alia quælibet ſubrepere poſſet aduerſa ſuſpicio, inuenti prius ſunt qui de iudicijs noſtris ambigerent. Et dum nōnulli ad diſſenſiones incitati ab autore contradictionis ad inſana bella proſiliunt, ad maius bonum, malum eius autore totius bonitatis diſpenſante, prouentum conuertitur. Dulcius ſiquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quotiens non ſine magnis ſudoribus acquiruntur. Et minus bonum uideri ſolet pax continuata per otium, quàm reddita poſt laborem. Ipſa quoque ueritas & clarius reniteſcit, & fortius retinetur, dum quæ fides

Universidad de Deusto
Biblioteca

prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret. Multum denicq; sacerdotalis officij meritum splendescit, ubi sic summorũ seruatur autoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem gloriã proficit finis examinis quando ad hoc se accepit exercendi fiducia, ut uincatur aduersitas, ne quod per se probatur, reprobum silentij præiudicio uideatur oppressum. Exulta igitur charissime frater, in unico filio uictor exulta. Vicit per nos ille, cuius carnis ueritas negabat: uicit per nos, & pro nobis ille cui uicimus. Secunda est post aduentũ domini hæc orbi festiuitas. Redditum seculo est prędone prostrato incarnationis diuinę mysterium, quod humani generis inimicus, quia rebus ipsis auferre non poterat, calumnijs obscurabat. Quinimò ab incredulorum corde perierat immortale mysteriũ, quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa ueritate suis dicẽte discipulis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Solis iustitiæ iubar, densis per orientem Nestorij & Euticetis nebulis impeditum, pure ab occidente resplenduit, ubi cõmercium in apostolis & doctoribus principaliter collocauit: quamuis nec illic unquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reseruauit, ita ut dum denuò conaretur hostis antiquus per secundi Pharaonis impœnitens cor, fidei Abrahæ semen & filios extinguere, deo miseranter languescens, nisi sibi nocere nihil possit. De quo & illud omnipotens mirabilius egit, quia & quos sibi conscios ad Israëlitici populi sedes asciuerat, non cum tyranni dis autore submersit, sed cum suo populo congregauit, & sicut reuera se dignum & soli sibi possibile fons misericordiæ nouerat, uictos à nobis nobiscum fecit esse uicturos. Nam dum solus uere sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo iam triumphare non dubium est, quos sibi ueritas uendicauit. Nunc prorsus illa redemptoris nostri dicta quàm sint diuinæ autoritatis apparet, dum contra hostes fidei sic aptantur, ut de ipsis dubitare dictis nõ liceat: Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis implere. Ille homicida fuit ab initio, & in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est. Quando loquitur mendaciũ, ex suis proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. Nihil ergo mirandum est, quod hi qui in ueritate dei nostræ naturæ mendacium crediderunt, patri suo & circa ista concordant: quicquid uisum, quicquid auditum, quicquid denicq; teste Euangelio tactum est atq; palpatum in unico dei filio, non eius cuius probatum est asserentes, sed coæternæ & coëssentialis patri fuisse substantiæ, quasi aut diuinitatis natura, crucis ligno transfixa sit, aut inconuertibilis crescere per ætates, & in sapientia proficere, sapientia sempiterna uel spiritu deus, qui spiritus est, subinde repleri poterit. In hoc quoq; se acerba uesania, ex quo autore processerit, prodit, quod quantum in se est, uniuersis nocere molita. Nam qui nos persequendo afflixit, cæteros ad consensum sceleris impellendo deprauauit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus (quia membra nostra sunt) uulnerasset, à speciali dolore fecit exceptos, quibus noua & inaudita, atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus iniuriam. Sed utinam uel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristaret. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec uiuis parcendo, nec mortuis etiam, in sanguine innocentis & catholici sacerdotis pollutas iampridem abdicata ueritate atque approbata falsitate manus intinxit? Et cum scriptum sit, Qui odit fratrem suum, homicida est: ille quod odio iam fecisset, addictus est, impleuit operibus, quasi nec audisset: nec aliud quod dominus ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue est. Dignus diabolici prædicator erroris Aegyptius uastator inuentus est, quia tanquam sæuissimus tyrannus ecclesiæ nephandas blasphemias per uiolantem seditiosorum turbam, & per cruentas manus militum, uenerandis

randis fratribus imponebat, & cum uoce nostri redemptoris firmatum sit unum eundemq; homicidij & falsitatis autorem, ille pariter utrunq; compleuit, quasi nõ ut caueantur, sed ut perpetrentur scripta sint, ad perditionis suæ cumulũ trahens, quę dei filius monuit ad salutem. Illud quoq; surda nimis aure pręteriens quod ab eodem domino dictũ est: Ego quod uidi apud patrem meum, loquor: & uos ergo quod uidistis apud patrem uestrum facitis. Igitur dum sanctæ memoriæ Flauiano uitam pręsentis seculi molireꝰ auferre, se serenę uitę luce priuauit. Dum uos ab ecclesijs uestris conaretur expellere, se à christianorum collegio segregauit. Dum trahit plurimos & impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam uulnere sauciauit: solus ultra omnes & per omnes, ac pro omnibus reus, qui causa reatus omnibus fuit. Sed licet his tua fraternitas solido cibo firmata indigere minime uideatur, tamen quod nostri loci est implemus circa uocem dicentis Apostoli: Pręter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmaꝰ & ego nõ infirmor? quis scandalizaꝰ & ego nõ uror? Hoc pręcipue pręsenti occasione credimus admonendum frater charissime, ut quotiens cunq; diuina gratia ministrante, illos qui foris sunt fonte doctrinę aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis quas spiritus sancti diuinitas in Chalcedonensi cõcilio protulit fidei regulis recedentes, inter utrunq; hostem nouellæ perfidiæ sermonẽ nostrum cum omni cautela liberemus: non iam (quod absit) tanquam de dubijs dissceptantes, sed autoritate sua quę bene definita sunt astruentes, cum & in apostolicæ sedis epistola uniuersali sanctæ synodi assensu firmata, tanta diuinæ autoritatis testimonia nouerimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit, cum synodalia gesta uel quibus primum definitio fidei legitur esse formata, uel quibus præfatæ literæ apostolicæ sedis, etiam tuæ fraternitatis studio defensæ sunt, & maxime ad pijssimos principes totius cõcilij allocutio, tot sit præcedentiũ patrum testimonijs roborata, ut quamuis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, ualeant suadere. Vnde hoc quoq; contra hostes ecclesię prouidere condignum est, ut eis nullam calumniandi occasionem (quod ad nos attinet) penitus relinquamus, nec unquam contra Nestorianos aut Euticianos agẽtes, alteri eorum uideamur terga uertisse: sed utroscq; Christi hostes ęqua lance uitemus atque damnemus, ita ut nos quotiens audientium quamlibet poscit utilitas, cum dogmatibus eorũ digno anathemate promptissime atq; euidentissime feriamus, ne si à nobis hoc quod obscurius fieri uideatur aut tardius, putetur inuitũ. Quod quamuis prudentiã tuam res ipsa ammonere sufficiat, nunc tamen & experimenta docuerunt. Sed benedictus deus noster cuius inuincibilis ueritas ab omni hæreseos macula mundum te secundũ sedis apostolicę iudiciũ monstrauit: cui dignam retribuis pro tot laboribus gratiã, si talem te, qualẽ probauimus ac probamus, pro uniuersalis ecclesię defensione seruaueris. Nã quod deus omniũ calumniosorũ fallacias soluit, maximã beatissimi Petri curã pro nobis cunctis agnoscimus, qui priusquã suę sedis iudiciũ in fidei definitione firmauit, nec circa cuiusquã uestrũ qui nobiscũ pro catholica fide laboratis personã reprobũ uideri permisit, quia nec poterat spiritu sancto indicante quisquã nõ uictor exire, quorũ iam uicerat fides. Quod superest exhortamur, ut quia illic nonnullas Euticiani ac Nestoriani erroris reliquias cognouimus remansisse, nunc etiã sedi apostolicæ collabores. Victoria enim quam deus noster suæ donauit ecclesiæ, quandiu in hoc mundo uersamur, licet fiduciam maiorem tribuat, non tamen in totum solicitudinem perimit, nec ut dormiamus donata est, sed ut suauius laboremus. Vnde in hoc quoq; tuę uigilantię solicitudinem uolumus adiuuari, ut tua relatione currente, quid apud illos religionis doctrina dominica proficiat, apostolicam sedem festines instruere, quatenus

Universidad de Deusto
Biblioteca

illius religionis sacerdotes in quocunq; usus exegerit, adiuuemus. De his uero quę in supradicto concilio illicita contra uenerabiles Nicenos canones præsumptione tentata sunt, ad fratrem & coëpiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulẽ scripsimus, adijcientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorũ quorundã religionis uestræ uerbo mandasti, per uicarios nostros & specialiter statuentes, ut præter domini sacerdotes, nullus audeat prædicare, seu monachus ille sit siue laicus, cuiuslibet sciẽtię nomine glorietur. Quas tamẽ literas pro utilitate uniuersalis ecclesiæ per prædictũ fratrem & coëpiscopum nostrum Maximũ ad omnium uolumus peruenire notitiam, & ob hoc nolumus earum exemplar adijcere, quia quæ prędicto fratri iniunximus, nõ dubitamus implenda. Et alia manu, Deus te incolumem custodiat frater charissime. Data quarto Idus Iunij, Opilione uiro clarissimo consule.

EPISTOLA XLII▸ LEONIS PAPAE GRATVLATORIA AD IVLIANVM EPISCOPVM, quod strenue contra hæreses pugnauerit: & mentionem de festo paschæ, & Imperatoris facit, qui perfidiam hæreticorum sua autoritate extinxit.

CHRISTIANISSIMI principis fidem sępe euidentissimis probauimus documẽtis, ac deo nostro gratias ago qui talẽ dignatus est rebus humanis concedere pro sua pietate rectorem, qui fidei causas & reipub. summæ uigilantię studio tueretur, hęreticorum ausibus semper obsistens, & nihil eorum insaniæ aduersum catholicam fidem licere permittens: cuius post deum beneficijs hoc debeẽ, quod Hierosolymitanus Episcopus est receptus, & monachos quos perfidia hæreticę falsitatis inuaserat, ad sanitatem augusta autoritas reuocauit. Mox itaque ut accepi epistolas tuas talia continentes, non solum eadẽ die, sed prope eadem hora responsum reddere maturaui, ut certior de omnibus quæ scripseras reddereris. Fratrem Proteriũ Alexandrinæ urbis Episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos literas direxisse, & manifeste quidnam teneat indicasse, cui me dignam gratiã pro fidei ipsius synceritate necesse est præstare, ut honorem in nullo suæ perdat ecclesiæ, sedis suæ priuilegia paternæ antiquitatis exemplo, iuxta canonũ illibata iura possideat. De prędentis anni pascha, nulla dubitatio esse nobis potuit. Sed de futuro quod sciuimus, quod Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus nono Calendarũ Maiarum die, quod nunquam ita à tempore dominicę resurrectionis celebratum est, credidi adscribendũ. Vnde solicitius congruit inquiri, ut omnis occasio tollatur erroris. Nam in nostris annalibus Calendarũ Maiarum die, aptissime à patribus nostris & constitutus legitur & celebratus. Ac ne uel apud nos, uel apud orientales nascatur ex hac parte diuersitas, hoc instantius nostro nomine cum Christianissimo principe agere tua dignetur dilectio. Quamuis & ipse clementissimus princeps se inquisitione solicitissima curam hanc Aegyptijs delegasse, suis epistolis dignatus sit indicare. Epistolam sanè meam ad Chalcedonensem synodum datam, præsentibus Episcopis & clericis lectam fuisse, tuæ epistolę retulerũt. Sed usq; ad illud capitulum quo ea quæ de fide acta sunt, meus uidetur firmasse consensus. Vnde miratus sum, quod reliqua quæ secuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum quibus sunt lecta, prolata sint, cum maxime omnibus innotescere debuisset, improbũ à nobis ambitum notatum fuisse, & nouis usurpationibus cõstituta, inuiolata (ut semper scripsimus) seruarentur. Etiam presbyterũ quem asseris fuisse discussum, gratulamur cognitione habita in omnibus fuisse purgatum. Epistolam quoq; ad Christianissimum principẽ noueris me misisse, in qua illi gratias egi, quia curam mihi suam tam pro fidei causa, quàm pro securitate reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoq; ad nos epistolam dedit interueniens pro Anatholio Episcopo, ut nostri illi animi gratia prębeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus satisfacturum esse quæ ad fidei obseruantiam pertinent, pollicetur. Data quinto Idus Ianuarij, Etio & Studio uiris clarissimis Cons.

EPISTOLA XLIII▸ LEONIS PAPAE AD IVVENALEM HIEROSOLYMITANVM ET CAETEROS Episcopos, qua Concilium Chalcedonense approbat, Niceni concilij canones confirmat, & hæreticos Nestoriani erroris damnat.

OMNEM quidem fraternitatem uestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ synodi, quæ ob confirmationẽ fidei in Chalcedonẽsi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse cõplexum: quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem catholicæ fidei dolebam ab hęreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrũ redijsse gauderem. Hoc autem non solum ab ipso beatissimę cõsensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis antistitem dedi, potuisse agnoscere, si uobis responsionem sedis apostolicæ manifestare uoluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile uideatur, utrum quæ in synodo Chalcedonẽsi per unitatem uestrã de fide statuta sunt, approbem, hęc ad omnes fratres & coëpiscopos nostros qui prædicto concilio interfuerũt, scripta direxi, quæ glorioſissimus & clementissimus princeps (sicut popoſci) in notitiam uestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna uniuersitas, & omnium filelium corda cognoscant me non solum per fratres qui uicem meam executi sunt, sed etiam per approbationẽ gestorũ synodalium propriam uobiscũ inijsse sententiam, in sola uidelicet fidei causa, quàm pro securitate reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoq; ad nos epistolam dedit interueniens pro Anatholio Episcopo, ut nostri illi animi gratia prębeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus satisfacturum esse quæ ad fidei obseruantiam pertinent, pollicetur. Data quinto Idus Ianuarij, Etio & Studio uiris clarissimis Cons.

EPISTOLA XLIII▸ LEONIS PAPAE AD IVVENALEM HIEROSOLYMITANVM ET CAETEROS Episcopos, qua Concilium Chalcedonense approbat, Niceni concilij canones confirmat, & hæreticos Nestoriani erroris damnat.

OMNEM quidem fraternitatem uestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ synodi, quæ ob confirmationẽ fidei in Chalcedonẽsi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse cõplexum: quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem catholicæ fidei dolebam ab hęreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrũ redijsse gauderem. Hoc autem non solum ab ipso beatissimę cõsensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis antistitem dedi, potuisse agnoscere, si uobis responsionem sedis apostolicæ manifestare uoluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile uideatur, utrum quæ in synodo Chalcedonẽsi per unitatem uestrã de fide statuta sunt, approbem, hęc ad omnes fratres & coëpiscopos nostros qui prædicto concilio interfuerũt, scripta direxi, quæ glorioſissimus & clementissimus princeps (sicut popoſci) in notitiam uestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna uniuersitas, & omnium filelium corda cognoscant me non solum per fratres qui uicem meam executi sunt, sed etiam per approbationẽ gestorũ synodalium propriam uobiscũ inijsse sententiam, in sola uidelicet fidei causa, quod sæpe dicendũ est, propter quam generale conciliũ, & ex præcepto christiani norum principum, & ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari, damnatis hæreticis: qui si congrui esse uoluissent, nulla penitus resideret de uera domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Vnde si quis unquam ausus fuerit uel Nestoriani perfidiam tueri, uel Eutycetis ac Dioscuri impium dogma defendere, & à catholicorum cõmunione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat ueritatem. De custodiendis eorum sanctorũ patrum statutis, quæ in synodo Nicena inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiã uestrę sanctitatis am moneo, ut iura ecclesiarũ sicut ab illis CCCXVIII. patribus diuinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionẽ suum aliquis quęrat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentionibus se instruat uanitatis elatio, & appetitus suos conciliorũ æstimet nomine roborandos, infirmum atq; irritum erit quicquid à prædictorum patrum canonibus discreparit, quorũ regulis apostolica sedes quàm reuerenter utatur, scriptorum meorũ, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas uestra lectione cognoscere, me auxiliante domino nostro, & catholicæ fidei, & paternarum traditionum esse custodem. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione uiro clarissimo Consule.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA XLIIII. LEONIS NON TAM GRATVLATORIA QVAM REPREHENSORIA, admonentis Iuuenalem epiſcopum Hieroſolymitanum ab hæreticorū dogmatibus reſipiſcentem, ad ueramq; fidem reuertentem, quò diligentius ſcripturæ loca, Chriſti humanitatem adſtruentia, expendat.

ACCEPTIS dilectionis tuæ literis quas ad me filij noſtri Andreas presbyter, & Petrus diaconus detulerunt, gauiſus quidē ſum, quod ad epiſcopatus tui ſedē redire licuiſſet: ſed confluentibus in recordationem omnibus quę te per quoſdam exceſſus laborare fecerunt, dolui aduerſitatum tuarum temetipſum tibi fuiſſe materiam, & reſiſtendi hæreticis conſtantiam perdidiſſe, qui eſtimant nō eſſe tibi liberū ut eos audeas redarguere, quos tibi profeſſus es in ſuo errore placuiſſe. Beatę enim memorię Flauiani condēnatio, & impiiſſimi Euticetis receptio, quid niſi domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem negatio fuit? quam ipſe grandi miſericordia ſua fecit reſolui, cum deteſtandū illud Epheſinę ſynodi iudicium ita ſancta Chalcedonēſis ſynodi autoritate deſtruxit, ut nullum deprauatorum à remedio correctionis arceret. Vnde quia in tempore indulgentiæ reſipiſcentiam magis quàm pertinaciam delegiſti, ita gaudeo te cœleſtem expetiſſe medicinam, ut fidei ab hæreticis impugnatæ tandem poſſis eſſe defenſor. Quamuis enim nulli ſacerdotum liceat neſcire quod prædicat, quoniam qui ignorat ignorabitur, inexcuſabilior tamen eſt omnibus imperitis quilibet Hieroſolymis habitans Chriſtianus, qui ad cognoſcendam uirtutem euangelij non ſolum paginarum eloquijs, ſed ipſorum locorum teſtimonijs eruditur, & quod alibi non licet non credi, ibi non poteſt non uideri. Quid laborat intellectus, ubi eſt magiſter aſpectus? Et cur lecta uel audita ſunt dubia, ubi ſe uel uiſui & tactui tot humanæ ſalutis ingerunt ſacramenta? quaſi ad ſingulos quoſq; cunctantes dominus adhuc uoce corporea utatur & dicat: Quid turbati eſtis, & quare cogitationes aſcendunt in corda ueſtra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ipſe ego ſum. Palpate & uidete, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me uidetis habere. Vtere ergo frater chariſſime inuictiſſimis catholicæ fidei documentis, & euangeliſtarū prædicationē ſanctorum locorum, in quibus degis, teſtificatione defende. Apud te eſt Bethleem in qua ſalutifer Dauidicę uirginis partus illuxit, quem obuolutum pānis inter anguſtias diuerſorij preſepe ſuſcepit. Apud te eſt declarata ab angelis, adorata à magis, & per multorum infantium mortes ab Herode queſita ſaluatoris infantia. Apud te eſt ubi pueritia eius adoleuit, ubi adoleſcētia maturuit, & per omnia incrementa corporea in uirum perfectum ueri hominis natura profecit, non ſine cibo eruditionis, non ſine ſomno quietis, non ſine fletu miſerationis, nec ſine pauore formidinis. Vnus enim atque idem eſt qui & in dei forma operatus eſt miracula magna uirtutis, & in forma ſerui ſubijt ſæuitiam paſſionis. Hoc tibi ipſa crux indeſinenter loquitur, hoc lapis clamat ſepulchri, in quo dominus humana conditione iacuit, & de quo diuina potentia reſurrexit. Et cum ad montē Oliueti locum aſcenſionis ueneraturus accedis, non illa uox angelica in tuo reſultat auditu, qua eleuatione domini ſtupentibus dicitur: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic, Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Veram igitur Chriſti generationem crux uera confirmat, quoniam ipſe in noſtra carne naſcitur qui in noſtra crucifigitur, quę nullo interueniente peccato, niſi fuiſſet noſtri generis, non potuiſſet eſſe mortalis. Vt autem repararet omnium uitam, recepit omnium cauſam, & uim ueteris chirographi, quod ſolus

lus inter omnes nō debuit, pro omnibus ſoluendo uacuauit, ut ſicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante iuſtitia, ubi eſt humana ſuſcepta natura. Nulla enim ratione extra noſtri eſt corporis ueritatem: de quo Euangeliſta prædicationem inchoans dicit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abrahā. Et qui Samaritanæ mulieri proteſtatur, quoniam ſalus ex Iudæis eſt, beati Pauli Apoſtoli conſonante doctrina cum dicit: Quorum patres & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Itemq; ad Timotheū: Memento, inquit, Ieſum Chriſtū reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Hæc autē charitas quantis & noui & ueteris teſtamenti autoritatibus declaretur, pro antiquitate ſacerdotij tui euidenter agnoſcis, cum fides patrū & ſcripta mea ad ſanctæ memoriæ Flauianum data, quorum mentionē ipſe feciſti, adiecta uniuerſalis ſynodi cōfirmatione ſufficiant. Vnde proſpicere oportet dilectionem tuam ne contra redemptionis ac ſpei noſtræ ineffabile ſacramentū ullus obmurmuret. Sed ſi qui ſunt qui adhuc aut ignorātia caligant, aut peruerſitate diſcordant, eorum quorū in eccleſia dei apoſtolica fuit & eſt clara doctrina, autoritatibus inſtruantur, & de incarnatione uerbi dei hæc nos credere quod illi credidere cognoſcant, neq; ſe extra corpus Chriſti in quo cōmortui & cōreſuſcitati ſumus, ſua obduratione conſtituant, quia nec pietas fidei, nec ratio recipit ſacramenti, ut aut in ſua eſſentia paſſibilis fuerit deitas, aut in noſtræ naturæ ſuſceptione mentita ſit ueritas. Particulam dominicæ crucis cum eulogijs dilectionis ueſtræ ueneranter accepi. Data pridie Nonas Septembris, Etio & Studio uiris clariſſimis Conſ.

EPISTOLA XLV. LEONIS PAPAE REPREHENSORIA AD ANASTASIVM EPISCOpum Theſſalonicenſem, in qua quomodo tam ſenes quàm iuuenes, & præcipue Epiſcopi corrigendi ſint, oſtendit: detegens interim ſubdolum Anaſtaſij animum, quod Epiſcopum hyemis tempore perſecutus ſit. Addit denicq; regulam de ſubſtituendis Epiſcopis, de Epiſcopalibus concilijs: & alia nōnulla habet, ad concordiam eccleſiæ maxime ſpectantia.

QVANTA fraternitati tuæ à beatiſſimo Petro apoſtolo ſint commiſſa, & qualia etiam noſtro tibi fauore ſint credita, ſi uera ratione perſpiceres, & iuſto examine ponderares, multū poſſemus de iniuncta tibi ſolicitudinis deuotione gaudere. Quoniā ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplū, uices mei moderaminis delegaui, ut curā quam uniuerſis eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtrę māſuetudinis adiuuares, & longinquis ab apoſtolica ſede prouincijs præſentiam quodāmodo noſtræ uiſitationis impenderes, quia de cōtinenti opportunoq; profectu, promptum tibi eſſet agnoſcere quid uel in quibus rebus uel ſtudio cōponeres, uel noſtro iudicio reſeruares. Nam cum maiora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio, nec neceſſitas fuit in id quod menſurā tuam excederet deuiandi. Abundāt enim apud te monimentorū ſcripta noſtrorū, quibus te de omnium actionū temperantia frequenter inſtruximus, ut cōmendatas tibi eccleſias per exhortationem charitatis ad ſalubritatem obedientia prouoca

Universidad de Deusto
Biblioteca

res. Quia etsi pleraque existunt inter negligentes uel desides fratres, quæ oporteat maiore austeritate curari, sic tamen est adhibenda correctio, ut semper sit salua dilectio. Vnde & beatus apostolus Paulus ad ecclesiasticum regimen Timotheū imbuens dicit: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, iuuenes ut fratres, anus ut matres, iuuenculas ut sorores in omni castitate. Quę moderatio si quibuscunq; inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coëpiscopis sine offensione reddenda est? ut licet nonnunquā accidant, quę in sacerdotalibus sint reprehendanda personis, plus tamen erga corrigenda se agat beniuolentia quàm seueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm potestas. Sed hi qui quę sua sunt quęrunt, non quę Iesu Christi, facile ab hac lege discernuntur, & dum dominari magis quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Quod, ut necesse habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Me ipsum enim quodāmodo in culpa sentio, cum te à traditis tibi regulis in modico deuiasse cognosco: qui si tuæ ęstimationis parum diligens eras, meę saltem famę parcere debuisti, ne quæ tuo tantum facta sunt animo, nostro uiderentur gesta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaq; ad tuos missa maiores apostolicæ sedis præsulum scripta decurrat, & uel à me uel à præcessoribus meis inueniat ordinatum, quod à te cognoui esse præsumptum. Venit nanq; ad nos cum Episcopis prouinciæ suæ frater noster Atticus ueteris Ephiri metropolitanus antistes, & de indignissima astrictione quam pertulit, lachrymabili actione conquestus est coram astantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contrà referendo ea quæ nobis ingerebantur fide non carere monstrabant. Legebatur quoq; in literis tuis, quas ijdē diaconi detulere, quod frater Atticus Thessalonicā uenisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset, ut de illo non aliud à nobis intelligi posset, quàm proprij arbitrij & spontaneæ deuotionis fuisset quod uenerat, quodq; chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniurię. Non enim necessarium fuerat ut obligaretur scripto, qui obedientiā suam ipso iam uoluntarij aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus supradictis, hæc uerba epistolæ tuæ testimonium prætulere. Et per hoc quod non est tacitum, nudatum est illud quod silentio fuerat adopertum, adhibitam scilicet Illyrici præfecturam, & sublimissimam inter mundanos apices potestatem in exhibitionē insontis antistitis incitatam, ut missa executione terribili quæ omnia sibi officia publica ad effectū præceptionis adiungeret, à sacris ecclesiæ abditis nullo uel falso insimulatus crimine extraheretur sacerdos, cui non ob molestiam ęgritudinis obstantis hyemis darentur inducię, sed iter aspidum & periculis plenum per inuias cautes agere cogeret. Quod tanti laboris tantiq; discriminis fuit, ut ex his qui Episcopū comitati sunt quidam defecisse dicantur. Multum stupeo frater chariſſime, sed & plurimum doleo, quod in eum de quo nihil amplius indicaueras quàm quod euocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, & tam uehementer potueris commoueri, præsertim cum etsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberet. Sed ut uides bene de moribus meis æstimasti, & quàm ciuilia pro conseruanda sacerdotali concordia responsurus essem, ueriſſime præuidisti, & ideo motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne cum moderationis nostræ aliud disponentis scripta sumpsisses, faciendi id quod factum est licentiam non haberes. An fortè aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & metropolitanum Episcopum noui apud te criminis pondus urgebat? quod quidem alienum ab illo etiam tu nihil ei obijciendo confirmas. Sed etiam si quid intolerandum gessisset, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quàm quid

quid nobis placeret agnoscere. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis uocatus solicitudinis, non plenitudinem potestatis. Vnde sicut multum nos ea quæ à te pie sunt curata lætificant, ita nimium ea quæ perperàm sunt gesta contristant. Et necesse est post multarū experimenta causarum solicitius prospici & diligentius præcaueri, quatenus per spiritum charitatis & pacis omnis materia scandalorum de ecclesijs domini quas tibi cōmendauimus auferatur, præeminente quidem in illis prouincijs Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu. Igitur secundū sanctorum patrum canones spiritu dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratū habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant. In ciuitatibus, quarū rectores obierint, de substituendis Episcopis hæc forma seruetur, ut qui ordinandus est, etiam si bonæ uitæ habeat testimoniū, non laicus sit, non neophytus, nec secundæ coniugis maritus, aut qui unam quidem habeat uel habuerit, sed quam sibi uiduam copularit. Sacerdotū enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in alijs Ecclesię membris non uocantur in culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarū societati & procreationi liberorum studere sit liberum, ad exhibendā tamen perfectę continentiæ puritatē, nec subdiaconibus carnale cōnubium conceditur, ut qui habent sint tanquā non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine qui quartus capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, uel tertio seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquā idoneus æstimetur, qui se à uoluptate uxoria necdum frenasse detegitur? Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisq; consensus concorditer postulauerit: ita ut si in aliam fortè personam partium se uota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur & meritis: tantum ut nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne ciuitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, ut fiat minus religiosa quàm cōuenit, cui nō licuerit habere quem uoluit. De persona autem consecrandi Episcopi, & de cleri plebisq; consensu metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodq; in prouincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoq; firmet autoritas: quæ rectis dispositionibus nihil moræ, aut difficultatis debet afferre, ne gregibus domini diu desit cura pastorum. Metropolitano uero defuncto, cum in loco eius alius fuerit subrogandus, prouinciales Episcopi ad ciuitatē metropolitanam conuenire debebunt, ut omnium clericorum, atq; omnium ciuium uoluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, uel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiā prouinciales referant sacerdotes, impleturi uota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoq; placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus uolumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi. De concilijs autem episcopalibus non aliud iudicamus quàm sancti patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini cōuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diuersos ecclesiæ ordines nasci assolent, iudicetur. Et si fortè inter ipsos qui prę sunt, de maioribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate metropolitanus curabit instruere: & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem quicquid illud est, transferatur. Si Episcopus mediocritate ciuitatis suę despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorē se plebem quacunq; occasione transtulerit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

à cathedra quidē pellatur aliena, sed carebit & propria, ut nec illis præsideat quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisq, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri. Alienum clericum inuito Episcopo ipsius nemo suscipiat, & nemo solicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientemq, conuenerit. Nam grauis iniuriæ reus est qui de fratris ecclesia id quod est utilius aut preciosius, audet uel allicere, uel tenere. Itaq, si intra prouinciam res agatur, transfugam clericū ad suam ecclesiam metropolitanus redire compellat. Si autem longius processit, tui præcepti autoritate reuocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur. In euocandis autem ad te Episcopis, moderatissimum te esse uolumus, ne per maioris diligentiæ 10
speciem, fraternis uidearis gloriari iniurijs. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam necessarium sit fraternum aduocare conuentum, binos de singulis prouincijs episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittēdos, ad fraternitatē tuam uenire sufficiat, ita ut in præstituto tempore non ultra quindecim dies quo conuenerint, retardentur. Si autem in eo quod cum fratribus tractandū definiendumq, crediderís, diuersa eorum fuerit à tua uoluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus quod deo placeat decernatur. Ad hunc enim finem, omnem effectum nostrum curamq, dirigimus, ut quod ad unitatem concordiæ, & quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dis- 20
sensione uioletur, nulla desidia negligatur. Et te igitur frater charissime, & eos fratres nostros qui de tuis offenduntur excessibus, cum tamen nō similis sit omnium materia querelarū, hortor & moneo, ut quæ pie sunt ordinata, salubriterq, dispositа, nulla cōcertatione turbentur. Nemo quod suum est quęrat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait: Vnusquisq, uestrûm proximo suo placeat in bono ad ædificationem. Nec enim poterit ueritatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem uinculum charitatis astrinxerit: quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum: quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo gene- 30
ralis: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cęteris præemineret: de qua forma Episcoporum quoq, est orta distinctio: & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia uendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem uniuersalis ecclesiæ cura conflueret, & nihil unquam à suo capite dissideret. Qui ergo quibusdam scit se esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat, & sicut non uult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alij importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus, humilis & mitis magistri dicentis: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus uestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Quod quomodo experiemur, nisi & illud in obseruantiam ueniat, quod idem dominus ait: Qui maior est uestrûm, erit minister uester: qui autem se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur:

CIPIENTIS VT NVLLI PELAGIANA AVT Cœlestiana hæresi infecti, in communionem catholicam recipiantur, nisi prius eorum errorum autores damnauerint. Item baptismatis regenerationem necessariam esse paruulis ad uitam æternam consequendam.

RELATIONE fratris & coëpiscopi nostri Septimi, quæ in scriptis habetur, agnouimus quosdam presbyteros, diacones, ac diuersi ordinis clericos, quos Pelagiana, uel Cœlestiana hæresis habuerit implicatos, ita in uestram prouinciam ad cōmunionem catholicam peruenisse, ut nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, ut pastoralibus excubijs nimiū dormitantibus, lupus ouium pellibus tectus in ouile dominicū non depositis bestialibus animis introiret. Et per autoritatem canonum decretorumq, nostrorum, ne insontibus quidem conceditur usurpare, ut relictis ecclesijs in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diuersa circunferantur, amantes semper errare, & nunquam in fundamento Apostolico permanere. Quoniā quod nullo discussi examine, nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maxime fructū producunt, ut sub uelamento cōmunionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientiā, multorū corda corrūpant. Quod utiq, efficere non possent, si ecclesiarū præsules necessariam diligentiam in talium receptione seruarent, nec cuiquā eorum euagari licuisset. Ne ergo ulterius audeatur, néue per quorundam negligentiam introducta pernicies ad euersionē multarum tendat animarum, hac nostri autoritate præcepti industriæ tuæ fraternitatis indicimus, ut congregata apud uos synodo prouincialium sacerdotū, omnes siue presbyteri, siue diaconi, siue cuiusq, ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cœlestianorumq, consortio in communionem sui catholicam imprudentia sunt recepti ut non prius ad damnationem coarctarentur erroris, nunc saltem posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad ueram correctionem quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere cogantur: damnent apertis professionibus sui superbi erroris autores, & quicquid in doctrina eorum uniuersalis ecclesia exhorruit, detestentur, omniaq, decreta synodalia quæ ad excisionem hęreseos apostolicæ sedis confirmauit autoritas amplecti se, & in omnibus approbare plenis & apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in uerbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum. Quoniam nouimus hanc istorum esse uersutiam, quacunq, particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum æstiment esse non saluum. Cumq, omnes diffinitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent, atq, deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligatur, excipiunt, ut gratia dei secundum merita dari accipientium sentiatur: quæ nisi gratis datur, nō est gratia, sed merces retributioq, meritorum, dicente beato Apostolo: Gratia salui facti estis per fidem, hoc non ex uobis, sed dei donum est. Nō ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus quæ præparauit deus, ut in illis ambulemus. Omnis itaq, bonorum operum deuotio diuina præparatio est, nec propria quisquam iustificatur uirtute, quoniam gratia unicuiq, principiū iustitiæ & bonorum fons, atq, origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur peruenirí, ut quæ ad gratiam proprio clara sit studio, nullo uideatur peccati originalis uulnere sauciata. Ideo etiā paruulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse dānari, necq, reos in peccato Adę teneri, sed ad regnū

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei, uel ad uitam æternam sine ulla cunctatione uenire, cum Apostolus dicat, per unum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines pertransijt: propter quod & ipsi paruuli baptizantur. Quamuis in illo uno possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic, quia in sua homo potius esse quàm in dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia deo non credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus: & auaritia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetiuit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione poterit inueniri. Parentum quoq; peccatis paruulos ob ligari non solum primorum hominum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, Reddā peccata patrum in filios, tenet eos utiq; antequam per regenerationē ad testamentū nouum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabat, cum diceretur per Ezechielem, nō accepturos filios peccata patrum suorū, nec ulterius futuram in Israël parabolam illam, Patres manducauerunt uuam acerbam, & dentes filiorū obstupescunt. Ideo enim quisq; renascit, ut soluatur in eo quicquid peccati est cum quo nascit. Nam peccata quæ male agendo postea cōmittuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri uidemus. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia uitiosa est generatio, usqueadeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater me in utero aluit. Neq; hic dixit iniquitate, uel in peccato, cum hoc recte dici posset, sed iniquitates & peccata dicere maluit, quia & in illo uno quod in omnes homines pertrāsiuit, atq; tam magnum est, ut eo mutaretur & conuerteretur in necessitatē mortis humana natura, sicut suprà disserui, reperiuntur plura peccata & alia parentum, quæ nō possunt mutare naturā, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat. A paruulo enim recens nato, usq; ad decrepitū senem, quālibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est qui nō peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli originali, maiores autem etiam his omnibus moriunt peccatis quæcunq; male uiuēdo addidere ad illud quod nascendo traxere. Cauendum ergo dilectioni tuæ est magnaq; diligentia prouidendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de excisо olim dogmate aliquid in prouincia eiusdem mali germen oriatur, quod nō solum in radicibus suis crescat, sed etiā sanctæ ecclesię soboles ueneno sui odoris inficiat. Qui correctos se uideri uolunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis probent se esse nostros. Quorum si quisquā salubribus præceptis satisfacere detrectarit, siue ille clericus siue sit laicus, ab ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ saluti insidietur alienæ. Illam quoq; partem ecclesiasticæ disciplinæ qua olim à sanctis patribus & à nobis sępe decretum est, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab ecclesia cuiquam transire sit liberum, ut in integrum reuoces, admonemus: & unusquisq; non ambitione illectus, non cupiditate seductus, nō persuasione hominum deprauatus, ibi ubi ordinatus est perseueret, ita ut si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à cōmunionis uinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua nos si (ut non arbitramur) neglecta fuerint, quę pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, uehementius cōmouendos: quia inferiorū ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesq; rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

EPISTOLA XLVII. LEONIS PAPAE AD EPISCOPOS CAMPANIAE, ARGVENS EOS quod pręter apostolicam traditionem in natalibus martyrū rudes admodum & imperitos, nulla spirituali eruditione præuia, regenerationis mysterijs initiarent, quæ non nisi in paschali & pentecostes die conferenda essent: deq; pœnitentium confessione publice non recitanda.

MAGNA indignatione cōmoueor, & multo dolore contristor, quod quosdam ex uobis comperi esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, ut præter paschæ festum cui sola pentecostes solennitas comparatur, audeant sibimet non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrij libertate, ius baptismatis uendicare, & in natalibus martyrum, quorū finis aliter honorandus est quàm dies dominicæ passionis, regenerationis celebrare mysteria, ac sine ullis spiritualiū eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere sacramentum, ut circa renouandos nihil doctrina ecclesiastica, nihil exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieiunia quibus uetus homo destruitur, operent, neq; in tanto mysterio salutis humanæ nulla eius diei habeatur exceptio, quo ipsum donum est cōditum renascentibus. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum qui hæc faciunt, protestamur, ut ab hac præsumptione cessetur, & summam hanc potentissimamq; dei gratiam non nisi in paschali & pentecostes die desiderantibus & credentibus conferatis, manente quolibet tempore grauium necessitatum ac periculorum consideratione secundum quam oporteat subueniri, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur, cum seruata (sicut prælocuti sumus) duarum tantūmodo festiuitatum reuerentia, propter multa pericula sit cauendum, ne cuiquam aut in desperata ægritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore naufragij, per sacerdotes domini regeneratio denegetur. Si quis uero post interdictum in eadem fuerit usurpatione detectus, dignam pertinaciæ suæ incidet ultionem, quoniam ostendit se turpe potius lucrum, quàm religionis cultum esse sectatum. Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri: de pœnitentia uidelicet quæ à fidelibus postulatur, ne de singulorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei uideatur esse laudabilis quę propter dei timorem apud homines erubescere non uereatur, tamen quia nō omnia peccata huiusmodi sunt, ut ea sicut pœnitentia publica poscit uelint publicare, remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referare, quibus possunt legum constitutiones percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primum deo offertur, tunc etiam sacerdos pro delictis pœnitentiū precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NIO EPISCOPO RAVENNATI DE HIS QVI RE

deuntes de captiuitate, incertum habent, utrum ante captiui tatem baptiſma conſecuti ſunt.



REQVENTER quidem in diuerſarũ ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda ſpiritu dei inſtituente ſolidauimus, reſponſionis formam uel ex ſanctarum ſcripturarum diſciplinis, uel ex patrum regulis colligentes. Sed nuper in ſynodo nouũ, & inauditũ antea genus conſultationis exortum eſt. Nam quorundam fratrum ſuggeſtione comperimus aliquos captiuorũ ad ſedes ſuas libertatemq; redeũtes, qui ſcilicet in captiuitatem illa ætate peruenerint quę nullius rei firmam potuerit habere notitiam, remedium quidem implorare baptiſmi. Sed utrum eiuſdem remedij antè ſacramenta perceperint, infantiæ inſcientia non poſſe reminiſci: & ideo ſub hoc latentis recordationis incerto animas ſuas in diſcrimen adduci, dum ſub ſpecie cautionis negatur his gratia, quæ ideo nõ impenditur, quia putatur impenſa. Cum itaq; tribuere talibus dominici ſacramenta myſterij non immeritò quorundam fratrum formido dubitaret, in ſynodali (ut diximus) cœtu formam huiuſcemodi conſultationis accepimus, quam diligentius diſcuti, & pro uniuſcuiuſq; ſenſu ſolicita uoluimus ratione tractari, quod ad ueritatem adhibita cogitatione multorum certius peruenire poſſemus. Eadem ergo quæ in ſenſum noſtrum diuina inſpiratione uenere, frequens etiam fratrum firmauit aſſenſio. In primis itaq; prouidere debemus, ne dum ſpeciem quandã cautionis tenemus, damnum regenerandarũ incidamus animarum. Quis enim ita ſit ſuſpicationibus ſuis deditus, ut uerũ eſſe definiat, quod omni manifeſtatione ceſſante ex opinione ambigua ſuſpicatur? Cum itaq; baptizatũ ſe nec ille recordetur qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit quod neſciat, conſecratum nihil eſt in quo peccatum poſſit obrepere, cum in hac parte conſcientię ſuę nec ille reus ſit qui conſecratur, nec ille qui conſecrat. Scimus quidem inexpiabile eſſe facinus, quotiens iuxta hæreticorũ damnata à ſanctis patribus inſtituta cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis ſemel tributũ eſt, bis ſubire, apoſtolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in trinitate deitatem, unam in fide confeſſionem, unum in baptiſmate ſacramentũ. Sed in hoc nihil ſimile formidatur, quoniã non poteſt in iterationis crimen deuenire, quod factum eſſe omnino neſcitur. Atq; ideo quotiens perſona talis inciderit, ſolicita primũ examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi fortè ſupremus finis immineat, indagate, utrum nemo ſit penitus qui teſtimonio ſuo iurare poſſit ignorantiã neſcientis. Et cum conſtiterit hunc qui baptiſmatis indiget ſacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, cuius in ſe nullum ſcit eſſe ueſtigium. Nec uereamur huic ſalutis ianuam aperire, quam nunquã docetur ingreſſus. Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiã fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum quod ibi defuit, conferatur, ut per epiſcopalem manus impoſitionem uirtutem ſancti ſpiritus conſequatur. Quam rem frater chariſſime ideo generaliter ad omnium ueſtrũ uolumus peruenire notitiam, ne dum plus iuſto metuitur, miſericordia dei ſaluari cupientibus denegetur. Data nono Calendas Nouembris, conſulatu Martiani Auguſti.

VNIVERSOS EPISCOPOS PER APHRICAM CONſtitutos, qua docet quomodo Epiſcopi eligendi, an à plebe, uel Epiſcopis alijs. Addit etiam quædam ſub finem, quomodo hęretici, an uere pœnituerint explorandi ſint: & de uirginibus per barbaricam uiolentiam corruptis.



VM in ordinationibus ſacerdotum quædam apud uos illicite uſurpata crebrior fama narraret, ratio pietatis exegit, ut pro ſolicitudine quam uniuerſæ eccleſiæ ex diuina inſtitutione dependimus, rerũ fidem ſtuderemus agnoſcere, uicem curæ noſtræ proficiſcenti à nobis fratri & conſacerdoti noſtro Potentio iniungentes, qui ſecundum ſcripta quę per ipſum ad uos direximus, de Epiſcopis quorum culpabilis ferebatur electio, quid ueritas haberet inquireret, nobisq; omnia fideliter indicaret. Vnde quia idem pleniſſime notitiæ noſtræ cuncta reſerauit, & ſub quibus qualibusq; rectoribus quædam Chriſti plebes in partibus prouinciæ Cæſarienſis habeat, ſyncera nobis relatione pateſecit, neceſſariũ fuit ut dolorem cordis noſtri quo pro dominicorũ gregũ periculis æſtuamus, datis ad uos literis promeremus, mirantes tantũ apud uos per occaſionem temporis impacati, aut ambientiũ præſumptionẽ, aut tumultum ualuiſſe popularem, ut indignis quibuſq;, & longe extra ſacerdotale meritũ conſtitutis, paſtorale faſtigiũ & gubernatio eccleſiæ crederetur. Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum: & ubi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſana eſt forma doctrinæ. Principatus autem quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiam ſi moribus atq; actibus non offendit, ipſius tamen initij ſui eſt perniciosus exemplo: & difficile eſt ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Quod ſi in quibuslibet eccleſiæ gradibus prouidenter ſcienterq; curandum eſt, ut in domini domo nihil ſit inordinatum, nihilq; præpoſterũ: quanto magis elaborandũ eſt, ut in electione eius qui ſuper omnes gradus conſtituitur, nõ erretur? Nam totius familiæ domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod ſequiẽ in corpore nõ inueniatur in capite. Vbi eſt beati Pauli apoſtoli per ſpiritũ dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omniũ ſacerdotũ Chriſti numerus eruditur, & perinde unicuiq; noſtrum dicit: Manus citò nemini impoſueris, neq; cõmunicaueris peccatis alienis? Quid eſt citò manus imponere, niſi ante ætatẽ maturitatis, ante tẽpus examinis, ante meritũ laboris, ante experientiã diſciplinæ, ſacerdotalẽ honorẽ tribuere nõ probatis? Et quid eſt cõmunicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantẽ qualis ille eſt qui nõ meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi cõparat fructum, qui rectũ ſectatur in eligendo ſacerdote iudiciũ, ita graui ſemetipſum afficit damno qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum. Non enim in cuiuſquã perſona prætermittendũ eſt quod inſtitutis generalibus continet: nec putandus eſt honor ille legitimus, qui fuerit de pręuaricatione collatus. Dicente enim apoſtolo, ut inter electionis regulas is Epiſcopus ordinet, quẽ unius uxoris uirũ fuiſſe, aut eſſe conſtiterit: tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, ut etiã de muliere ſacerdotis eligendi eadem intelligatur ſeruanda cõditio, ne fortè illa priuſquã in matrimoniũ eius ueniret qui aliam non habuiſſet uxorem, alterius uiri eſſet experta coniugium. Quis ergo diſſimulare audeat quod in tanti ſacramenti perpetratur iniuriã? cum huic magno uenerandoq; myſterio ne legis quidem ſtatuta defuerint, quibus euidẽter eſt definitum, ut uirginẽ ſacerdos accipiat, & alterius thorum neſciat cõiugis quæ uxor eſt futura pontificis. Iam tunc enim in ſacerdotibus figurabatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi & ecclesiæ spirituale cõiugium, ut quoniã uir caput est mulieris, discat spon
sa uerbi non aliũ uirum nosse quàm Christũ, qui eam unam quam legit, unã dili
git, & aliam præter ipsam suo cõsortio nõ adiungit. Si ergo etiã in ueteri testamen
to hęc sacerdotalium coniugiorũ forma seruata est, quanto magis sub reuelata iam
gratia cõstituti apostolicis debemus seruire præceptis: ut quomodolibet quis bonis
moribus præditus, & sanctis operibus inueniat̃ ornatus, nequaquã tamen uel ad
diaconij gradũ, uel ad presbyterij honorẽ, uel ad episcopatus culmen ascendat, si
aut ipsum nõ unius uxoris uirũ, aut uxorẽ eius nõ unius uiri fuisse claruerit. Mo
nente uero apostolo atq; dicente, Et hi aut probent̃ primũ, & sic ministrent: quid
aliud intelligendũ putemus, nisi ut in his prouectionibus nõ solũ matrimoniorum
priuilegia, sed etiã laborũ merita cogitemus, ne aut à baptismo rudibus, aut à secu
lari actu repente conuersis officium pastorale credatur, cum omnis gradus militiæ
christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari. An possint cuiquã maiora
cõmitti? Merito sanctorũ patrum uenerabiles sanctiones cum de sacerdotũ electio
ne loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuere, quorum
omnis ætas à puerilibus exordijs usq; ad prouectiores annos per disciplinæ eccle
siasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuiq; testimoniũ prior uita præberet, nec posset
de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro acti
bus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honorem mundi sine
suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire, & notari ambitus
solent, quos probitatis documenta nõ adiuuant, quàm diligens, & quàm prudens
habenda est dispensatio diuinorũ munerum, & cœlestium dignitatum, ne in ali
quo apostolica & canonica decreta uiolentur, & his ecclesia domini regenda cre
datur qui legitimarũ institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infi
mis sumere incrementũ, sed à summis uolunt habere principiũ? cum ualde iniquũ
sit & absurdũ ut imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferant̃ emeritis. In
domo quidem magna necesse est (sicut Apostolus ait) uasa diuersa sint, quædam
aurea, argenta, quædam uero lignea, & fictilia: sed horum ministerium pro mate
riæ qualitate discernitur, nec qui est preciosorũ, idem usus est uilium. Nam inordi
nata sunt omnia si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in li
gneis & fictilibus eorum omniũ species figuratur, qui nullis adhuc uirtutibus ni
tent, ita in aureis & argenteis hi sine dubio declarantur, qui per longum eruditio
nis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatũ, & argentum
purum esse meruere. Quibus si merces pro deuotione non redditur, omnis eccle
siastica disciplina resoluitur, omnis ordo turbatur, dum in ecclesia qui nullũ subie
re ministerium, peruerso eligentium iudicio debitum obtinent principatũ. Cum
ergo inter uos tantum ualuerint, aut studia populariũ, aut ambitus superborũ, ut
non solum laicos, sed etiam secundarũ uxorum uiros, aut uiduarũ maritos ad offi
cium cognoscamus pastorale prouectos, nónne aptissimę exigunt causæ, ut eccle
siæ in quibus ista cõmissa sunt, iudicio seueriore purgentur, & non solum in tales
præsules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur? Sed circun
stant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura iustitiæ. Et quia uniuersæ uiæ
domini misericordia & ueritas, cogimur secundum sedis apostolicæ pietatem, ita
nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ constat nõ
unius esse mensuræ, quædam definiamus utcunq; toleranda, quędam uero peni
tus amputanda. Eos enim qui uel secundas nuptias inierunt, uel uiduarũ se cõiu
gio sociarunt, nec apostolica, nec legalis autoritas sacerdotũ obtinere permittit, &
multo magis illum, si fuerit uestro iudicio cõfutatus, qui sicut ad nos relatũ est dua
rum simul est maritus uxorũ, uel illum qui à prima uxore dimissus, alterã duxisse
perhibetur. Cæteros uero quorũ prouectio hoc tantum reprehensionis incurrit,
quod

quod ex laicis ad officiũ episcopale delecti sunt, neq; ex hoc quod uxores habeant
possunt esse culpabiles, susceptũ sacerdotiũ tenere permittimus, nõ præiudicantes
apostolicæ sedis statutis, nec prędecessorũ nostrorũ nostrisq; decretis, quibus salubri
ter statutũ est, ne primũ uel secundũ aut tertiũ in ecclesia gradũ quisquã laicorum
quibuslibet suffragijs fultus ascendat, priusquã ad hoc meritum per legitima au
gmẽta perueniat: quod enim utrunq; patimur esse ueniale, multũ postmodũ esse
nõ poterit, si quisquã omnino id quod interdicimus usurpare præsumpserit, quia
remissio peccati nõ dat licentiã delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione con
cedi, phas erit amplius impune cõmitti. Donatũ autem Salicinensem ex Nouatia
no cum sua (ut cõperimus) plebe cõuersum, ita dominico uolumus gregi præside
re, ut libellũ fidei suæ ad nos meminerit dirigendũ, quod & Nouatiani dogmatis
damnet errorẽ, & plenissime confiteat̃ catholicã ueritatẽ. Maximũ quoq; ex laico
licet reprehensibiliter ordinatũ, tamen si Donatista iam nõ est, & à spiritu schisma
ticæ prauitatis alienus, ab episcopali quam quoquo modo adeptus est nõ repella
mus dignitate, ita ut & ipse libello ad nos ædito catholicum se esse manifestet. De
Aggaro & Tyberiano, quorũ à cæteris qui ex laicis ordinati sunt in hoc causa di
uersa est, quod eorũ ordinationi atroces tumultus, & sæuæ seditiones memorant̃
esse famulatę, uestro iudicio cuncta cõmisimus, ut relata habiti apud uos examinis
fide, quid de supradictis statuendũ sit scire possimus. Illę aute famulæ dei quæ inte
gritatem pudoris oppressione barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilita
te ac uerecundia, si se incontaminatis nõ audeant cõparare uirginibus. Quamuis
enim omne peccatũ ex uoluntate nascat̃, & potuerit corruptione carnis mens in
uita nõ pollui, minus tamen eisdem oberit, si quod potuerint animo nõ amittere,
doleant se uel corpore perdidisse. Cum itaq; de omnibus ferè quę fratris nostri Po
tentij relatio cõtinebat plenissime dilectionẽ uestrã per Dauid fratrẽ & coëpisco
pum nostrum, qui & sacerdotij merito nobis est probatus & moribus, uideatis in
structã, superest fratres, ut concordi obedientia salubres susciptatis hortatus, & ni
hil per contentionẽ agentes, sed ad omne studiũ deuotionis unanimes diuinis &
apostolicis cõstitutionibus pareatis, & in nullo patiamini pia canonũ decreta uio
lari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis de
inceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate cõcessimus, iusta
post hæc ultione plectamus.

EPISTOLA L▸ LEONIS PAPAE AD NICETAM EPISCOPVM AQVILEIENSEM, DOcentis quid de coniugijs agendũ sit eorũ qui bello capti, & ad longum tempus detenti tandem domũ redierunt, cum uxores interim ipsorum alijs uiris nupserint. Et quid de illis qui immolatitijs cibis usi sunt in captiuitate, præterea an baptismus iterandus sit, edocetur.

REGRESSVS ad nos filius meus Adeodatus diaconus sedis
nostræ, dilectionẽ tuam poposcisse memorauit, ut de his à no
bis autoritatem Apostolicæ sedis acciperes, quæ quidem ma
gnam difficultatem dijudicationis uidentur afferre, sed pro in
spectione temporaliũ necessitatũ adhibenda curatio est, ut uul
nera quæ hostilitatis aduersitate illata sunt, religionis maxime
ratione sanent̃. Cum ergo per bellicã cladẽ, & per grauissimos
hostilitatis incursus, ita quędã dicatis diuisa esse cõiugia ut abductis in captiuitatem
uiris, fœminæ eorũ remanserint destitutę, quę uiros proprios aut interemptos pu

Universidad de Deusto
Biblioteca

tarint,aũt nunq̃ à dominatione crediderint liberandos,& ad aliorũ coniugiũ ſolici
tudine cogente tranſierint, cumq; nũc ſtatu rerum auxiliante domino in meliora
cõuerſo,nõnulli eorũ qui putabantur perĳſſe remeauerint,meritò charitas tua uí-
detur ambigere quid de mulieribus quæ alĳs iunctæ ſunt uiris, à nobis debeat or-
dinari.Sed quia nouimus ſcriptũ,quod à deo iungitur mulier uiro:& iterum præ-
ceptũ agnouimus, ut quod deus iunxit,homo nõ ſeparet: neceſſe eſt ut legitima-
rũ fœdera nuptiarũ redintegrãda credamus,& remotis malis quę hoſtilitas intulit,
unicuiq; hoc quod legitime habuit, reformetur:omniq; ſtudio procurandũ eſt,ut
recipiat unuſquiſq; quod propriũ eſt. Nec tamen culpabilis iudicet̃,& tanq̃ alieni
iuris peruaſor,qui perſonam eius mariti qui iam non eſſe æſtimabat̃,aſſumpſit.Sic
enim multa quæ ad eos qui in captiuitatẽ ducti ſunt,pertinebant,in ius alienũ tran
ſire potuerunt,& tamen plenũ iuſtitiæ eſt,ut ĳſdem reuerſis propria reformentur.
Quod ſi in mancipĳs uel in agris,aut etiã in domibus ac poſſeſſionibus rite ſeruat̃,
quãto magis in cõiugiorũ redintegratione faciendũ eſt, ut quod bellica neceſſitate
turbatũ eſt,pacis remedio reformet̃.Et ideo ſi qui poſt longã captiuitatẽ reuerſi, ita
in dilectione ſuarũ coniugũ perſeuerant, ut eas cupiant in ſuũ redire conſortium,
omittendũ eſt & inculpabile iudicandum quod neceſſitas intulit,& reſtituendum
quod fides poſcit.Si autẽ aliquæ mulieres ita poſteriorũ uirorũ amore ſunt captę ut
malint his cohærere,quàm in legitimũ redire conſortium,meritò ſunt notandę,ita
ut etiã Eccleſiaſtica cõmunione priuentur,quia inexcuſabiliter contaminationẽ cri
minis elegerunt,oſtendentes ſibimet pro ſua incõtinentia placuiſſe,quod iuſta re-
miſſio potuit expiare.Redeant ergo in ſuũ ſtatum uoluntaria redintegratione cõ-
iugia,neq; ullo modo ad opprobrium malæ uoluntatis trahatur,quod cõditio ne-
ceſſitatis extorſit: quia ſicut hæ mulieres quæ reuerti ad uiros ſuos nolunt,impiæ
habendę ſunt,ita illæ quæ in affectũ initum ex deo redeunt,merito ſunt laudandæ
iudicio. De his autem Chriſtianis qui inter eos à quibus fuerant captiuati immo-
latitĳs cibis aſſeruntur polluti, conſultationi charitatis tuæ hoc etiam reſponden-
dum eſſe credimus,ut pœnitentiæ ſatisfactione purgentur: quæ non tam tempo-
ris longitudine quàm cordis compunctione penſanda eſt: & ſiue hoc terror ex-
torſerit, ſiue fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cum huiuſmodi cibus pro
metu,aut indigentia,non pro religionis uenerationẽ ſit ſumptus. His uero de qui-
bus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos, qui ad iterandum baptiſmum
uel metu coacti ſunt,uel errore traducti,& nunc ſe cõtra catholicæ fidei ſacramen
tum egiſſe cognoſcunt,ea cuſtodienda eſt ratio, qua in ſocietatem noſtram nõ niſi
per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem epiſcopalis manus, cõmunionis
recipiant unitatem, temporis pœnitudinis habita moderatione,tuo conſtituente
iudicio, prout conuerſorũ animos perſpexeris eſſe deuotos: pariter etiam habens
ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorunq; aut ægritudinis reſpiciens ne-
ceſſitates, in quibus ſi quis ita grauiter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet de ſalute
ipſius deſperetur,oportet ei per ſacerdotalẽ ſolicitudinem cõmunionis gratia ſub-
ueniri. Nam hi qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt cum baptizati antea non
fuiſſent,ſola inuocatione ſpiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi
ſunt,quia formam tantum baptiſmi ſine ſanctificationis uirtute ſumpſere. Et hanc
regulam ut ſciatis ſeruandam,omnibus Eccleſĳs prædicamus ut lauacrum ſemel
initum nulla iteratione uioleť,dicente Apoſtolo: Vnus dominus,una fides,unum
baptiſma,cuius ablutio nulla iteratione tentanda eſt, ſed (ut diximus) ſola ſancti-
ficatio ſancti ſpiritus inuocanda eſt, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholi-
cis ſacerdotibus conſequatur.Hanc autem epiſtolam noſtram quam ad cõſultatio
nem tuę fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres cõprouinciales Epiſcopos
facies peruenire,ut omnium obſeruantiæ data proſit autoritas.

EPISTOLARVM FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca